








AUGUSTI FERDINANDI NAEKII

OPUSCULA

PHILOLOGICA.

EDIDIT

FR. TH. WELCKER.

VOLUMEN I.

BONNAE

IMPENSIS ED. WEBERI.

MDCCCXLII.

PRAEFATIO EDITORIS.

Augustus Ferdinandus Naeke quum praematura et acerba morte huic litterarum universitati et amicis ereptus esset neque, praeter unicam sororem, cognatos vel propinquos in patria Saxonia reliquisset, meum esse putavi eius, quocum munere et proximis temporibus etiam arctiore officii vinculo, dum Seminarium philologicum consentientibus animis et consiliis moderabamur, quocum familiaritate et amicitia in dies adaucta coniunctus per viginti fere annos vixissem, eius ut hereditatem litterariam susciperem et curarem, caverem quidquid scriptum a se reliquisset ne dissiparetur vel indigne haberetur, quae autem edenda viderentur, ea ut publico usui destinarem et accommodarem. Et quod ad chartas philologicas attinet, quas omni tempore diligenter collegisse et asservasse videtur, inventae sunt inter eas non paucae, ex quibus, quum omnes bibliothecae academicae traditae sint, in litteras fortasse redundabunt aliquando fructus haudquaquam spernendi, si erunt qui illis docte et religiose uti sciant velintque: talibus enim earum usum, pru-

denti habito delectu, par erit concedi pro singulari, quae hodie in commodanda et subministranda omnis generis materia, fomite et suppellectili litteraria ubique exspectatur, liberalitate.

Quae nunc prelo committere visum est, ea partim iam antea typis vulgata fuerunt, partim nunc primum prodeunt in lucem vel mox prodibunt. Maiora opera Naekius praeparavit plura, nullum, post Choerilum, absolvit: in agendis fundamentis solidis, altis cum multum desudasset, paullatim vel ad alia abductus, vel taedio nimiae fortasse operositatis oppressus, aedificio vel exstruendo vel exornando abstitit, ad libros emittendos semper tardus, nec mercatui Lipsiensi unquam intentus. Consilium fuerat Catullum recensere, tum Propertium, a quibus haud scio an recesserit cum in iisdem versari accepisset Ferd. Handium, amicum suum, quod disco ex Handii litteris a. 1812 ad Naekium datis. Plurimum studii contulerat in Callimachi fragmenta; comparatorum et praeparatorum ut gustum nobis daret, id vero programmatum scribendorum necessitati ipsi impositae debebamus. Antequam Callimacheas copias hoc modo delibaret, manum adiecerat apparatui critico ad Virgilii Catalecta iuvenili aetate parato et commentarios uberrimos composuerat ad Diras Valerio Catoni vindicatas, in quibus tamen non ita sibi satisfecisse videtur, ut non alio tempore diligentius pertractare voluerit. Ultimis vitae annis Homericis et maxime Iliadi doctam impendit operam. Quae sub Opusculorum titulo nunc, ut et posteris conserventur et exteris parabilia fiant, collecta comprehenduntur, ea omnia auctori variis temporibus officium academicum expressisse videtur. Nam praeter Schedas criticas, quas Halis defendit, et programmata in Rhenana Universitate scripta, reliqua, variis Anna-

libus in eadem deinceps editis inserta, invitantibus et flagitantibus collegis concessit, ex larga penu collata. Una excludenda erat propter Weberi bibliopolae rationes dissertatio *de allitteratione sermonis latini*, cuius usum etiam posthac petent eruditi ex Musei Rhenani a Niebuhrio et Brandisio editi volumine tertio (p. 324—418), quamvis innumeris additamentis ab auctore ad libri sui margines nitide appictis augeri potuisset. Contra orationes ineditas duas, ex septem quas inveni, uni a Naekio prooemii lectionum loco vulgatae adieci, primam ab ipso habitam et eam, qua Niebuhrii memoria celebratur. Exoptatissimus autem lectoribus erit nuntius, quem affero de Hecale illa, cuius singulae particulae, quum perverso ordine et plurium annorum spatio separatae primum editae essent, multis et nemini magis quam FR. IACOBSIO meo, venerabili et amabili, si quis unquam fuit, seni, in deliciis fuerunt. Prolegomena enim et tria ultima capita, iam a. 1829 libello academico vulgata, passim aucta et reficta duobus exemplis reliquit Naekius, altero mundo et hoc quoque sua manu descripto: quamquam neque sic manum de tabula sustulit, sed annotavit subinde multa, quae vel addere vel denuo inspicere animo proponeret. Sectiones septem priores Musei Rhenani a me et Naekio editi volumine secundo, tertio, quinto continentur, quarum septima quidem in eundem fere modum ac tres ultimae, quas ex autographo repetemus, retractata legitur in Indice praelectionum aestivarum a. 1836. Integrum opus curis secundis perpolitum alterum Opusculorum explebit volumen. Commentarios in Valerium Catonem edendos non invitus suscepit Schopenus noster.

Inter lectiones academicas copia, eruditione, diligentia ex-

cellere videntur quae sunt de Iliade, de Aeschylo et Aristophane. Extant commentarii praelectionum usui accommodati in Iliadem, in Aeschyli Prometheum, Persas, Septem contra Thebas, Agamemnonem et Eumenides, in Aristophanis Ranas, Acharnenses, Aves atque Nubes. Sophoclis schedae similes explicant Antigonen, Oedipum Regem et Coloneum, Aiacem, Euripidis, minore quidem numero, Hecubam, Hippolytum et Cyclopem. Non copiosiora sunt quae ad alios quosdam auctores Graecos spectant, ut ad Platonis Apologiam Socratis, Theocritum et Epigrammata. De Romanis Naekius interpretatus est Catullum, Horatium, Plauti Rudentem, Trinummum, Truculentum, Taciti Germaniam. Praeterea fasciculi inventi sunt modici ad historiam Graecae poeseos, ad litteraturam Romanorum, ad Romanorum artem metricam et poeticam, ad criticen pertinentes, in quibus ad praelectionum usum carptim pleraque adnotavit.

Hic fuit orbis, in quo se continuerunt scholae Naekii academicae. De philologiae finibus, ambitu, partibus, rationibus sententiam nunquam exposuit: non alienus autem ab illa horum studiorum norma fuit, ad quam nostra aetas reversa potius quam progressa est. De Heinrichio Naekius, quum in scripto academico defuncti memoriam coleret (v. p. 272 s.), dixit, quae verissime dicta esse etiam Iacobsius animadvertit, „nulla posse comparatione melius illud, quod proprium Heinrichio, exprimi, quam si comparetur cum Wolfio; fuisse autem eam similitudinem in vetere severitate disciplinae philologicae positam, quam et doctrina comprobaverit et scriptis.“ Sed addendum est, qui Wolfii subtilitatem criticam et grammaticam et doctam cunctationem feliciter aemularetur, eundem inter primos fuisse, qui Wolfianam

philologiae descriptionem, ex Heynii disciplina ductam, amplecterentur; unde factum est, ut in illa vitae parte, qua magis quam postea librorum componendorum studio flagravit, nulla doctrinae specimina clariora dederit, quam quibus vel fabulas religionesque perscrutaretur, vel de poeseos quibusdam generibus ageret, simul etiam eius antiquitatis partis, cuius tunc pauciores quam hodie periti erant, monumentorum, rationem habens. Et in seminarii nostri philologici statutis ab ipso conceptis, spreto philologiae nomine vago et incerto, *scientiam antiquitatis* cum Wolfio iterum iterumque nuncupat philologorum disciplinam, linguas et libros cultae antiquitatis una cum historia, poesi, philosophia, arte et communi omnium fonte, religionibus complectentem. Naekius quamvis de historica philologiae parte non sane dissentiret, habitavit tamen in re critica et exegetica, poetarum maxime studio deditus, non minus acumine critico, quam iudicii elegantia et exquisitiore doctrina insignis, omnibus iis, ut verbo dicam, quibus perfectus poetarum interpres cernitur. Quantum sit, quod dico, sciunt, qui et primores diversorum temporum poetas, inexhaustos illos ingenii artisque fontes, et incredibilem doctorum in iis interpretandis nostra aetate diligentiam et contentionem recte aestimare didicerint. Sunt quaedam antiquitatis initia: ipsam antiquorum hominum vitam quasi oculis intueri auramque eorum spirare oportet, artis eorum sensu atque usu imbutum esse et ingenium habere ad ipsorum ingenium formatum, si quis velit de cantoribus numine afflatis deque sublimitate, simplicitate, inenarrabili pulchritudine, veritate effatorum eximie iudicare. Naekium autem ad altos artis poeticae recessus penetrasse et artis intellectum in ipso cum eruditione, in qua sola sibi multos pla-

cere videmus, coniunctum fuisse parem, ex singulis eius animadversionibus facile agnoscas, ex sermonibus colligere licebat et ex orationibus publice habitis percipere, ut ex ea, qua de morum antiquorum simplicitate dicentem eum ultimum audivimus. Ex hac antiquae artis et morum animorumque antiquorum intelligentia magna illa Goethii, cuius opera maiore prosequebatur quam alius ullius mortalium scripta studio et amore, apud Naekium fluxit admiratio. Non temere hoc dico. Nemo enim post ipsos Graecos Goethio felicius, cum naturae dotibus et recentioris aevi temporisque sui fructibus esset abundantissimus, ingenii Graecorum imaginem expressit; quamvis et ante illum et una cum eo etiam alii quidam ex nostra gente extiterunt viri, qui, quae Graeca indoles ad poesin et artem et omnino ad ingenii cultum in omne aevum contulit, divinitus senserunt et libris aeterna memoria dignis monstrarunt, unde quae nunc florent litterae artesque originem maxime ducunt.

De Naekii vita breviter exposuit Io. Chr. Guil. Augusti in Diurnis litterariis Ienensibus a. 1838 (*Intell. Bl.* N. 28): Laudationem eius publice recitavit Aug. Guil. a Schlegel, quae mox inserta est Musei Rhenani volumini sexto. Paulo explicatius de studiorum vitaeque eius ratione, a scholae Portensis inde disciplina, de indole eius moribusque hoc loco dicere propositum fuerat, quantum quidem mihi liceret, cui in notitiam ille non nisi post exactum aetatis annum tricesimum venisset, praesertim cum non is esset, qui de se suisque rebus saepe et multum loqui soleret. At poteram tamen vel sic ex convictu diuturno afferre, quae grata fore multis sperabam, nec indigna memoria, adhibitis etiam chartis ab ipso relictis. Quo pertinent omnis generis spe-

cimina scholastica, una cum carminibus bene multis recentissimorum poetarum novo tunc et miro quodam favore apud populum florentium, a docta autem Porta anxie prohibitorum, furtim a Naekio descriptis; deinde praelectiones professorum Lipsiensium, tum theologicae, tum philologicae Hermanni, quas calamo excepit plurimas; porro quae per feriarum otia in domo paterna ex Dresdensis bibliothecae vetustorum librorum copiis excerpsit; tum varia, quae isto tempore et proximo lusit carmina et alia, ut etiam postea semper quae vel sibi vel amicorum familiis laeta, tristia acciderent, aliquando etiam ingruentia fata regum et populorum, ut Polonorum, versibus adumbrare consuevit, elegantibus iis, sed tacitis et privatis vel cum paucissimis communicatis; denique epistolae familiarium et eruditorum. Poteram incipere a patre (cuius praesto sunt consilia de vita instituenda filio prudenter data, Horatiana, quorum mentionem ille fecit in Choerili dedicatione et alia), et narrationem finire in eo, quod ipse observassem, quanta animi tranquillitate, quam fortiter ille morbum ingravescentem mortemque appropinquantem tulerit. Qui enim propter nimiam, dum Epicureorum εἰρηναῖον βίον sectabatur, in vita quotidiana et in omni re cautionem interdum timiditatis suspicionem incurrere potuisset et leviora incommoda impatienter tulisset, idem per morbi, quo cor affectum erat, incommoditates et cruciatus dignitatem quandam suam cum amoenitate iunctam, serenitatem atque hilaritatem conservabat, neque periculi et mortis metu unquam moveri videbatur. Schedulis ultimis vitae diebus ad Naumannum, medicum suum et amicum, quem imprimis semper dilexit, ex vicinia missis et sermonibus, quos postea cum eo habuit, ultimis lepidi aliquid, pro more suo, immiscere non desiit. —

Hoc volueram et ut exsequerer consilium Opusculorum editionem aliquandiu remoratus sum. Nunc autem quum eam Philologis Germaniae, qui propediem huc convenient, offerri par sit, cum dico, invitum me et valetudine etiam magis quam temporis angustiis et variarum curarum singulari concursu ab officio gratae amici memoriae praestando excludi, vere dico, neque manes offendam suavissimi, dum in vivis erat, amici.

Bonnae d. 21. Sept. 1841. F. Th. W.

INDEX OPUSCULORUM.

SCHEDAE CRITICAE

EDIDIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS AUCTORITATE

AD OBTINENDAM LEGENDI FACULTATEM

DIE XVIII. MARTII A. CIↃIↃCCCXII.

PUBLICE DEFENDIT

AUGUSTUS FERDINANDUS NAEKIUS

DRESDANUS

DOCTOR

PAEDAGOGII REGII HALENSIS COLLEGA

ASSUMTO AD RESPONDENDUM SOCIO

IOANNE FRIDERICO IACOBO

HALENSI SEMINARII REG. PHIL. HAL. SODALI.

HALIS SAXONUM

IMPRESSIT C. F. SCHIMMELPFENNIG.

GODOFREDO HERMANNO

S. D.

AUGUSTUS FERDINANDUS NAEKIUS.

Nomen consideranti mihi Tuum, quod huic libello praefigerem, dubium fuit an non possem praefigere. Non quod aliud antea vel meliori omine in mentem venerit: sed temerarium videbatur tanto viro talia inscribere. Excusationem habeo, nisi fallor, idoneam, Tuum in me amorem, meum in Te. Quam enim iam in Schola Portensi ex scriptis Tuis grato animo conceperam erga

Te, reuerentiae, ac liceat Orphica illa Tua commemorare, quum in notitiam Tuam et familiaritatem venissem, amor accessit eumque in modum creuit, vt iam vtrum hic maior sit an illa nesciam, sed et hunc et illam publico quouis testimonio profiteri gestiam. Accipe igitur, quidquid hoc est: de quo neminis me cupidius quam Tuum iudicium exspectare putabis. Nam hoc demum comperto de opera mea, quid boni insit, mihi constabit.

Scr. Halis Saxonum, d. X. Martii a. cIↄIↄcccxii.

Schedas dixi, quae mihi aliud agenti paullatim subortae tumultuariae quasi in hoc corpus coierunt. Saepe enim in disquisitione aliqua versantem quaestio secundaria occupat, ad res cognatas, a cognatis ad alienas abripit: dubitationes nascuntur, cumulantur, tolluntur, ita vt respicientes non pauca quum nobis tum aliis quoque noua ex inopinato nos didicisse animaduertamus, eaque ipsa quae et aliis proponantur non indigna censeamus. Sic ego primum non speraueram fore vt de Pleiade Tragicorum scriberem. Quare nolui de Pleiade inscribere libellum, qui ab illa neque argumentum vnice habeat neque occasionem. Insunt multa a re aliena, quaedam iam dudum a me obseruata, nunc, vbi fieri posset, inserta. Quas a Leisnero et Nagelio de Pleiade scriptas dissertationes testatur Harlesius, inspicere non potui. Ac nescio an id non magnopere dolendum sit, quandoquidem, quid illarum ope adhuc praestitum fuerit, et quam saepe ab aliis scriptoribus in hac causa laudatis vacuis manibus redierim, reputo.

Sosiphanes Sosiclis, Syracusanus, Tragicus ex Pleiade; V. Suid. ex emend. Kuster. Corruptus antea Suidae locus negotium facessit Fabricio B. Gr. Lib. II. c. XIX. Vol. I. p. 691. cf. 688. (Vol. II. p. 322. Harl.) Eadem Lexicographi corruptela deceptus Sosiclem Tragicum suo loco, sub Philippo vel Alexandro, inseruit poetis graecis G. I. Voss. Cap. VII. p. 214. (ed. Amstel. 1696.) addens, „Quibusdam habitus est vnus ex Pleiade septem tragicorum:“ add. Cap. VIII. p. 218. col. b. init. qua ratione singulare quiddam explicare voluit, quod inest Suidae verbis, eumdem

auctorem ad Olymp. CXI. vel CXIV. et ad Pleiadem referentis. Qui error etiam nobis restat expediendus illic pro Sosicle Sosiphanem ponentibus. Accusanda erit Suidae imperitia. Qui duas diuergentes narrationes, vnam, quod Sosiphanes vixerit sub Philippo vel Alexandro, alteram, quod ex Pleiade fuerit, quarum haec videtur vera, conciliauit inter se. Caeterum locus mutilus est, atque fortasse excidit: Ol. CXXIV. vel CXXX., ex opinione eorum qui Sosiphanem ex Pleiade fuisse narrauerant. Quos vere narrasse dixi, quoniam aliunde idem constat. nisi f. legend.: *ρια' ὀλυμπιάδι· οἱ δὲ ριδ' ἀκμάσαι α'. γράφουσιν.* Magna, vt omnes scimus, scriptorum, quos in Pleiade illa fuisse perhibent, apud diuersos est diuersitas, quae, vt bene Vossius l. l. C. VIII. p. 218. partim est ex eo, „quod alii Poëtarum *ἁπλῶς*, alii tragicorum *πλειάδα* recensent, partim ex iudiciorum diuersitate, qua 2
alium alii praeferrent.“ Verum enimuero eorum ratio, qui de pleiade *ποιητῶν* simpliciter loquuntur, inepta est ac dubito an a nemine inita, nisi a longe recentissimis. Quibus aliquid tribuisse videtur, ne Barnesium nominem, Ruhnk. Hist. Cr. Oratorum Gr. pag. XCVI., 1) ac doleo fidem habuisse Ios. Scaligerum. Is enim epistolarum (Epistolae omnes quae reperiri potuerunt, nunc primum collectae ac editae. Lugd. B. 1627. 8.) Libro III. Epist. CCXLVII. „— Vt animi, sic poëseos Graecae, quatuor tempestivitates (immo: a n n i - t e m p e s t a t e s scripserat) fuisse animadverti. — Autumnus ab aestate non degenerans, praestantissimos homines extulit, sed majorem partem Grammaticos, in quibus *τὴν πλειάδα* ponas licet. Quid ingeniosius Callimacho? quid Apollonio pressius? quid Theocrito amoenius? Hactenus bene cum Musis agebatur. Initium hyemis suaves foetus protulit: Dionysium *τὸν περιηγητήν*, quem cum Poëtis *τῆς πλειάδος* contendere licet: —“ Quosnam vero testes habuit Scaliger?

Ad marginem quae adscripsit Naekius.

1) Lil. Gyraldus Dial. III. de poetarum hist. p. 109. s. ed. Basil. T. II. Graeuius Dedicat. Callimachi pag. 627. T. I. Ern. — Huic fabulae Spanhemius quoque fidem habuit, ad Call. h. Jo. 76. Et Schw. ad Athen. lib. XIV. pag. 664. a. Et Spanh. rursus ad Lau. Pall. 45. Et Iriarte ap. Weichert. de Apoll. Rh. pag. 48. et 9. not.

ipse non nominauit. Videbimus. Is. Tzetzes *Περὶ γένους - Λυκόφρονος*, pag. 3. ex ed. Sebastiani — *ἦν δὲ εἷς τῶν ἑπτὰ ποιητῶν, οἵτινες διὰ τὸ ἑπτὰ εἶναι, τῆς Πλειάδος ἐλέγοντο, ὧν τὰ ὀνόματα ταῦτα. Θεόκριτος, ὁ τὰ Βουκολικὰ ποιήσας, Ἄρατος, ὁ τὰ Φαινόμενα γράψας καὶ ἕτερα* (sic, non *ἕτεροι*, etiam in Basil. Oporin. 1546. p. 3) *Νίκανδρος, Αἰαντίδης ἢ Ἀπολλώνιος, ὁ τὰ Ἀργοναυτικά, Φίλικος, Ὅμηρος ὁ νέος, τραγικὸς - ὁ Ἀνδρομάχου, Βυζάντιος, δράματα ποιήσας νζ, καὶ οὗτος ὁ Λυκόφρων. κἂν ἕτεροι, μὴ εἰδότες, ἄλλους φασὶν εἶναι τῆς Πλειάδος.* Digna Tzetza arrogantia, qui illos vixisse addit sub Philadelpho et Berenice, qui fuerint Ptolemaei *Λαγωοῦ* et Berenices Antigoni liberi. Qui lapsus tam immanis est, vt paene indignus sit etiam Tzetza. Nemo non mirabitur Theocritum, Aeantidem siue Apollonium Rhodium, Nicandrum, Aratum sic in vnam classem cum Homero et Lycophrone reiectos. [2]) De qua re in nostris Vitis Arati, Theocriti, Apollonii, Nicandri ne verbum quidem. Nimirum pro Tragicis ipsi ignotis bonus homo poetas ingessit in Pleiadem infantibus notos, Theocritum, alios. Illa ipsa arrogantia, qua alios ignorantiae insimulat, peritis sententiam hominis inanem ac falsam prodet. Eustathii verba mihi praebet A. Schottus Obss. Philolog. L. II. C. III. p. 36. (Hanou. 1615.), ad Od. *ἑ*. vs. 272. *Αἷς δὴ πλειάσιν ἓξ ἀστέρων, ἑπτὰ οὔσαις, δύο ὕστερον ὁμώνυμοι πλειάδες συνεξέλαμψαν. τραγικοί τε γάρ τινες ἑπτὰ λόγου πολλοῦ ἄξιοι, πλειὰς ἐλέγοντο, καὶ ἕτεροι δέ τινες ἄλλως σοφοὶ περιώνυμοι οὐχ ἥκιστα καὶ αὐτοί.* Audis hominem sententias diuersas, veram et recentiorem, falsam, Tzetzae, conciliare cupientem. Andr. Schottus non omisit, sed vt in tota hac disquisitione fecit, iudicio suo non interposito, Athenaei locum de Machone Lb. XIV. p. 664. A. ex quo Fabricius p.
3 318. H. collegit, etiam Comicorum Pleiadem fuisse, [3]) quod ex

---

2) Weichert, über Leben und Ged. des Ap. Rh. p. 89. cf. p. 49.

3) Heynius de Genio Saeculi Ptolemaeorum, in Opusc. Academ. Vol. I. pag. 97. „Tragici et Comici poetae Ptolemaeorum aetate fuere multi, e quibus adeo Pleias confecta est, Tragicorum quidem satis nota illa, forte tamen et alia Comicorum, vt ex Athenaeo (XIV. p. 654.) colligas.“ Non est pag. 654. sed 664. Is, qui de Jacobi Matteri opere Essai historique sur l'école d'Alexandrie, et coup

hoc quidem loco non sequitur. Machon, licet Comicus, cum Poetis Pleiadis, Tragicis Satyricisque conferri potuit ab Athenaeo. Voss. p. 217. fin. et 218. vbi septemviros secundum Tzetzam se memorare dicit, caeteros quidem enumerat, quos modo nos, sed pro Philico Callimachum nominat, quem ego non conspicio apud Tzetzam, sed illius ipsius Philici loco commemoratum video in codice Apollonii Rh. Matritensi ap. Harles. p. 318., certe Tzetzae aetatem non superante. Quod vero in hac causa Scholiastam Theocriti commemorant A. Schottus, et post Schottum Delrius *Προλεγ.* De Tragoedia Cap. vlt., Vossius p. 218. non longe ab init., Menag. ad Laert. p. 79. F. ed. Lond., Jos. Barnesius in Vita Theocr. in edit. Wart. I. p. XLII. sqq. (cf. Fabric. l. c. p. 663. sive p. 281. Harl., in nomine Aeantidae), quem dicunt pro Nicandro et Callimacho Tzetzae nominare Aeantidem et Philicum s. Philiscum, id nunc quidem mitto, qui edita scholia Theocriti aliquoties perlegerim vt istum locum reperirem; frustra. Schottus quidem haec, p. 36.: „Sic enim (*φιλίσκος*, quod reponendum putat Tzetzae) et Suidas appellat, qui et sex *σποράδην* recenset, quem lege in *Ὅμηρος*, et Theocriti Scholiasten.“ Praeterita ista Tzetzae Pleiade, de vnica veraque Pleiade nihil legi potest quod certius sit quam duplex in Scholiis ad Hephaestionem testimonium, vbi ad verba Hephaestionis haec: *Φίλικος δὲ ὁ Κερκυραῖος εἷς ὢν τῆς πλειάδος, ἑξαμέτρῳ* (choriambico) *συνέθηκεν ὅλον ποίημα* — primum p. 32. Pauw.: *Επτὰ γὰρ*

---

d'oeil comparatif sur la littérature grecque, depuis le temps d'Alexandre le grand etc. Parisiis a. 1820. duobus vol. 8. edito retulit in diario, quod inscr. Göttingische gel. Anz. 114. St. 15. Jul. 1820. — est autem is Rpf. — pag. 1135. haec habet: „Wenn der Verf. die Heynische Behauptung von der Comischen Plejas Alexandriens bezweifelt, so hat er nicht bedacht, dass Heyne Athenae. VI. p. 241. f. XIV. p. 664. a. für sich gebraucht habe, oder brauchen konnte.“ Was die erste Stelle helfen soll, ist schwer abzusehen. Heyne führte weislich nur die zweite, u. zwar nach Fabricii Vorgang, an: allein dass *μετὰ τὰς ἑπτά*, *μετὰ τὴν πλειάδα* eine nicht ungewöhnliche Zeitbestimmung war, weil jene 7 Epoche machten, sieht man auch aus den Sched. cr. pag. 3. fin. von mir beigebrachten Citaten aus Suid. und Eudocia.

λέγονται εἶναι τραγῳδοί· διὸ καὶ πλειὰς ὠνομάσθησαν· ὧν εἷς ἐστὶν οὗτος ὁ Φίλικος. ἐπὶ Πτολεμαίȣ δὲ γεγόνασιν ȣ῾τοι, ἄριστοι τραγικοί· εἰσὶ δὲ οὗτοι, Ομηρος νεώτερος, Σωσίθεος, Λυκόφρων, Αλέξανδρος, Φίλικος, Διονυσιάδης, Αἰαντιάδης. Et alter Scholiastes p. 93.: Επὶ τῶν χρόνων Πτολεμαίȣ τȣ̃ Φιλαδέλφȣ ἑπτὰ ἄριστοι γεγόνασι τραγικοὶ, ȣ῝ς πλειάδας ἐκάλεσαν, διὰ τὸ λαμπρȣ̀ς εἶναι ἐν τῇ τραγικῇ, ὥσπερ ἄστρα τὰ ἐν τῇ πλειάδι· εἰσὶ δὲ ȣ῾τοι· Ομηρος· οὐχ ὁ ποιητὴς, ἀλλ' υἱὸς Μυροῦς τῆς Βυζαντίας ποιητρίδος. καὶ Σωσίθεος, καὶ Λυκόφρων, καὶ Αλέξανδρος, καὶ Αἰαντιάδης, καὶ Σωσιφάνης, καὶ Φιλίσκος. Recepi a Pauwio p. 187. quae necessaria essent. Menagius l. l. p. 79. A. tacite ὁ Μηρȣ̃ς legit et πατρίδος et Αἰαντίδης et ut exhibuimus — Φιλίσκος. Octo vides Pleiadis poetas si vtrumque Scholiastam conciliare velis. Quis excludendus sit, non ita facile est dictu, quum vnicuique suus sit testis praeter Scholiastam Hephaestionis. Singulos videbimus.

Delrius Προλεγομ. De Tragoedia Cap. vlt. „Ex Sophoclis genere etiam alii duo Sophocles fuere. unus Aristonis F. — alter hoc posterior unus eorum quos, Pleiada Tragicam, nominarunt, qui quindecim tragoedias composuit.“ Sed hic non verendum est ne ordinem nostrum turbet: quem Suidas et Eudocia p. 384. μετὰ τὴν πλειάδα vixisse tradunt. Aut obiter inspexit Suidam aut non intellexit Delrius. 4)

4 A Suida ad Pleiadem refertur primum Sosiphanes ex lect. Kust. Delrius male: „Sosiphanes, quem ab aliis Sosiclem vocari reor.“ deceptus est Suidae loco. Deinde Sositheus, Syracusanus siue Atheniensis seu potius Alexandrinus. Non prorsus certae fidei in annis indicandis est Suidae testimo-

4) Boeckh. in libro quem inscripsit Die Staatshaush. der Athen. vol. II. pag. 360. fin. vbi ex inscriptione aliqua commemorat Sophoclem Sophoclis Athen. tragicum, non intelligendum esse ait Sophoclem magni poetae nepotem. » Vielmehr ist der jüngste der berühmten Athenischen Dichterfamilie zu verstehen, welcher nach der Pleias lebte. Suidas: Σοφοκλῆς Ἀθηναῖος, τραγικὸς καὶ λυρικός, ἀπόγονος τȣ̃ παλαιȣ̃ — — Die Pleias wird aber unter Ptolemäus II. Philadelphos gesetzt (Näke Sched. crit. S. 3.), dessen Regierung Olymp. 133, 2. endet. «

nium. Verum tamen Pearsonius hic v. *Σωσίθεος* recte, leui mutatione, pro *ρξδ'* restituit *ρκδ'*. Nam nimium quantum sibi ipsi contradiceret Suidas et omnibus qui Sositheum ad Pleiadem pertinere statuunt.

Corruptus ap. Lexicographum numerus fucum fecit Vossio De P. Gr. C. VIII. p. 219. et post Vossium aliis. Sositheus siue Syracusanus siue Atheniensis siue Alexandrinus Troade, Tragicus non diuersus fuit a Sositheo poeta, quem vocant, comico, ap. Diog. L. V. Cleanthis p. 205 et 6. Ld. Tragicum illum non diserte dicit Suidas, id quod facit Athenaeus, sed in Pleiade fuisse Homerique Tragici riualem. Tragicum prodit fragm. ex Aethlio ap. Stob. *Εἷς μυρίȣς ὄρνιθας ἀετὸς* (sic) *σοβεῖ, λαῶν τε δειλῶν πλῆθος εὖ τραφεὶς ἀνήρ.* Jam iis satisfaciendum erit, qui quomodo versus ap. Diog. ille, *Οὓς ἡ Κλεάνθȣς μωρία βοηλατεῖ*, aperte scilicet ex Comoedia depromtus, ad Sositheum referri possit Tragicum, quaerant. Ego quod alicui subuenire possit, vt dicat Sosithei temporibus fines generum poeseos non amplius fuisse ita distinctos, quin Sositheus Tragoediarum et Satyrorum tragicorum auctor, idem et Comoediam scribere potuerit, id pluribus de causis non adhibeo; versum ex comoedia Sosithei depromtum nego. Alius toti Diogenis narrationi fidem detractum ibit, qui reuera fabulas quasdam propagauit, et omnem historiam ad similitudinem historiae de Socrate narratae ab Aeliano V. H. II. XIII. effictam dicet. Patent aliae viae. Equidem quoties Diogenis verba legi, mecum quaesiui, quid tandem adigat, vt versum illum e scena per histrionem in Cleanthem putes iactum fuisse. Quem potius a Sositheo ipso ex tempore factum pronuntiatumque mihi magis magisque persuadetur, maxime respicienti verba: *Σωσιθέȣ τȣ̃ ποιητȣ̃ ἐν θεάτρῳ* (hoc quidem, *ἐν θεάτρῳ*, ambiguum) *εἰπόντος πρὸς αὐτὸν παρόντα*, et magis etiam, si considero sequentia, *ἐπὶ τῇ τυχȣ́σῃ βλασφημίᾳ*, quae opponitur meditatae ac sollemni irrisioni deorum, Bacchi et Herculis. Hoc quoque quod poeta sese excusasse narratur, melius conuenit iniuriae subitae et privatae quam publice e scena illatae. Cf. qui Diogenem excerpsit, Hesychium Illust. De Viris Claris p. 32. Antu. Videtur vero Sositheus, quum istud diceret, ante oculos habuisse et deflexisse versum nescio cuius poetae

dramatici. *Βοηλατεῖν* sensu proprio dixit Lycophro vs. 816. et ex Aristophane annotauit Pollux. Haec ita sunto. Tu hoc tantum animaduerte quam scite responsione illa ap. Diog. Sositheum, Satyricum poetam, carpat Philosophus, Baccho et Hercule commemoratis. Sosithei Lytiersam qui negarit ab Alexandrino (debuerat dici: Alexandrini aeui poeta) potuisse proficisci, nae ille nimis contemtim de Alexandrinis poetis senserit. [5]) Ad Daphnidem Sosithei illud quoque refero quod Schol. Theocr. ad Id. VIII. 93. p. 177. Wart. Sositheum hunc veteris Satyricae pariter ac Tragoediae restitutorem atque vindicem celebrat Dioscorides XXIX. p. 501. T. I. Br. vbi Jacobsius Anim. I. II. p. 397. imponi sibi passus est vt Sositheum Alexandrinum ab Atheniensi distingueret, qui vnus idemque, vt indicatum est, patria solum incerta. Neque Alexandriae in Aegypto vixit, sed magnam partem Athenis, quod ex Diogene Laertio colligere est et forsitan ex illo ipso Dioscoride. Carmen elegans sed impeditum adscribam, ex mea qualicumque coniectura.

Κὴγὼ Σωσιθέϐ κομέω νέκυν, ὅσσον ἐν ἄστει
  ἄλλου ὕπ' αὐθαίμων ἡμετέρων Σοφοκλῆς·
Σκίρτος ὁ πυῤῥογένειος. ἐκισσοφόρησε γὰρ ὡ'νὴρ
  ἄξια, Φλιασίων ναὶ μὰ χορὸς Σατύρων,
κἠμὲ, τὸν ἐν καινοῖς τεθραμμένον ἤθεσιν ἤδη,
  ἤγαγεν εἰς σκηνὴν πατρίδ' ἀναρχαΐσας·
καὶ πάλιν εἰςώρμησα τὸν ἄρσενα Δωρίδι Μϐσῃ
  ῥυθμόν· πρὸς δ' αὐδὴν ἑλκόμενος μεγάλην
εὔαδεν ἡρώων τύπος ϐχ ἑνί, καινοτομηθεὶς
  τῇ φιλοκινδύνῳ φροντίδι Σωσιθέϐ.

ϐχ ἑνί, non vni, sed multis, omnibus. [6]) Satyrus loquitur, quod euincitur vs. 3. *Σκίρτος ὁ π.*: in praecedente quod vt cum hoc nostro etiam aliis vt mihi cohaerere videatur meo iure postulo, epigrammate in Sophoclem non Bacchus loquutus fuerat, in quem nec versus 4. 5. 6. neque 7. quadrarent, sed vnus ex

---

5) Hoc contra Jacobsium ad Dioscor. locum, quem statim laudo.

6) *οὐχ ἕνα* Apoll. Rh. IV. 498. Nicaenetus (Anal. T. I. p. 417.) IV. 3. Cf. Greg. Cor. p. 56 Schaef. Callim. h. Io. 89. (h. Deli 192.) Call. h. Di. 33.

choro tragico secum habens virginem, non vero *Κηληδόνα*. Vs. secundo scripsi quod et legi posset et ad Vaticanum quam proxime accederet, neque recto sermoni repugnaret, repugnat vero Brunckii: *ἄλλος ἀπ' αὐθαίμων*.7) Supplend. est *ὅσσον* — *Σοφ. κομεῖται*. Possis et *ἀλλόσ'*: syllabae enim finales vocabulis addi solitae ad rationem loci indicandam saepe permutant significationem. praestat *ἄλλυ*. *αὔθαιμοι* praeclare appellantur chori tragici personae et satyrici. Quod de vs. 2. idem et de invento meo, *σκηνήν*, dictum esto. Vulgata ferri poterit si cum Brunckio interpungas ante *πατρίδ'*. Sensus: me in memoriam reduxit sc. hominibus; quam apte, Brunckius viderit. Enimvero non hoc efficiendum erat, vt Satyrus aliis in memoriam reuocaretur, sed vt ipse, iam *ἐν καινοῖς ἤθεσι τεθραμμένος*, rursus recordaretur prisci moris, id quod in verbis *ἤγαγεν εἰς μνήμην* vix inesse potest. *εἰς μνήμην* autem etiamsi memoria aliorum hominum intelligatur, obscurum est et nimis nude dictum. Pro *πάλιν* Vat.: *πόλιν*. Porro cum Brunckio scripsi *ἩΡΩΩΝ*, quod vndecumque illatum fuerit, a vestigiis codicis, *ΟΙΕΡCΩΝ*, si litteras rimeris, non nimis distat. Ad heroes vero quam ad Satyros malui *μεγάλην αὐδὴν* referre, quare *δ'* posui pro *τ'*. *ἑλκόμενος* egregie de graui lentoque heroum incessu, sensu hono- 6
rifico; alibi idem verbum et latinum trahere de incessu ob infirmitatem lento, ob senium, Eur. Phoen. 311, vel ob ebrietatem, ap. Prop. I. III. 9. quae loca inter se iam alii comparauerunt. Non abludit quem Valckenarius addit, Apuleius. Ad vocem *τύπος* memineram Aeschyli: *Ἱππομέδοντος σχῆμα καὶ μέγας τύπος*. Restabat difficillimum, *ὁ χερὶ καινοτομηθείς*. Fatendum est, vulgatam post *ἡρώων* receptum, sensum quemdam fundere: Placuit et sese commendauit forma heroum

---

7) Schneid. ad Orph. Arg. 183. (184. Hrm.) et Hrm. ad 93. Theocr.: *Εἷς ἀπὸ τῶν πολλῶν εἰμι Συρηκοσίων*. Alieni sunt ab hac caussa Arg. 773. 952. Hrm. et Apol. Rh. III. 908 913. Callim. Fragmenti LXXI. versum 6. male vertit Bentl. Haec, *δαιτ. ἄπο μ.*, explicatio sunt verborum *ἐκτὸς μελάθρου*. Ead. ratione Soph. Phil. 183. — *Χωρὶς ἀπ' ἀνθρώπων* Poeta, quem Callim. esse coniicit Hemst. ad Call. Fr. XIX. — Musaeus v. 32.

non recens fabricata sed genuina et prisca menti Sosithei. Sed tunc χερὶ vehementer et languet et ab alia parte offendit: τύπος enim vix bene dicitur manu καινοτομηθείς. Atque tunc elogium auctoris desideratur, quale in superiori epigr. Sophoclis, et quod in mea lectione inest, in qua, vt de facilitate emendationis taceam, illud, εὔαδεν οὐχ ἑνὶ egregie respondet epitheto φιλοκινδύνῳ: feliciter cesserat Sositheo audax inuentio s. restitutio prisci moris. Idem verbum καινοτομῶν ap. eumdem poetam, Ep. XVI. 8)

---

8) καινοτ. Plutarch. V. Lysandri c. XXV. De Dioscoridis epigr. cf. Jacobs. in Addend. T. XII. Anthol. p. 450. [De eodem quae G. Hermannus disputat in Epist. not. 34. a Naekio laudata licebit hic exscribere: »De Dioscoridis epigrammate vereor ut aliis magis quam mihi pesuasurus sis. Primos versus ego in illa ad Beckium epistola omisi, quod de lectione dubitabam, in tertio quidem versu, non in secundo, in quo, si quidquam, sincerum puto, quod Brunckius dedit, ἄλλος et Σοφοκλῆν. Nam quae tu proponis, vide ne longius ab epigrammaticae poeseos elegantia recedant In tertio versu dubitabam de nomine σκίρτος. Defendi poterit ita, ut pro diminutivo habeatur. In epitheto πυῤῥογένειος autem Jacobsium errasse video. Quid enim rufam barbam in statua commemorari attinebat? Immo intelligenda est persona, quam Pollux IV, 142 Σάτυρον ἀγένειον vocatam dicit, in quam apprime illud a iuvenili lascivia ductum nomen σκίρτος quadrat. Πυῤῥὸς enim dicitur, cui prima lanugo crescit. Vide Valck. ad Theocr. Adon. p. 409. De reliquis epigrammatis versibus idem mihi in tuis coniecturis accidit, quod tibi in meis: nihil muto, sed, ut abitror, iure meliori. Nam et aliquanto pauciora, et leniora, et in quibus nihil offendas, a me proposita sunt. Ipse videas. Ἤγαγεν εἰς μνήμην quare mutetur, nulla caussa est, et ipse tuae coniecturae diffidere videris. Idem fateberis de particula τέ. Tum quod tu reponis, εὔαδεν ἡρώων τύπος οὐχ ἑνί, vel propterea dubitationi obnoxium est, quia μοι extrusum est; magis autem propter οὐχ ἑνί. Nam ut hoc totum, populo placuisse Sosithei fabulas, hic apte commemoretur, quod equidem nego, quis, obsecro, quod simpliciter infiniteque εὔαδε dicendum erat, male autem vel addito πᾶσι diceretur, id etiam οὐχ ἑνὶ εὔαδε dicat, quo me iudice nihil potuit frigidius inveniri. Contra quid in hoc reprehendatur, εὔαδέ μοι θύρσων τύπος ἐν χερί, non video.

Huschkii de carmine Dioscoridis in Sophoclis tumulum disquisitio in Analectis Crit. Cap. I. memoriam mihi attulit alius poetae. Breue sed insigne Simonideae venustatis atque simplicitatis documentum versus apud Athen. XIII. p. 604. 9) Ἄμετρος ille etiam apud Bentleium ad Hor. III. III. 12. ita legendus est:

Πορφυρέου στόματος ἱεῖσα φωνὰν παρθένος. Jambelegus est.

Haec quum scripsissem, primum in notitiam meam venit Hermanni Epistola in Commentariis Soc. Philol. Lips. V. I. P. II. p. 245, Discoridem quoque tractans, quae adhuc quidem non effecit, vt aliquid in his quae disputaui, retractandum censeam. Plura non attigit Hermannus, quae exspectaueram. De istis, εἰς μνήμην, fortasse iusto subtilius disputasse videbor.

De Daphnide Sosithei quod supra apposui Scholiastae ad Theocr. VIII. testimonium, id nunc auctum do Argumento eiusd. Idyllii ap. Valck. p. 11.

Tertium inter Pleiadis poetas nominare liceat Homerum, Andromachi et Myrus Byzantiae F., in cuius statuam elogium scripsisse Christodorum annotat Kusterus. Est in Brunckii An. II. p. 471. vs. 407. sqq. Numerum centenarium Suidae v. Ὅμηρος restituit Potterus quoque ad Tzetzae Prooemium, et variantem tragoediarum numerum annotauit. Ego vero hos poetas enumero, prout sese mihi obtulerunt, non ordinem litterarum Lexicographi sequutus. Quartum obtineat Alexander Aetolus Pleuronius Tragicus. Huius haud dubie est versus ap. Stobaeum Serm. LXV. Ὅτι κάλλ. γάμος, p. 411. ed. Tigur. 1559. Ταμιεῖον ἀρετῆς ἐστι γενναία γυνή, Euripide vel Euripidea aetate dignus. Editio quam dixi, Tig.: Ταμεῖον. Versui 466. inter 7
monosticha gnomica, qui ex hoc Alexandri factus est, ταμιεῖον restituit Brunckius p. 348. haud dubie ante oculos habens Bentleii Emend. in Menandr. p. 72. et Thucydidis interpretes ad I. 96. fin. qui laudantur ad Hesychium, cf. Suid. Qui laudantur ad Thucydidem, apud eos negari non potest codices nostrae lectioni

9) Conferri ibi potest Epitomator Athenaei ap. Schweigh. Vol. VII. p. 276. sed nihil inde profeceris. Retinet ille ἀπό, omittit παρθένος.

fauere. In Phoenicidis fragmento, quem indicat Stephanus in Thes., ap. Ath. X. 415. E. etiam Basileensis: *Μέχρις ἂν διδῷ τις, ἢ λάθη διαῤῥαγεὶς, Τοιῦτ' ἔχει ταμεῖον ὥσπερ οἰκίαι.* Sed singuli nihil impediunt. v. Pors. ad Eur. p. 139. Glossatoris a Duckero commemorati discrimen inter *ταμεῖον* et *ταμιεῖον* consensu antiquitatis non confirmatur. Hoc certum esse videtur Alexandrum metaphoram non ab aerario sed a cella penuaria petiisse. In *Ὑποθέσει* octaui Theocriti carminis ap. Valck. p. 11. *Ἀλέξανδρος δὲ φησὶν ὁ Αἰτωλὸς, ὑπὸ Δάφνιδος μαθεῖν Μαρσύαν τὴν λυρικήν.* In iis quae de hoc poeta scripsit Harlesius V. II. p. 283. humani aliquid passus est, confuso cum nomine poetae nomine fabulae Euripideae: nam de Alexandro, Euripidis dramate, agit Valck. Diatr. 147 sq. Idem Harles. ad eumdem Alexandrum refert Ciceronis locos ad Attic. II. XXII. fin. et XX. fin. Praeiuerat Fabricius Lib. V. cap. 45. Vol. X. p. 474. „De Alexandro Aetolo intellexerim verba Ciceronis II. 22. ad Atticum, libros Alexandri negligentis hominis et non boni Poëtae, sed tamen non inutilis tibi remisi." Superius epist. XX. A Vibio libros accepi. poëta ineptus: nec tamen scit nihil: et est non inutilis. describo et remitto. Indignum et Cicerone et Alexandro iudicium, cuius, egregii poetae, vt Macrobius dicit, *νέας ὅρπηκας ἐλαίης* Coronae suae intexendos crediderat Meleager. vtinam plures superessent! [10]) Sed verum iam Vossius vidit de P. Gr. Cap. VIII. p. 219. b. (edit. qua semper vtor, Amst. 1696.); cf. Graeuium ad vtrumque Cic. locum T. I. p. 266. et 272. Cicero de Alexandro Ephesio, cui cognomen Lychno, loquitur. Cuius meminit et Strabo et, nunc Alexandri, nunc Alexandri Ephesii nomine Stephanus Byz.; semel Lychnum appellat v. *Ταπροβάνη* (p. 696. ed. 1694. p. 634. Pined.) — *Ἀλέξανδρος, ὁ καὶ Λύχνος, Νῆσος τετράπλευρος, ἁλιστέφανος Ταπροβάνη,*
Θηρονόμος πέπληθεν ἐῤῥίνων ἐλεφάντων. Graeuius l. l.

---

10) De A. Aetoli Musis exstat testimonium Seruii ad Aen. XI. 532., quod nunc non memini an apud Harlesium legatur. Continet vero laudes poetae illius. De quo v. quae scribit Brunckius Lectt. in Vol. I. Analect. p. 98.

p. 272. hunc Alexandrum res coelestes, ac orbis terrae partes descripsisse dicit, auctore non nominato. De Cosmographia res nota est, sed etiam de astronomico opere mihi persuasissimum est, qui sciam Alexandrum Ephesium inter eos fuisse, qui Aratum illustrauerint; v. Fabr. Vol. II. p. 454. ed. vet. [11]) Quod inter eosdem Alexander Aetolus enumeratur, eo nihil aliud videtur indicari, quam hoc, Alexandrum Aetolum alicubi aliquod de Arato testimonium edidisse. Nec magis quod 8
de Ephesio ibi traditur, de commentario in Aratum intelligendum est, sed de opere *ἐμμέτρῳ* simili Phaenomenis. Cuius operis fragmentum exstat apud Heraclitum Allegor. Hom. p. 45. Schow. Et hoc ipsum fragmentum pars est maioris, quod tamquam Alexandri Aetoli circumfertur a Theone Smyrnaeo in Libro *περὶ τῶν εἰς τὸ μαθηματικὸν χρησίμων* seruatum, nuper tamquam ineditum a Schneidero Commentarior. ad Vitruuium Parte I.

---

11) *Οἱ περὶ τοῦ Ἀράτου συνταξάμενοι* enumerantur in edit. Arati Oxon. 1672. in fine Arati. Vidi, eosdem esse, quos Fabric. enumerat l. l. exceptis Critolao, Laso, Mariano, Sporo, Zenodoto, quos aliunde addidit Fabricius. Parmenides videtur antiquus ille poeta philosophus esse, qui eodem iure, quo Thales, inter *τοὺς περὶ Ἀράτου συνταξαμένους* locum obtinet. In hoc, quem editio Ox. habet, catalogo: *Εὐαίνετος ἕτερος*. Fabric. male: Evenaeti duo. — In Arati Vita, ab Iriarte Vol. I. p. 201. e cod. Matr. LXI. edita (inserta Vol. II. Arati Buhl. p. 442. et 43.) enumerantur, qui *φαινόμενα ἔγραψαν*, hi: Cleopatres, Sminthes, Alexander Aetolus, Alexander Ephesius, Alexander Lycaïtes, Anacreon, Artemidorus, Hipparchus, »*καὶ ἄλλοι πολλοί*.« Addit: *ἀλλ' ὅμως πάντων λαμπρότερον ὁ Ἄρατος ἔγραψεν*. Si Phaenomena scripsisset Alexander Aetolus, etiam magis, quam Aratus, historicum et fabularum enarratorem acturus fuisset, astronomum non magis quam Aratus. Sed Alexandrum Aetolum Phaenomena scripsisse, ego tum credam, quum Anacreontem Phaenomena scripsisse crediturus sum. — Sapientius auctor Vitae a Victorio primum editae (Vol. II. Buhl. p. 429—441.) hos Phaenomenorum auctores enumerat: Eudoxum Cnidium, Lasum Magnetem, Hermippum, Hegesianactem, Aristophanem Byzantinum, »*καὶ ἄλλοι πολλοί· ὧν καὶ Πτολεμαῖος μέμνηται* — Iam addit Ptolemaei regis in Aratum epigramma. Communem reliquis errorem etiam Oruillius errauit Vann. cr. p. 386.

pag. 23. prolatum, sed multo antea ac primum a Galeo Addend. ad Parthenium pag. 49. 50. 51. editum, qui illud — e l e g a n t i s s i m a c a r m i n a vocat — in Notis ad Parth. p. 131. promiserat lectori. Quod vt eripiam Aetolo, vindicem Ephesio, haec omnia commemoraui. Fabricius de Aetolo scribens: „Ex Musis eius petitos puto versus de planetis, quos edidit Thomas Galeus ad Parthenium p. 149. sq. et Chalcidius p. 155. perperam tribuit Alexandro Polyhistori.“ In quibus duplex est error, primum, quod ex Musis Aetoli depromti esse perhibentur versus heroici, quum, vt ex Macrobio abunde constat, *Μοῦσαι* Alexandri carmine elegiaco scriptae fuerint et longe alio, quam astronomico argumento fuisse videantur; deinde quod Aetolo tribuuntur versus, qui Ephesii. Aetolo quidem tribuuntur a Theone, sed huius auctoritatem certe aequat Heraclitus: rem conficit Chalcidius, qui illos tribuit Alexandro M i l e s i o, quod vel ortum corrupta lectione E p h e s i o vel ex confusione Alexandri Ephesii cum A. Milesio Polyhistore. Etiam alibi A l e x. A e t o l u s alius Alexandri nomen extrusit: v. Steph. Byz., v. *Πανδοσία*, ubi *Μολοττὸς* reponend. haud dubie. *μουσικώτατος* vero maiori quidem iure Alex. Aetolus, sed a Theone etiam Alex. Ephesius appellari poterat. Haec quidem externa, quae vocant, argumenta. Accedunt grauiora si potest, vt solent esse grauiora, interna. Versus isti, non valde elegantes, indigni sunt Alexandro Aetolo, et ob argumentum alienum, quantum quidem ex caeteris eiusdem operibus et reliquiis colligere est, ab indole huius poetae, et ob dictionem; immo ob vnam vocem *κόσμου* in vs. postremo. Hi enim vss. 26. et 26. ap. Gal. et Schneid.:

τοίνυν (immo *τοίην*!) *τοι σειρὴν ὁ Διὸς παῖς ἥρμοσεν Ἑρμῆς*
ἑπτάτονον κίθαριν, θεομήτορος εἰκόνα κόσμου.

σειρῆν' ingeniose Schneiderus p. 24. quod adiuuat quodammodo Heraclitus pag. 44. Sch. Malim vero *σειρῆνα Δ.*: nisi c i t h a r a m M e r c u r i i *σειρὴν* appellatam esse velis propter seriem et quasi catenam chordarum sese excipientium. Nouisti, erudite lector, allegoricum s. mysticum vocis *σειρὴ* vsum ap. recentiores, deductum ab Homero, ex Procli hymnis. Poesin graecam vt multis aliis modis ita etiam in duas partes diuidi pos-
9 se arbitror, ratione sermonis poetici, quarum vnam a l t i o-

rem s. floridiorem, seu a plurimis in hoc genere operibus, historicam sensu latiori, alteram vulgarem seu a potiori didacticam philosophicamue vocare nunc liceat. Illa quam historicam dixi latiori sensu, praeter Homerum Hesiodumque poetas epicos vel epicis cognatos (hexameter vero non solus facit epicum) velut Cyclicos, Antimachum, Alexandrinos, Callimachum, Aratum, Apollonium, Bucolicos, Nicandrum, Dionysium, Oppianum, Quintum, tum Elegiacos, Lyricos quoque, Archilochum et Dramaticos et antiquissima Epigrammata complectitur. Haec vero, vulgaris, ea poemata, quae ad orationem prosam communis vitae propius accedunt. Hoc vero ipsum genus duplex est, et partim eos continet, qui quum integras disciplinas philosophicas vel dogmata philosophica versibus includerent, nomina quoque rerum ex prosa philosophiae oratione recipere non sunt dedignati, e. g. Parmenides, Empedocles, Manetho, Pseudo-Orphei, Proclus Lycius in hymnis, alii; partim eos, maxime recentiores, qui quum leuia et extemporalia epigrammata effunderent in res vita obuias, dictiones quoque communis vitae euitare noluerunt. Sufficiant haec quasi lineamenta ad adumbrandam sententiam meam quam vberius et ita exponere vt omnes omnino poetas in duas classes distribuam, non est huius loci. Etenim non vereor, ne sit qui perperam verba mea intelligat, veluti si quis negare velit Empedoclem recte opponi Arato tamquam alius generis scriptorem. Quod tamen recte fieri manifestum est. Aratus non dubito quin potissimam laudis suae partem in versibus epicis posuerit et in culto sermone, possemque hoc ex origine carminis probare. In Parmenidis, Empedoclis, certe plurimis operibus et primariis systema philosophicum res longe grauissima fuit; [12]) versus res secundaria et

---

12) Aristot. Poet. I. *οὐδὲν δὲ κοινόν ἐστιν Ὁμήρῳ καὶ Ἐμπεδοκλεῖ, πλὴν τὸ μέτρον, δι' ὃ τὸν μὲν — τὸν δὲ φυσιολόγον μᾶλλον ἢ ποιητήν.* Plutarch. de audiendis po. pag. 62. Vol. VII. Tub. *τὰ δ' Ἐμπεδοκλέους ἔπη καὶ Παρμενίδου, καὶ Θηριακὰ Νικάνδρου, καὶ γνωμολογίαι Θεόγνιδος, λόγοι εἰσὶ κεχρημένοι παρὰ ποιητικῆς, ὥσπερ ὄχημα, τὸν ὄγκον καὶ τὸ μέτρον, ἵνα τὸ πεζὸν διαφύγωσιν.* Empedocli et Parmenidi Nicandrum et Theognidem componit,

nullius momenti, quibus sublatis nihil vel parum damni totum opus passurum fuisset. Sed commendauerat sese et communis antiquissimis Philosophis Physicisque, immo necessaria erat forma poetica, quasi vestis quaedam atque inuolucrum. Etiam Lucretius, licet enim hunc quoque in hanc rem afferre etsi Romanum, qui haud dubie vir ingenio valde poetico carminis sui imaginem pariter ac Empedocles poetico quodam feruore complexus est, Lucretius passim, veluti in exordio operis, diuinus poeta, alibi sermonem habet pedestrem qui sapit scholam philosophicam vel vitam communem. Versus scripsit, sed non sermone poetico. Quod illi non vertimus vitio: suum ille finem assequutus est. Ea ipsa vox quae in hanc obseruationem nos adduxit, exemplo esto clarissimo. Valckenarius ad Call. Fr. p. 83. „*ἐν ἠέρι. ἀὴρ, αἰθὴρ, ὀυρανὸς, κόσμος* in talibus solent a Poëtis frequentari:“ In his, si verba rimamur, aliquid falsi inest. Licet autem
10 Valckenarii magis quam aliorum verba rimari. *Κόσμος* apud Homerum Hesiodumque et quos altioris sermonis dico, apud Epicos, Alexandrinos, Oppianum, etiam (quantum memini, confido vero me probe meminisse,) apud Quintum, denique apud Tragicos etc. haec duo significat, mundum i. e. ornatum muliebrem (sed alium quoque velut ap. Callim. Fr. CXXII. p. 490.) et ordinem (*κοσμήτορε λαῶν*) s. decorem, maxime in dicendo, *τάξιν, εὐπρέπειαν* vt bene Suid. [13]) Ac profecto antiquissimi poetae ne potuere quidem complexum rerum terrestrium ac coelestium vel coelum *κόσμον* dicere, quandoquidem per Pythagoram demum hanc significationem vocis illatam fuisse demonstrat Bentleius Resp. ad Boyl. p. 347. 8. Lips. cf. Addend. pag. 445. 6. Post Pythagoram eamdem significationem frequentauere Philosophi et alii prosae orationis scriptores: historici rarius, vt fert rei natura, saepius qui philosophicas res

---

bene pro sua ille sententia. Agit enim de rebus. Proxime praecedunt haec: *θυσίας μὲν γὰρ ἀχόρους καὶ ἀναύλους ἴσμεν, οὐκ ἴσμεν δὲ ἄμυθον, οὐδὲ ἀψευδῆ ποίησιν.* Ego de poetarum sermone loquor. De poetis didasc. Wolf. Prolegg. ad Hom. p. 127—28.

13) Philetas Fr. IV, 3. Anal. T. II. p. 523. *ἐπέων κόσμον.*

physicasue attigerunt. De Philosophis quod dixi per se probabile est neque exigit res vt exemplis agatur. Stoicos sic κόσμον vsurpasse et alios recte colligitur ex Diogene Laertio in Zenone, ex Plutarcho de Placitis Philos. lib. II. Idem fecisse, vt vnum certe antiquiorum nominem praeter Timaeum Locrum Pythagoraeum, cuius nomine libellus exstat περὶ ψυχᾶς κόσμω καὶ φύσιος, Heraclitum Ephesium probabile est ex eius fragmentis. Fecit Anaxagoras, si eiusdem verba genuina conseruauit Philo p. 939. B. ed. 1691. Fecisse scimus Platonem, in Timaeo: ὁ δὴ πᾶς οὐρανὸς, ἢ κόσμος, ἢ καὶ ἄλλο κ. τ. λ. quae expressit Cicero De Uniu. 2. Omne igitur coelum, siue mundus, — et in seqq. pag. 40. A. νείμας περὶ πάντα κύκλῳ τὸν ὀυρανὸν, κόσμον ἀληθινὸν αὐτῷ πεποικιλμένον εἶναι καθ' ὅλον. cf. Cic. 10. — vt hunc hac varietate distinctum bene Graeci κόσμον, nos lucentem mundum nominaremus. Cf. in Critia extrema To. III. p. 121. et, vbi causa nominis refertur, Gorgiam To. I. p. 508. A. Fecit Xenophon Mem. I. I. 11. loco memorabili, ex quo patet, κόσμον loquutionem technicam, quam nos vocamus, i. e. disciplinae philosophicae et physicae propriam ab initio fuisse diuque mansisse. ibi Ernesto laudatur Photius Bibl. Cod. 659.: immo est CCLIX. pag. 1317. Roth. excerptum ex vita Pythagorae nec Bentleio neglecta. Fecit etiam Isocrates Paneg. Cp. XLVIII. ita vt coelum solum intelligeret, fecerunt denique recentiores pros. omnes. 14) Sed inter poetas

14) Aristot. de Mundo Cap. VI. p. 1218. ed. Aur. Allobr. T. II. κόσμον δ' ἐτύμως τὸ σύμπαν, ἀλλ' ὀυκ ἀκοσμίαν ὀνομάσαις ἄν. Cf. eumdem lib. Cap. II. init. p. 1203. Eustath. ad Il. I. 16. κόσμος γὰρ ἡ τάξις, ἐκ τοῦ κομῶ τὸ ἐπιμελοῦμαι· ἀφ' οὗ καὶ ὁ πάντων περιεκτικὸς κόσμος, ὃν εὐτάκτως ἡ πρόνοια ἔταξεν. Sed hunc Eustathii locum superius adscribere debebam ad lineam 5. huius paginae. εἰς ἕτερον κόσμον Plut. de Defectu Orac. Vol. IX. Hutt. pag. 334. et πλειόνων κόσμων ibid. pag. 343. Incido in Demosthenis locum, Orat. Funeb. Vol. II. Oratt. Reisk. pag. 1396. 15: ὥσπερ γὰρ εἴ τις ἐκ τοῦ καθεστηκότος κόσμου τὸ φῶς ἐξέλοι, — vbi H. Wolf. confert Cic. in Laelio: Solem e mundo tollere videntur, qui amicitiam etc. Alterum locum suppeditat Reiskii Index Graecit. Est is in Orat. II. adu. Aristogit. Vol. I. pag. 808.

primus, quod ego norim, Parmenides *κόσμον* philosophico sensu dicit, qui „minus bonis quamquam versibus, sed illis versibus“ (verba Ciceronis Quaest. Ac. II. XXIII. Goerenz.) de rerum natura scripsit. Ac primum quidem ex fragmento ap. Stob. et Plut. de Plac. Phil. I. XXV. p. 386. T. XII. Tubing., apud Fulleborn. p. 102. (in Symbolis ad historiam philosophiae Partic. VI.), nihil colligendum est, in quo vocab. *κοσμοποιὸν* non a Parmeni-
11 de, sed a serioribus adhibitum est, quo antiquioris mentem explicarent. Id saepe fecit Plutarchus, veluti eod. libro II. 1. notante Bentleio, vbi de Thalete, et saepius. In alio loco, p. 82. Fulleb. vs. 114. *διάκοσμον* ordinem, institutionem dixit. quae ego primo adspectu sic administranda esse coniiciebam :

ἀντία νὺξ τέταται πυκινὸν δέμας ἐμβριθές τε.
Τῶν σοὶ ἐγὼ κατὰ κόσμον ἐοικότα πάντα φατίζω.

Ap. Simplicium fol. 9. a.: *ἀντία νυκτάδα ἠδὲ πυκνὸν* — versus haud dubie causa, non *πυκινόν*, editum est, quod notare omisit Fulleb. Sed potest *διάκοσμον* teneri. Quod autem pag. 92, vs. 140. ex Clemente Alex. Str. V. p. 228. ed. Flor. (653. Pott.) dedit Fulleb. *Οὔτε σκιδνάμενον πάντῃ πάντως κατὰ κόσμον.* (v. 139. l. *ἀπολλήξει*) *Οὔτε συνιστάμενον*, de *κόσμῳ* mundo, philosophice, intelligi licet. Sequitur Empedocles. Vide Physicor. Lib. III. vs. 298. 9. in collectione Sturzii pag. 526.

ἀλλὰ φρὴν ἱερὴ καὶ ἀθέςφατος ἔπλετο μοῦνον,
φροντίσι κόσμον ἅπαντα καταΐσσουσα θοῇσιν.

In alio loco dubium est an non scripserit *κόσμον* Empedocles. Versus est 97. libri 1. cf. vs. 40., *ἄλλοτε μὲν Φιλότητι συνερχόμεν' εἰς ἕνα κόσμον*, vbi var. l. *εἰς ἓν ἅπαντα* 15) certe tantumdem habet aucto-

---

18. *ἐπεὶ καὶ τὸν ὅλον κόσμον, καὶ τὰ θεῖα, καὶ τὰς καλουμένας ὥρας, νόμος καὶ τάξις, — διοικεῖν φαίνεται.* Sed vtramque orationem sunt, qui non Demosthenis esse putent. An et ille vocis *κόσμος* vsus sophistam auctorem prodit? Reiskii Index Graecit. plures Demosthenis locos offert, in quibus *κόσμος* antiquo vsu, sed, praeter eos, quos commemoraui, nullum, vbi mundum, sensu recentiori, significet.

15) Sic bis Cod. Taurin. apud A. Peyron. p. 47. Ibidem bis *ἀκίνητοι* ex eod. Cod. Sed sic, *ἀ—οι*, et Simplic. ad Arist. Physica

ritatis. In proximo seqq. lege — *διαμπερὲς ὁδ.μά* (quam vocem etiam Anacreonti recte restituerunt Od. LXIII.) *λήγει*, — *ἀκίνητον κατὰ κύκλον*. De tertio loco etiam maior est dubitatio. Haec enim verba: *τὸν κόσμον τοῦτον οὔτε τις θεῶν, οὔτε τις ἀνθρώπων ἐποίησεν, ἀλλ' ἦν ἀεί*, Simplicium ad Aristot. de coelo 1. fol. 68. b. sequutus, in versus refingere studuit et Empedocli tribuit Sturzius, his additis p. 543. „Possit autem quis putare, non ea Empedoclis esse, sed Heracliti. Certe hic ap. Clementem Alexandr. stromm. 5, p. 599. fere eadem dixisse legitur.“ Non solum apud Clementem p. 599. (p. 711. Pott.) sed etiam ap. Plut. De animae procreat. Cp. V. pag. 290. To. XIII. Tubing. Ego vero Simplicium quoque, postquam inspexi, vidi non aliter intelligi posse, quam ita vt verba ista tamquam Heracliti, non Empedoclis, allegasse censeatur. In versu a Sturzio efficto p. 514. *οὔτε θεῶν τις κόσμον ἐποίησ' οὔτε τις ἀνδρῶν, ἀλλ' ἦν αἰεὶ* — *ἐποίησ'* duriores numeros efficit. Empedocles, si hoc dicere voluisset, voce *κόσμον* paullo altius remota fortasse sic scripturus fuisset *ὁμηρικῶς*: — *οὔτις ἔτευξεν Οὔτε θεῶν μακάρων οὔτε θνητῶν ἀνθρώπων*. Vt *ἐποίησ'* in Empedocle feramus, certe non erat cur *οὔτ' ἀνθρώπων* mutaret St. Maiori iure dubitat quin alter versus ita inceperit: *ἀλλ' ἦν αἰεί*. fortasse Empedocles daturus fuisset: *ἀλλ' ἦν ἀΐδιος*, [16]) qua

---

lib. VIII. fol. 258. a. ed. Ald. 1526. Ibi legitur et *οὐδ' ἅμα*. Cod. Taur. *οὐδαμȣ̃*. Quum Sturzii Empedoclea non sint penes me, teram autem Simplicii in Aristotelis Physica Commentarios, age alium inde describam Empedoclis locum, vbi itidem *εἰς ἓν ἅπαντα*. Igitur Simplicius in lib. VIII. in Aristot. Phys. fol. 258. a. fin.: — *ἐμπεδοκλῆς φησι τάδε γράφων· τȣ̃τον μὲν βροτέων μελέων ἀριδείκετον ὄγκον. ἄλλοτε μὲν φιλότητι συνερχόμεν' εἰς ἓν ἅπαντα γυῖα, τὰ σῶμα λέλογχε βίου θαλέθοντος ἐν ἀκμῇ. ἄλλοτε δ' αὖτε κακῇσι διατμηθέντ' ἐρίδεσσι, πλάζεται ἄνδιχ' ἕκαςα περὶ ῥηγμῖνι βίοιο. ὡσαύτως θάμνοισι καὶ ἰχθύσιν ὑδρομελάθροις.* [incipit fol. 258. b.] *θηρσί τ' ὀρειμελέεσσιν, ἰδὲ πτεροβάμοσι κύμβαις. ἀκίνητοι* iterum ex Emped. laudat Simpl. fol. 258. b. init. sed ibi exhibet *οὐδαμᾶ*.

16) *αἴδιον* Emped. v. 123. *ἀΐδιοι* Callimacho Fr. 121. restituendum coniiciebat Hemst. Cf. Valck. ad Call. Fr. p. 278.

voce et Simplicius et Clemens h. l. vtuntur. Sed hoc hariolari est, quum dixerim, hic nihil esse Empedoclis, mere Heraclitea, quae pleniora praebet Clemens. Ego ideo potissimum attingere volui vocem ἀΐδιος vt eamdem in Hom. hymno XXIX. in Ve-
12 stam adhibitam notem, et inde hymnum istum vel prooemium valde recenti aetati vindicem.

Et facillimum et difficillimum est quod Sturzio in Empedocleis nonnumquam exercendum fuit, negotium tractandi poetarum verba in oratione prosa latentia. Communicaturus eram hac opportunitate coniecturam meam de versu Empedoclis 287. p. 526. sed praereptam video ab Hermanno. nec doleo: talis enim est illa, quam inuentor non multum sibi gratuletur. Nolo tamen aliud quod in mentem venit, tacere, versum sequentem legenti. In quo verba κατ' ἠέρα non possunt significare: pro aëris ratione ac temperatura, sed hoc tantum: in aëre. Quod ad sensum quidem otiosum ferri tamen posset, nisi mihi suppeteret alia lectio, elegantiae laude non defraudanda:

δένδρεα δ' αἰείφυλλα καὶ ἐμπεδόκαρπα τέθηλεν
καρπῶν ἀφθονίῃσι κατ ἤορα πάντ' ἐνιαυτόν.

vide quam egregie hoc cum praecedd. καρπῶν ἀφθ., cohaereat.[17]

Sphaera quae Empedoclis nomen mentitur, vocab. κ. frequentat, vs. 81. 89. 150. Opportune hic in mentem venit epigrammatis, quod si Aeliano credas V. H. VIII. XIX. proximum Anaxagorae temporibus, nam Ἐπιτύμβιον Ἀναξαγόρου vocatur, si elegantiam versuum requiras, etsi de tam paruo poematio iudicium ferre lubricum, serioris temporis est. Ap. Brunck. inter ἀδέσποτα exstat, DXV. p. 259. III. In quo si accurate rem perpendas vox κόσμα non tam mundum quam, sensu antiquo, ordinem significare potest, sicut in Eurip. Fr. Incert. CLIII. ap. Valck. p. 26. Haec enim origo fuit philosophicae s. physicae vocis illius significationis vt primum diceretur κόσμος ȣ̓ρανȣ̃ vel τȣ̃ παντός, ordo, decor coeli, vel rerum vniuersarum, deinde demum κόσμος vel coelum vel res coelestes et

---

17) Nescio nunc, an Sturzius in Empedocleor. Collectione respexerit Obseruationes Buttmanni in Com. Soc. Lips. V. IV. P. 1., etiam de h. l. quaedam coniectantis.

terrestres vel orbem terrarum significare coepit: his enim tribus significationibus occurrit ap. poetas quos hic videmus. Cf. Philonem *Περὶ ἀφθ. κόσμȣ* l. l. Non secus Romani. Ennius Fr. ex Scipione p. 167. ed. Hessel. — mundus caeli vastus constitit silentio. cf. Columm. Inter proximos Empedocli Sotadem conspicio, qui vocem quater repetiit in septem versibus, in carmine philosophici seu ethici argumenti apud Stobaeum S. XCVI. *Περὶ τȣ̃ βίȣ*, p. 528. Tig. 559. Sotadis fere aequalis Cleanthes Philosophus in hymno Iouis philosophico vs. 7. *σοὶ δὴ πᾶς ὅδε κόσμος ἑλισσόμενος περὶ γαῖαν πείθεται*, — Praeterea in Theognideis, vt in toto illo Gnomicorum volumine nullus. Transeo ad scriptores epigrammatum, in quibus primus Meleager LXXXII. 1. *Ὄρθρε, τί νῦν, δυςέραστε, βραδὺς περὶ κόσμον ἑλίσσῃ* et CXXVII. 5. *μίαν, ξένε, πατρίδα κόσμον ναίομεν* — Postea Antip. Sid. LXVIII. 3. Crinag. XVIII. 1. XIX. 1. Antiphilus XVI. 5. Leonidas Al. X. 3. Philippus Thess. 13
XLIV. 1. Dionysius II. 25. qui, receptam coniecturam si spectes, huc non pertinet, sed caetera, *νόος* et *ἑλίσσων*, consideranti dubitandum est an recte Fellus p. 54. *κόσμον* mundum interpretetur. Sane etiam sic incerti haeremus quid epitheto *πολυοίμονα*, vix recte formato, fiat. Fellus exponit multas semitas — habentem — mundum. — Marcus Arg. XVI. 1. XXIII. 6. Lucill. LXII. 1. Strato XXXVI. 5. Claudianus IV. 2. (Quod in editionibus Claudiani poetae circumfertur epigramma XLVI. *Εἰς τὸν Σωτῆρα*, non venit in censum.) Theo II. 13. Paulus Sil. LXV. 1. LXXIII. 3. *ἀδεσπ.* DLXXI. 6. DCLXXXV. 5. [18]) Accedunt Agathias Prooemio Anthologiae vs. 95. in Iacobsii Prolegg. p. LVI. et praetermissus, vt videtur, a Brunckio auctor versuum in Pandectas, ap. Vulp. ad Catull. p. 351. [19]) *Ἄνθρωποι δ' Ἀσίης τε δορυκτήτȣ τε Λιβύσσης Εὐρώπηστε πίθονται ὅλȣ σημάντορι κόσμȣ.* *Κόσμον* dixit Proclus quoque Lycius philosophicus scilicet s. didacticus poeta, et iterauit, primum Hymno *Εἰς Ἀθηνᾶν πολύμητιν*, qui editus est in Bibliotheca

---

18) Serapidis responsum ap. Macrob. Sat. I. XX.

19) Sunt hi versus ex epigrammate sex versuum praefixo Pandectis Florentinis, teste Politiano Miscell. C. XLI.

Vet. Litt. et Artis Gottingensi Fasc. I. et a Wakefieldio ad calcem Partis IV. Syluae Crit. p. 248. cum quadam varietate, versu 15. sed hic locus huc non pertinet, in quo virum d. nescio quem tacite *κατὰ κόσμον* correxisse recordor, recte. deinde Hymno I. in Analectis Br., v. 3. 6. 23. IV. 8. et 16. *Ψυχὴν ἀενάϑ πέμπειν κόσμοιο ϑεείην·* Hunc quidem versum et Bionis VI. 9. praeter Pseudo-Oppianum I. 18. dudum, pluribus ab hinc annis adscriptos habui ad Moschi Europam vs. 50; adhibebam quum coram Hermanno de hoc Moschi loco disputabam. *ϑεήϊος* elegantis sermonis fuisse potest. *ϑέειος* elegans fuisse et olim negabam et nunc nego, si quidem elegans sit, quod elegantes vsurpent.[20] Moschi quidem hac in re auctoritas nulla est, cui h. l. etiam ab alia parte laboranti, quam medicinam, certam et facilem inuentu, dudum attuleram, eam tum Hermannus me edocuit iam a se ipso inuentam et alicubi indicatam fuisse. Licet, non enim alienum est, recordari singulare vocabulum *ἔεις* a Proclo in Epigramma VI. receptum ex singulari et si bene memini vnico Hesiodi exemplo, Theog. 145.

Bibliothecae Gottingensis Fasciculum primum commemoranti in mentem venit epigrammatis ex monumento Neapolitano *ἀναγλύπτῳ* repetiti in Fasciculo II. cuius distichon secundum, (si quem velimus in hoc poeta elegantiae sensum fuisse,) donec aliquis de articulo hic eleganter posito, et de *α* accusatiui hac quidem in voce et hac versus sede recte elisa[21] persuaserit mihi, ac sero persuasum iri autumo, sic legam:

Μοῖρά τις ἀεικέλιος τὸν ἀρίστων ἥρπασ' ἀπ' αὔρης
ἑπταετῆ[22] *- μέσσος δ' ἐστὶν ὁ παῖς - γενετῶν.*

---

20) Aliud est, quod sapientes, me non monente, sciunt, *ϑεῖον*, *ϑέειον*, nomen subst. sulphur. Hoc nomen, *ϑέειον*, quod probum est, respiciebat Bentleius, quum notam scribebat a Valck. prolatam ad Adoniaz. pag. 255. A. — Num *χεείαις* omni dubitatione caret? Nicander nunc non est penes me. — *ϑεώτερος* ap. bonos scriptores: *ϑεός*, *ϑεή*, adiectiue, non item. Male *ϑεὴν* editum est in Apollon. I. 8. *ϑεώτερος* non solum apud Dionys. sed etiam ap. Call. h. 'Ap. 93.

21) Hom. h. Apoll. 158., vbi tamen nulla ambiguitas timenda erat, quae timenda in *'Αρίςων'*

22) *πενταέτη* (sic) in Epigr. Inc. DCCXI. 2.

Sors praeclarorum septennem iniusta parentum 14
Progeniem - medius stat puer - eripuit.

τόν, sc. *υἱόν*. Quod nomen nullum neque parentum neque infantis indicetur, noli mirari, id enim saepe factum videbis in epigrammatibus quae restant sepulcralibus.[23] Monumentum erat familiare, in quo ad miserationem mouendam sufficiebat, si ad quaestionem in primo disticho propositam hoc responderetur, filium optimorum parentum, infantem, fato iniquo lucem reliquisse: nomine nihil opus. Vir doctus Gottingensis lectionem suam *τὸν Ἀρίστων᾽ ἥρπασ᾽ ἀπ᾽ αὔρης ἑπταέτη* (certe debebit post *αὔρης* comma poni ne soloeca fiat oratio) libere expressit: Tristis, Aristonem, quem sors vitae abstulit aurae septennem. Ad verba *Μοῖρά τις ἀεικέλιος*, diu est quum apposui Eurip. Andr. 130. Br. *καιρὸς ἀτυζομένᾳ, δέμας ἀεικέλιον καταλείβειν*, quae nescio an iam ab alio inter se comparata sint. Quam procliue sit, *αἰκέλιον* restituere, formam quodam modo a Lexicographis antiquis adstructam, probe scio, ac tentauerunt id facere in Euripide. Tamen monumentum illud Neapolitanum, hac quidem in re diligenter vt videtur ab hominibus Italis expressum, tantum efficit, vt plures Euripidis codices exspectandos esse censeam praesertim quum lyricus sit in illo loco sermo. Commode potuit vna syllaba pronuntiari *ἀει* — eo modo, quo diphthongum *αι* nunc pronuntiant, qui Erasmum sectantur. Homerus, femininam quoque formam v. *ἀεικέλιος* agnoscit, Od. *ι*. 503. non omnibus lexicographis notam. Ut in primo epigrammatis vs. *Ἀΐδεω* sine epitheto positum tolerem, aegre adducor. — His iam transcriptis in usum librariae, perfertur ad me A. Seidleri liber de Vss. dochm., Pars II, ubi p. 404. de v. *ἀεικέλιος*. Si institerit ille, non acriter litigabo.

Sed reuertor ad *κόσμον*. Abstinuit Dionysius Periegetes,[24]

---

23) Ep. Inc. DCLVII. DCLXX. (cf. 672.) DCLXXV. DCCIII. DCLXII. DCCXII. DCCXIII. DCCXXVIII. DCCXXXVI. — In carminibus dedicat. interdum res dedicata nonnisi pronomine demonstratiuo designatur: vid. Brunck. ad Ep. Inc. CLXVIII.

24) Abstinuerunt Oppiani.

cuius cultissimum libellum numquam sine voluptate legi, poeta licet in disciplina geographica versans, tamen a sermone pedestri disciplinae scholasticae alienus et florentissima poeseos epicae graecae aetate dignus, si discesseris a paucis quibusdam vocibus; ac nunc quidem duarum tantum ex hoc genere memini, *σχῆμα* et *θέσις*. [25]) Neque vsurpauit Maximus *Περὶ Καταρχῶν*. Usurpauerunt vero Manetho s. vterque Manetho et Poeta de viribus herbarum ap. Fabr. B. Gr. Vol. II., hic quidem semel vs. 64, ille crebro. Nec mirum: nam et hic et ille didactici, si quis alius, appellandi. V. Maneth. lib. 1. 2. 295. vbi *κόσμȣ* leg. ex IV. 147. — 309. II. 1. 15. 107. IV. 7. vbi *θεομήτορα κόσμον* vt in Alexandri versu, qui huic disputationi ansam dedit; porro v. II. 45. 108. *Ῥομβηδὸν περὶ κόσμον ἁματροχίῃ πεφόρηται·* 132. 147. 336. 380. (Noto obiter duo vocabula, *μοιχοσύνη* ex IV. 394. et *πορνοσύνη* ex cod. 314. Schneidero ignota) 415. 469. 482. 500. 537. 553. In tertio, quinto, sexto non inueni. Inter poetas, quos altioris s. floridioris sermonis dixi, epicos restat, qui quum sententiam meam de voce *κόσμȣ* ab altiori sermone aliena euellere videatur, eamdem vel maxime confirmat, Nonnus in Dionysiacis. Is, auctor pulcrorum, nisi quod nimiam in tam longo carmine inter se similitudinem habent, versuum, audacissimae in dicendo insolentiae, praesertim in epithetis nouandis vere insanus, res nunc taceo, etiam *κόσμον* centies contra omnem epicorum consuetudinem dixit et per totum opus iterauit. Veluti in loquutione, *ἕδρανα κόσμȣ*, Lib. II. p. 54. vs. 1. XIII. 352. 27. XIV. 386. 5. XLVIII. 1270. 14. sed iam haec exempla enumerasse piget. Nonnum, vt in aliis omnibus rebus, sequutus eumdem vocabuli vsum frequentat Ioannes

---

25) *Τέμπεα* Dion. v. 916. 1017. (Theocr. I, 67.) *ἀμφιτρίτη* vsu antiquo: v. 134. et 169. recentiori: 53. 99. 201. 614. 706. 862. 1065. *αὐγαὶ* ortus: 199. 263. 487. 662. 861. 894. 983. 1017. 1080. 1087. 1107. 1134. Originem huius loquendi vsus vides ap. eumdem Dion. v. 84. 970. *ἤθεα*, de qua voce alibi disputo, ita vsurpauit Dionys., vt certe accederet ad Homericum vsum. Sic, vt Dionysius, *αὐγὰς* etiam Eustathius dicit, veluti: *πρὸς αὐγὰς τȣ̃ Ἀπεννίȣ*, p. 64. ad v. 364. *αὐγαὶ* pro sole simpliciter: Epigr. Inc. LVIII. 1.

Gazaeus, quod ob carminis argumentum minus miramur. Apollinarem satis sit nominauisse. Alios quosdam, Nonni sectatores, iam supra inter poetas Anthologiae commemoraui. Atque hic finem facere possem; potuissem fortasse per peritiores iam prius facere, omissis Nonno eiusque sectatoribus. Nolui tamen aliquid celasse videri. Superest aliud memorabile, vt plenior fiat quodammodo haec mea disputatio, quodammodo, inquam: omnes enim poetarum antiquorum fragmenta me vocis illius causa excussisse neque dicere possum neque vt possim cupio: dedi quae annotata haberem, longe maximam partem multo ab hinc tempore. Memorabile hoc dico quod vocem a nobis illustratam maxime ii frequentent, quorum opera sub alienis nominibus, vetustate inclytis, feruntur. Nec mirum: nam plerumque sophistae et tenebriones scholastici fuerunt illi. Ex his igitur, a bono scilicet omine incepturus, primum eligo Sophoclem in Clytaemnestra vs. 31. Deinde Sibyllam cuius hunc versum suppeditauit Dinnerus: *Ἔσται κόσμος ἄκοσμος ἀπολλυμένων ἀνθρώπων*, alium, nam libro ipso non vtor, Fabricius in B. Gr., ex IV. p. 228. *Ἓξ γενεὰς κόσμοιο διακρατέοντας ἐν ἀρχῇ.* 26) Denique in Orphei Argonauticis vs. 761. (756. Gsn.) quod a nemine vspiam vox *κόσμου* animaduersa fuerit iam olim miratus fui. Quae vel serum vel epici sermonis imperitum auctorem Argonauticorum prodit, quum vero alia accedant, et serum et imperitum. In hymnis eadem vox tam saepe recurrit, vt nolim lectores enumerando fatigare. Cuius quidem rei excusationem haberent illorum hymnorum siue auctor s. auctores ab argumento philosophico vel potius mystico, nisi aliunde illi aetatis suae atque originis arguerentur. De his enim non est cur celem mihi iusto benignius iudicare videri quum alios, tum, quod mireris, Valckenarium, iustum et constantem, vt patet ex nota ad Herodot. VIII. 68. et maxime ex Diatriba de Aristobulo Iudaeo p. 77. et 85, 27) Argonauticorum

---

26) Argumenti similitudo in mentem mihi vocat graecam quartae Virgilii eclogae interpretationem, ab Heynio Excursui ad Bucolica primo insertam, in qua bis, v. 17. et 50., occurrit *κόσμος*.

27) »— sicuti eamdem in precibus ad Musaeum dixerat Orpheus, Theologus certe pervetustus, v. 47. *Τυμβιδίαν*, —« Valck. Epist. ad M. Roever. p. 370. T. I. Opusc. Haecce tum non in mente ha-

16 et Fragmentorum Orphei indicem. Quodsi aliorum auctoritate armatus hanc rem gerere vellem, Valckenario opponerem Porsonum ad Eurip. Or. 229. p. 137. Lips. Mihi vero non aliena auctoritate opus fuit, vt quid statuendum esset, constaret. ¦Quem iam dudum admonuissent et argumentum et sermo illorum hymnorum et apud antiquos obscuritas. Quae enim hanc in rem attulerat Ruhnkenius ex Demosthene et Pausania testimonia ea recte reiecit Schneiderus. [28]) In Lithicis non occurrit *κόσμος* mundus, sed in fragmentis hisce locis: Fr. I. vs. 7. cf. II. 8. vbi pro *ἄνακτα — τυπωτήν,* quod etiam dignius hoc nebulone; V. 3. VIII. 19.

Alexander Aetolus sermone quem appellare mihi libuit, altiori scribebat, quod et caeterae reliquiae docent et fragmentum apud Ath. VII. p. 296. E. eleganti et vere antiqua simplicitate in summa breuitate, vbi *λιτή* vt alibi vbique est *λιτανευτή*, desiderata, expetita, grata. [29]) Hic igitur neque de stellis

---

bebam, quum hanc dissert. scribebam, sed haec, quae leguntur in Diatr. de Aristobulo, iis ipsis locis, vbi idem suam de Argonauticis et Fragmentis sententiam declarat. primum p. 77. » — praeter hymnos nihil ille [Pausanias], quod meminerim, agnovit tanquam Orphicum, reliquis omnibus longe anteponenda poëmatia. « — et p. 85.: » — Hymnos qui vocantur ut multis modis meliora, sic et mihi semper visa poematia ceteris longe antiquiora. « Quae eadem p. 85. de Argonauticis et Fragmm. vide ap. ipsum Valck. Hoc addam, p. 77. post verba antep. poëmatia. haec legi: »Satis equidem de his, quae dicuntur Orphei, mirari non possum Gesneri sententiam.« Porsonus in Appendice ad Toupii Emendd. in Suidam Vol. IV. ed. Oxon. p. 489.: „ — *ἄποθεν* Veteres non dicunt, sed semper *ἄπωθεν*; Pseud-Orphei enim quisquilias et corruptum Aeschyli fragmentum non moror.« Ego *ἄποθεν* in Argonauticis non inueni: neque in Lithicis me legere memini. Videtur in Hymnis esse vel in Fragm.

28) Pausaniae tamen testimonia etiam Valck. agnoscit Diatr. de Aristobulo p. 77. » — qui ne hymnos quidem, ut vocantur, legerunt, a Pausania laudatos p. 770. f. et alibi: praeter hymnos nihil ille — « etc. Vide notam praecedenti pag. adscriptam. Sed eo Pausaniae loco, quem laudat Valck., p. 770. Boeot. XXX. fin., ne Ruhnk. quidem vti ausus est.

29) Respiciebam, quum hoc scribebam, quod verissimum est, Her-

errantibus scripsit neque *κόσμον* dicere potuit. Potuit vero, ut in tali carmine, et dixit Alexander Ephesius. Quem, nisi fallor, aliquoties sibi corrigendum sumsit Dionysius. Versus Alexandri supra vidimus ex Stephano Byzantino. Quos respexit, ibi ab Interpp. indicatus Eustathius ad Dionysii v. 591. sq. p. 222. ed. 1697. *Οτι ἡ Ταπρυβάνη — τετράπλευρος, θηρονόμος, πεπληθυῖα εὐρίνων ἐλεφάντων, ὥς φησιν Ἀλέξανδρος ὁ καὶ Λύχνος ἐπιλεγόμενος. ταύτην τὴν νῆσον ὁ Διονύσιος μητέρα φησὶν ἐλεφάντων Ἀσιηγενέων.* Versus Dionysii 593. hic est: *Μητέρα Ταπροβάνην Ἀσιηγενέων ἐλεφάντων.* idque profecto elegantius, et aptius ad graecas aures accidere debebat, quam *ἁλιστέφανος Ταπροβάνη* vt Alexandro placuit. Eumdem Alexandrum Ephesium alio loco appellat Eustathius ad v. 558. p. 217. eiusque versum adducit: *Χαλκείῳ δὲ λέβητι μέγαν διενήξατο πόντον*, de Hercule. Qua in re secesserat et ab Euphorione et ab aliis Ephesius Herculi vel *ἄκατον* vel poculum tribuentibus. Eustathius *λέβητα* de nauigio quodam interpretari studet. Cf. Bentl. Resp. ad Boyl. p. 213. 214. Lips. Denique ad versus Periegetae hos: *Εστι δέ τοι προτέρω, Καρμανίδος ἔκτοθεν ἄκρης, Ὤγυρις· ἔνθα τε τύμβος Ερυθραίȣ βασιλῆος* (606. et 7.). Eust. p. 224: — *τύμβος Ερυθραίȣ βασιλέως· ὃν ἄλλοι Ερύθραν φασὶ, γράφοντες,*

Αγχιβαθὴς δ' ἄρα νῆσος ἁλὸς κατὰ βένθος ἐρυθρῆς, Ὤγυρις· ἔνθα τε τύμβος ἁλὸς μεδέοντος Ερύθρα (vel *Ἐρύθρȣ*) *Κέκλιται. — ἐξ αὐτȣ̃ δὲ καὶ ἡ θάλασσα κληθῆναι δοκεῖ, ὡς προεγράφη. οἱ δὲ κατὰ ἐπίθετον ἐθνικὸν, Ερυθραῖον βασιλέα τὸν Δηριάδην νοȣ̃σιν, αὐτόθι τεθαμμένον, ȣ̓ καὶ πρὸ τȣ́των ἐμνήσθημεν· ὃς Ερυθραῖος μὲν ἦν τῷ γένει, χρόνῳ δ' ὕστερον εἰς Ινδȣ̀ς ἐλθὼν ἀντέστη λαμπρῶς τῷ τȣ̃ Διὸς Διονύσῳ, στρατευσαμένῳ κατὰ τῶν Ινδῶν.* Ad vs. 38. Strabonis verba retulerat, mare Erythraeum secundum quosdam ab Erythra Persei filio, [30]) illarum regionum rege dictum narrantis. De Deriade multus est Nonnus.

---

manni disputationem Addend. ad Orph. Arg. 92. p. XI. XII. — Addo Hesych. v. *Ἀμφιλίτην*, vbi tamen *Ἀμφι* ex praecedentibus verbis adhaesisse videri potest.

30) Vel Myozaei Persae: Agatharch. ap. Phot. Cod. CCL.

17 Erythraei, antiquus populus Ἐρυθρᾶς accola: de quo Dionys. 906. sqq. cf. ibi Eust. Vides vero, siue Ἐρυθραίȣ ap. Dion. pro nomine proprio habeas siue pro ἐθνικῷ, Dionysium recessisse ab auctore versuum ab Eustathio appositorum, quem Alex. Ephesium esse coniicio. Haec vero sententia de Erythra rege communis fuit. Priscianus vs. 605. 6. Ogyris occurrit s. occurret, qua dicitur esse sepulcrum Regis Erythraei, quod paullo minus ambiguum quam graecum. Sic Auienus quoque teste Salmasio Plin. Ex. p. 341. D. ed. Traiect. Qui controuersiam inter Dionysium et caeteros scriptores compositurus, Ἐρυθραίȣ βασιλῆος ait idem esse q. Ἐρύθρȣ. „ὁ Ἐρυθραῖος βασιλεὺς, qui Ἐρύθρας." Quod valde improbo. exempla ista Salmasii aliena sunt.

In versibus Alexandri de stellis errantibus multa reliquit vitiosa et obscura Schneiderus, idque ipse fatetur. Qui si systema illarum stellarum sibi perspicue ante oculos posuisset, Censorinum sequutus de Die nat. Cp. XIII. p. 68. Cantabr. fortasse sic nobis ista omnia daturus fuisset vs. 13. sqq.

μέσσον δ'ἠέλιος πλαγκτῶν θέσιν ἔσχ' ὑπὲρ ἄστρων.
τοῖο δ' ἄφ' ὕψιστος μὲν ἔχει διὰ τέσσαρα κύκλος·
κείνου δ' ἡμίτονον Φαίνων ἀνίησι χαλασθείς·
τοῦ δὲ τόσον Φαέθων, ὅσον ὄμβριμος Ἄρεος ἀστήρ.
Ἠέλιος δ' ὑπὸ τοῖσι τόνον τερψίμβροτον ἴσχει·
αἴγλης δ' ἠελίοιο τριημίτονον Κυθερείης·
ἡμίτονον δ' ὑπὸ τῇ Στίλβων φέρεθ' Ἑρμείαο·
τόσσον τε χρωσθεῖσα φύσιν πολυκαμπέα μήνη·
κέντρου δ' ἠελίοιο θέσιν διὰ πέντ' ἔλαχε χθών,
αὐτὴ πεντάζωνος, —

Plura a Schneidero correcta correcta iam exstabant apud Galeum veluti vs. 13. πλαγκτῶν — ἔσχ' ὑπὲρ ἄ. et vs. 14. τέσσαρα. huic versui nihil est cum Saturno, et in versu 8. φαίνων male sollicitatum est a Schneidero. Φαίνων Saturni est non Iouis stella. Stella Iouis est Φαέθων. Vulgo hic est: τοῦ δ' ἀπὸ δὴ ψυχρὸς — ὕψιστος κύκλος: summum coelum, vt Censorinus. Possis etiam eodem sensu: Τοῦ δ' ἄπο δὴ ὕψος μὲν — κύκλος. κείνου i. e. a summo coelo dimidii toni spatio abest Saturnus. Versui 16. si admiseris mecum τοῦ, is sensus inest, quem

inesse debere vidit Schneiderus; τόσον et ὄβρ. iam ap. Gal. hoc
fort. ferend. Vs. 17. δ' insertum ap. Gal.; ap. eund. τερψίβρο-
τον. Vs. 18. coniicias αἴγλη δ' — lumen Solis abest a Ve-
nere; recepta lectio ea conditione tolerari possit vt ad Κυθ. 18
suppleas ἀστήρ. sed quum ap. Gal. sit Κυθερείη, malo hoc,
vel potius Κυθέρεια. ἠελίοιο pro ἠελίοις iam Gal. Idem vs. 19.
δὲ ὑπὸ στ. vt Schn. et in seq. δὲ et πολυκαμπτέα. Versus 21.
sic exhibetur a Galeo: Κένσει δ' ἠελίοιο θέσιν παρὰ δῖα λάχε
χθών. Schneideri Codex: κέντει δ' ἠελίοις θέσιν διὰ ἔλαχε
χθὼν — Diuinae terrae nullus hic locus est. κέντρου coniecit
Schneiderus, sed quaerit quid sibi velit ἠελίοιο. Lege vt scripsi,
vel πέντε λάχεν χθών. A centro solis diastema διὰ πέντε
nacta est terra. Censorinus: Itaque solis astrum ab-
esse a terra tonos tres, et dimidium, quod voca-
tur διὰ πέντε; — Nota responsionem in his, πέντε et πεντά-
ζωνος. Versum 24. ita Galeus: Οὔρανον ἐξάτονον τόνον ἔσχετ'
ἐτῶν διὰ πάντων, — sed inuitus moror in his rebus: sensum
indicasse satis sit. ἔσχεθε τὸν διὰ πασῶν ingeniose Schneid.
Mihi vero ὀρανὸν ab χθὼν pendere videtur. Censorinus: ad
terrae autem summitatem ab eodem coelo tonos
esse sex, in quibus sit διὰ πασῶν symphonia.

In versu 3. Schneiderus dedit: δεύτερος αὖ Στίλβων χελυσσόου ὁρμείου· velim calami errore. Iam ap. Gal. χελυσσόε Ἑρμείαο. modo scribatur χελυσσόου. Porro in seq. Gal. Τῶν δ' ἐπὶ — debebat Schneid. Τῷ δ' ἔπι scribere. Denique ex Galeo has lectiones enoto, non contemnendas: — πυρόεις φωστὴρ Θρ. Ἄ. et χρόνε ἀγχόθι τέλλεται ἄστρον.

Quinto in Pleiade loco ponam Lycophronem.

Sexto Philiscum. Eadem quae Suidas, et Eudocia p. 427. nisi quod in initio: καὶ ἕτερος Φιλίσκος, τραγικὸς δὲ, υἱὸς Φιλώτε τε Κερκυραίε· ἦν δὲ ἱερεὺς τε Δ. — Qui in Bibl. Coislin. pag. 577. cum Isocrate memoratur Philiscus, haud dubie Milesius est Rhetor, de quo Ruhnk. Hist. Cr. Oratorum Gr. p. LXXXIII. Philistus, solito errore, vocatur ap. Ionsium De Scr. Hist. Philos. ed. Dorn. in Indice; locum indicatum non inuenio. Obiter moneo in Bibl. Coisl. cuius paginam 597. citat Harles. V. I. p. 318. alios Tragoediarum, Comoediarum etc. auctores enu-

merari, sed de Pleiade nihil tradi. Nec plus exspecta a Proclo in Chrestomathia. Quos idem Vir doctus p. 322. et 23. excitat de Sositheo et Sosiph. testes, Crassum Hist. Poet. gr. pag. 480. et Mongitorium Bibl. Sic. To. II. p. 235. 6., mea demum disquisitione absoluta inspexi, nec poenituit. Verbosos enim deprehendi, noui, quod frugi sit, nihil.

Noster omnino *Φίλικος* appellandus est, non *Φιλίσκος*.[31]) *Φίλικον* dictum vidimus supra ab Hephaestione eiusq. Scholiasta, ad quem Pauw. p. 123. „*Φίλικος*) Ita legendum: — in aliis Membranis etiam male hic *Φιλίσκος*." Alter perperam *Φιλίσκος*. Pauwio praeiuerant duo viri, Salmasius ad Simmiae Rh. Alas
19 p. 185. 6. (Lutet. p. 1619.) „— hexametra sunt, quae Philica Marius Sacerdos appellat in libro de metris,[32]) a Philico

31) Tricha de metris p. 28. *ὅ τε Κερκυραῖος Φίλικος, ὅς τῆς ἐπὶ Πτολεμαίου Πλειάδος*, —

32) Marius Plotius de Metris p. 2655. Putsch. »— Hexametrum catalecticum choriambicum, quod Philicum dicitur, constat quinque choriambis, sexto pede, id est, nouissimo amphibrachy. *Te posui Bacche Pater teque decens canto Venus qui modicos amatis*« Sed Atilius Fortunatianus p. 2678. Putsch. caput De Phalaecio metro sic incipit: »Phalaecius versus ex duplici pede constat, quem Bacchion musici, choriambicon grammatici vocant. habet longam et duas breues et longam. i. e. Trochaeum et Iambum. Hoc autem Phalaecos conscripsit hymnos Cereri et Libero, tali genere metri, quod scilicet est . . . . deorum conuenire venerationi credidit. Apud nostros hoc metrum non reperio. exemplum eius tale est. *Frugiferae sacra deae quae colitis mystica iunctaeque Ioui nefasto.* hunc hexametrum ex numero Bacchio composuit Phalaecus, quo vsus est etiam Archebulus.« Error manifestus est: debebat Philicius et Philicus scribi. Ipse Atilius paullo ante, in Capite quod De Priapeo metro inscribitur, Phalaecium appellat eum versum, qui vere Phalaecius est, hendecasyllabum Catullianum: p. 2677. »— Nam et hendecasyllabus, quem phalaecium vocamus, apud antiquos auctores eodem modo solebat incipere, alias a Spondeo, alias ab Iambico, alias a Trochaeo; vt apud Catullum, *Arida modo pumice expolitum.* ab iambo, *Meas esse aliquid putare nugas.*« Ibid. paullo inferius Atilius: »— ex quo non est mirandum quod Varro in Cynodidascalico Phalaecion metrum, Ionicum Trimetrum appellat.« Vides igitur, probe sci-

Corcyraeo poëta τῆς Πλειάδος, qui sub Ptolemaeo Philadelpho vixit, — Hunc Philicum docti viri, Philiscus vt vocetur, contendunt: et quibuscunque locis apud auctores Φίλικον scriptum reperiunt, in Φιλίσκον mutant. quod miror: cum ipse Φίλικον sibi nomen esse illo versu, quem supra ex Hephaestione attulimus, testatus sit; vbi si Φιλίσκου legerimus, non stabit versus. Fuere quidem et Φιλίσκοι in terra Graecia, sed hic Φίλικος vocabatur." Versus hic est: καινογραφῆς συνθέσεως τῆς Φιλίκου, γραμματικοί, δῶρα φέρω πρὸς ὑμᾶς. In eamdem sententiam sed paullo copiosius disputat Vossius l. l. de P. Gr. p. 218. qui apud Marium Plotium in Arte de metris Col. 2655. P. quod carmen Philicum vocatur, Philicium corrigi iubet. Marius nunc ad manum non est, sed profecto a Φίλικος non potest carmen Philicum dici, ac miror non idem Salmasium vidisse, nisi apud hunc error calami vel typorum est. Philicium, Φιλίκιον, quod Suidas et Eudocia Φιλίσκιον in errorem delati vel aliorum auctoritate vel quod Φίλικος minus vsitatum esset nomen quam illud. Post alios testes etiam Tzetzes commemorari potest quem vidimus supra Φίλικον appellare. Quam agitur Salmasio et Vossio praeeuntibus assumserant lectionem Pauwius et Kusterus ad Suidam, eam rursus auctor exstitit vt commutaremus cum altera, Toupius Em. in S. P. III. p. 546. 7. Lps. „Nimirum syllaba secunda τοῦ Φιλίσκος, quod viros doctissimos fugit, nunc longa, nunc breuis est." Sane hoc et me fugiebat, indoctum. Delirat vbi semel in hanc quaestionem de correptione ante consonantes incidit Toupius. [33]) Cuius nunc in memoriam mihi recurrit dis-

---

uisse Atilium, quid Phalaecius esset. Non potest igitur nisi per errorem p. 2678. Phalaecius et Phalaecus dictum esse, quod Philicius et Philicus dicendum fuerat.

33) Cf. eumd. Praef. in II. Emendationum Suid. Partem. vbi Oxoniensis editio in notula exhibet Aristophanis versum ap. Athen. lib. II. p. 48.: Ὅς τις ἐν Ἡδυόσμοισι ςρώμασι σὴν δέσποιναν ἐρείδεις. »Ita legendus iste locus. Vide Kuster. ad Nubes ver. 1065. qui fallitur.« Adde quoque Toup. Em. in S. P. I. p. 114. 5. 6. 7. Oxon. (p. 76. 7. Lps.) p. 117. Ox. haec nota: »*Vide nos infra ad v. Σεμνοπροσωπεῖς. Vide et Arnaud. in Addend. ad Animadversiones. Ita Scriptor Graecus vitae Nicandri: Al-

quisitio de „LIQUIDARUM natura parum hactenus perspecta" vt in Indice ad Addenda in Theocr. pag. 402. Illic abusus fuerat pluribus optimorum scriptorum partim dudum partim ab ipso demum corruptis locis, vt demonstraret — horresco referens —, ante *μφ*, *λμ*, *μπ*, *ντ*, *ϱγ*, posse corripi. Caue tibi, Toupi, ne retorqueamus in te Germani, quod in ciuem nostrum iactitasti: „Huic homini poetas Graecos edendos committas, si quid recte curatum velis." v. Addend. in Theocritum p. 405. To. II. Wt. Quandoquidem et haec tua „n o u a sunt, et digna scilicet quae posteris tradantur." Quod ad Theocriti versum *κά*. 26. attinet, mira est Valckenarii modestia haec tantum scribentis: T o u p i o corrigi posse videbatur: *'Ασφαλίων, τί μέμφῃ;* — Verum, quod dictum esto, ne asymbolus transeam, etiam magis mira eiusdem Valckenarii erga D. Heinsium et Brunckium obsequentia in transponendis vocibus *'Ασφαλίων* et *αὐτομάτως*. *'Εταῖρος* A c c u s a s, inquit, p u l c r a m a e s t a t e m: i n i u r i a scilicet, vel: n o n i t a; n o n e n i m etc. vel cui hoc nimis durum ad supplendum videatur, is signum interrogandi post *θέρος* figat: T u n e
20 a c c u s a s a e s t a t e m? a t e n i m u e r o n o n — Nos: es ging ja die Zeit nicht etc. Pariter de Aristophane Nub. 130. (131. Hrm.) post Brunckium et Hermannum praeeunte Bentleio, qui et ipse: *σκινδαλάμυς*, vel de Euripide Med. 282. (284. Pors.) post Porsonum dubitatio amplius esse nequit, vt nec de Solone

---

νέσσεις υἷα πολυμνήςοιο Δάμναιυ.« V. P. III. p. 153. 4. Vol. II. (p. 411. Lps.) Oxon., vbi nota p. 154.: »* Solon p. 433. Edit. Winterton. Cantab. 1677. *Πέμπτῃ δ' ὥριον ἄνδρα ΜΕΜΝΗΜΕΝΟΝ ἄρ' γάμυ εἶναι, Καὶ παίδων ζητεῖν ἐξοπίσω γενεήν.* « Vir doct. Cantabrigiensis, Porsonus, in Append. V. IV. p. 441. improbat *πεπῠσμένη, ἔσμέν*. In Epigr. ξ Anthol. *ἡδύοσμον* aut trisyllabum esse, vt *δυοῖν* monosyllabon ap. Soph. Oed. T. 640. aut seculo insipienti et inficeto Ammiani condonandum. In Electra certe nihil mutandum esse, »donec haec doctrina melioris fidei exemplis stabiliatur.« Idem Pors. mox p. 442. de emendatione Toupii in Eur. Bacch. 1123. disputat cum Brunckio. Cf. Erf. ad Soph. Ai. 1066. Toup. P. I. p. 117. Ox. nota † in Arist. Vesp. 574. legendum dicit *γρᾰψῠμαι 'γω* — et laudat Dawes Misc. Cr. p. 274. Burgess. ad pag. 4. Misc. Crit. Dawesii.

Fr. XVI. 6. p. 80. Poet. Gn. Brunck. dubitari poterit, quin *ἀφέντων* hoc quidem loco cedere debeat. Mssti Stephani, referente Menagio, *ἀφέτων*, quod potest ob versum pentametrum ex *ἀφέντων* factum videri: sed vt sit genuinum, cum accusatiuo coniungi nequit, siue ab *ἄφετος* siue ab *ἀφέτης* deriues. An *α* ad praecedens vocabulum pertinet? Violentiori remedio opus esse videtur, neque tamen iusto violentiori, si omnia illa Solonis fragmenta quam lacera sint, consideres. Finge Solonem cantauisse:

αἶψα γὰρ ἂν φάτις ἥδε μετ' ἀνθρώποισι γένοιτο·
(ἀλλ' ἐμοὶ εὐρεῖα χθὼν ὄφελ' ἔνθα χανεῖν vel:
ἀλλ' ἐμοὶ εὐρεῖα χθὼν πάρος ὧδε χάνοι)
Ἀττικὸς οὗτος ἀνὴρ τῶν τὴν Σαλαμῖνα φυγόντων

vel magis ironice: — *τὴν* (s. *γῆν*) *Σαλαμῖν' ἀφελόντων.*

Aliquando conii. *ἀφελών.* [34])

Partem fragmenti sed eam sanam profert Plut. *Πολιτ. παραγγ.* XVII. p. 174. XII. Tub. Ap. Simonidem LXXV. (LXIX. Iac.) I. p. 140. Anal. Br. nescio quod melius sit lectione Salmasii et Brunckii: malim tamen cum Salmasio *ἑξῆς δ'* l. *τ'* vel *ἑξῆς, ἀμφιφορεῖς τ' ἐλαίȣ.* Sapphus sane fragmentum ap. Hephaest. p. 23. dactylum requirere videtur. Quem feliciter restituit Vir Anglus, si bene memini. De Leonida (Br. A. I. 226. XXV.) nuperrime egit Seidlerus meus De Vss. dochm. P. I. p. 25. 6. in nota. In quibus illud ingeniosum est quod recentiorum Graecorum meminit, quos constat etiamnum litteram b lenem per *μπ* reddere. Ego quid statuam non dixerim. Hoc tamen vel nunc affirmare ausim, malle me a Vaticani, quantumuis magni aestumati, vestigiis paullo longius recedere quam poetam in cri-

---

34) V. Herm. in litteris ad me datis, tum ad Viger. p. 627. fin. edit. nou. Qui quod restituit, in mentem mihi reuocat Aristophanis lusum in v. *ἀσαλαμίνιος*, Ran. 206. (laudatur locus in Bekkeri Anecd. V. II. p. 969.) [Hermanni in litteris, quas Naekius huic apposuerat dissertationi, haec sunt: »Quem magno conatu tentas, Solonem, nulla mutata littera sic poteras emendare, ut gravior etiam, quam in vulgata lectione, sententia esset:

Ἀττικὸς οὗτος ἀνὴρ τῶν Σαλαμιναφετῶν. «

Naekius autem versus istos in exemplari suo cancellavit.]

men imperitiae adducere innocentem. Nam quod idem C. IV. vs. 9. p. 221. *ἀμφίξουν τε σκέπαρνον* dixit, vt vides, longe alia res est, praecipue quum correptio ante hanc ipsam vocem sit Homerica. Necessitas excusat Orpheum Arg. 1078. (1072. Gsn.). Sed viri docti, etiam post Toupium, passim similia in auctores intulerunt praeter necessitatem metricam. Exemplis ad nostrum locum allatis nihil agi animaduertit Seidlerus. cf. Hom. hymn. XIV. ed. Herm. 3. Quomodo Oppianus vulgatam adiuuet, non bene intelligo. In Epigrammatum scriptores licet interdum voces inferre nouas et exemplo destitutas: modo rectius formata sit quam ista Salmasii, *εὐκαπές* sim. Anthologia scatet *ἅπαξ λεγομένοις*.

21 Vnus locus remansit in Ind. Toupii ad p. 402. „Exemplis allatis addas licet Callimachi locum a Proclo in Plat. Polit. p. 391. conservatum: — *Πάλαι δ' ἔτι Θεσσαλὸς ἀνὴρ*
Ῥυστάζει φθιμένων ἀμφὶ ΤΥΜΒΟΝ φονέας.
Vbi non deerunt, sat scio, qui reponant *ἀμφὶ τάφον*. Sed vulgata lectio haud temere sollicitanda est.“ Recte! haud temere.[35] Fragmentum legitur apud Ernestum p. 465. vbi Scholiastae quoque Homerici verba vides, vocem Callimachi, *τάφον*, continentia, quibuscum concinunt Scholia Veneta, nisi quod in his *Θεσσ.* pro *Θεττ.*, *ἀποκτείναντα*, *Θράσυλλον* et *ἄρξασθαι* pro *ἅψασθαι*, verum *σύραι* post *Μειδίου* omissum est. Sic alibi quoque apud Callimachum nomini *τάφον* substitutum est *τύμβον* a Grammatico,[36] cuius locum excerptum praebuit Ruhnkenius Ernesto ad h. Iouis 8. p. 6. siue ille versus Callimachei non satis recordatus fuerit, siue de industria in orationem prosam transtulerit. Hanc litem de ancipiti, si diis placet, *μφ*, *μβ*, *μπ*, tetigisse video Hermannum de Metris lib. 1. exeunte, quae serius puto paullo aliter disputaturus fuisset.

At enimuero quid impedit quominus ego paullisper consistam? De voce *τύπανον* quaestio, cuius supra mentionem inieci, etiam ad Romanos pertinet. Inter quos Catullus in Galliambo: Niueis

---

35) Laudat haec A. Meinek. Quaest. Menandr. spec. 1. pag. 34.

36) In Cratetis Ep. pag. 399. To. I. ed. nouiss. Iacobs. Codex Vaticanus pro *τύφος* — *τάφος*, et editt. Stephan. et Wechel.: *τύμβος*.

citata cepit manibus leue typanum, Typanum, tu-
bam Cybebes, tua mater, initia.[37] Quidquid librorum
nunc inspicere est, genitiuum habent cybeles, cibeles: vnus
caelibes, casu. Non male Vossius. Neque interpungendum
est post tubam, nec de alio praeter tympanum instrumento in
hunc locum inferendo cogitandum, quod versus seq. vetat, vbi
vnice de tympano. Quod ex Mureto refertur crotalum, Leue
tympanum, hominis est non indocti, metro prouidentis. Sed
vnice de tympano sermo est, quod initium deae matris appel-
latur, aptissime. Solo tympano, primo ad furorem diuinum in-
flammandum instrumento, quod ipse pulsabat, excitatus Atys so-
cios exhortatur vt ad domum deae sequantur: ibi demum plenus
furor, omnibus instrumentis musicis, cymbalo, tympano, tibia,
crotalo accinentibus, v. 21. 22. et 29. Ipse Atys per totum
carmen non nisi tympanum gerit, v. 32. In Pindari fragmento
igitur ap. Scaligerum p. 67. Commel. *καταρχαί*,[38] si ita vere
Scaliger — idem H. Steph. recepit p. 390. ed. III. Fr. Lyr. —
atque est valde probabile, non prorsus voci initia respondebit.
A Scaligero fortasse primum est Cybelle s. Cybele casu vo-
catiuo. Tympanum puto editio omnis ante Scal. et fere omnes
post. In talibus qui a codicibus auxilium exspectet, frustra est,
certe a codicibus Catulli, quos omnes spoponderim tympanum
non typ. habere, nisi forte casu, errore scribentis. In Vossii
editione typ. impressum est, contra mentem Vossii ex exem- 22
plari Scaligeranae editionis, vt apparet ex eiusdem Obss. „Quod
autem primam in tympano Catullus corripat, id ipsum facit more
antiquo, de quo multa alibi diximus.“ Contra Scaliger in nota
digna quae transscribatur: „Et hic, et in sequenti versiculo le-
gendum sine consonante, Typanum, vt apud Homerum: *ἣ
κροτάλων, τυπάνων τ' ἰαχὴ, σύντε τρόμος αὐλῶν.* Apollonius:
ῥόμβῳ καὶ τυπάνῳ Ῥείην φρύγες ἱλάσκονται. Sic infra Didy-

---

37) Aberrauit Heins. ad Aen. III. 111. Herm. Elem. doctr. metr. p. 47. „— In quibusdam eiicitur littera metro incommoda, neque ad radicem verbi pertinens, vt in *τύπανον* pro *τύμπανον*, de quo multa Naekius in Schedis criticis p. 19. seqq.“

38) Huschk. An. Crit. p. 111.

mi, non Dindymi: Dea, magna Dea, Cybele, Didymi Dea domina." Nisi talia interdum occurrerent, sani iudicii documenta, gemmae inter silices, quid iudicaremus de morosa Scaligeri in his poetis opera, quale nunc statim tangere debemus. Nam quam ille correctoribus tribuit, ipse maxime incorrectus locorum correctorum corrector, p. 70., eam nos sero postliminii iure tandem reducimus, codicibus et editionibus antiquissimis (in quarum quidem censum non venit Gryphianum genus, hic foede corruptum) comitantibus:

Dea magna dea Cybebe (hoc quidem non in vett. lbb.),
dea domina Dindymi.

Varietatem librorum enotandi alio tempore aptior erit occasio, quando curae meae in Catullum prodibunt: id vero non longe abest. Numeri iidem qui v. 76., sed soluta syllaba, quae ibi vna longa. Scaliger: „Didymi sine n, vt supra typanum. Martialis: Quales nec Didymi sciunt puellae." Toto coelo differunt haec duo. Quod in vno vocabulo licet, non idem in altero. Si ex voce quadam litteram vis extrudi, in ipsa voce aliquid inesse debet, quod permittat extrudi. Ptolemaeus, ap. Cell. Not. O. A. III. IV. p. 169. (147.), hic nihil efficit. Martialis exemplum vereor vt hic quadret. Bacchantes in figuris Veneris multiplicandis ingeniosas fuisse non constat. Didymus, Δίδυμος, artifex fuerit necesse est, siue puellae legas, siue tabellae: v. Burm. ad Sueton. Tom. I. p. 552. Si cui mirum videatur, in eodem poemate Catulli duas formas typanum et tympanum (21. 29. 32.) offerri, is cogitet, multo magis mirum esse, si in eodem vox syllabam ex lege prosodiae longam et longam et breuem offerat. Praeiuerat Catullo Varro Eumenidibus apud Herm. de metris lib. II. p. 342. 3. [39])

tibi typana non inani sonitu, mater deum,
tonimus; modos tibinos tibi nunc:

„Apud Nonium tympana et matris legitur" Noli dubitare

---

39) ἀμέτρως et voce inani omissa dedit Huschkig Anal. Cr. p. 110. Hermannus Elem. doctr. metr. p. 506. tibi typana, non inanis sonitus matris deum — »primum versum tetigit Naekius in schedis criticis p. 22. seq.«

quin recte Hermannus. Abhorrebat quidem interdum prosodia
veterum Romanorum a legibus Graecorum, sed non tantum, vt
Varro primam in tymp. corripere posset. Vet. Cod. MS. N. Fa-
bri habet Sonitus Matri Deum, e quibus matri fauet ve- 23
rae lectioni mater, Sonitus vero adducit vt in inani litte-
ram S a sequenti absorptam credamus: typana, non inanis
sonitus. Apponendos existimo, quos Hermannus non adscri-
psit, galliambicos Maecenatis versus ex Fortunatiano ap. Voss.
p. 162. (in P. Scriuerii Collectan. Vet. Tragicor. p. 157.), qui
post verba supra transscripta: „Eadem quoque syllaba, inquit,
corripitur in versibus Maecenatis, — quos operae pretium fuerit
adscribere.[40] Ades, inquit, ô Cybele fera montium
Dea, Ades et sonante tympano quate flexibile
caput, Latus horreat flagello, comitum chorus
ululet.“ Fortasse ipse Atys loquitur: sed hae inanes sunt con-
iecturae. Vides Catulli in hoc versuum genere exemplum sequu-
tum Maecenatem. Sed vt modo hanc alterius in galliambico par-
tis formam reduximus: ◡◡ | ◡́◡◡ | — ◡ | — soluta in antepen-
ultima sede, quae trochaeum habere solet, longa syllaba, ita
nunc in priori versus parte hanc stabilimus solutionem: ◡◡ | —
◡ | — ◡ | ◡́ ◡ — | Vtraque proba. In Catulli versu typanum
exhibet et ex Vossii mente structuram verborum administrat
Brunckius App. ad Appollon. I. 1139. p. 217. cui in Apollonio
lectionem τυπάνῳ praeiuerant praeter Parisinum editorem et Ste-
phanum Scaliger, quem vidimus. Sed Brunckius auctoritatem
Etymologi M. adiecit. Catullus Epith. P. et Th. 262. Plange-
bant aliae (hoc vt ex libris scriptis, non Scaligeri solum au-
ctoritate, recipiam paene persuasi mihi; sed iidem fere vs.
257.[41]) Harum, non tolerabile vt videtur) proceris tym-
pana palmis, Aut tereti tenuis tinnitus aere cie-
bant. Multis raucisonos efflabant cornua bom-
bos, quae lectio est a Scaligero in Castt. 78. dubitanter posita
sed in ordinem recepta. Facilis sane mutatio et proxima libro-
rum lectioni. Vossius efflebant. Debilis est Quinctiliani au-

40) Plane sic scriptos exhibet Atilius Fortunat. p. 2677: Putsch.
41) Huschk. Anal. Cr. p. 110.

ctoritas; mirum tamen quod praeter Mediolanense, cuius lectionem in reliquis detorquet, Vossii sententiam referens, Burm. ad Prop. III. II. (vulgo III.) 42. p. 503., etiam alia exemplaria scripta deflebant et vnum impressum eflabant habere video, hoc quidem e peccato typorum. Quomodocumque hoc sit, certissimum est, stare antiquam librorum lectionem, eorumque plurium quam adhuc collati sunt, Multi raucisonos — cornua bombos. Caeterae correctiones sunt huius difficilioris. Cornua — bombos raucisonos: similiter nos supra, typana — sonitus. Vtrumque nomen a verbo pendet: et bombus et cornu potest efflari. Scaliger „Sed Multae, inquit, legendum esset." Minime. Verum idem fragmentum Aeschyli apponit ex *Ἠδωνοῖς*, et ego apponam paullo aliter distinctum et scriptum:

24 *— — — — ὃ μὲν ἐν χερσὶν*
βόμβυκας ἔχων τόρνȣ κάματον,
δακτυλόδεικτον πίμπλησι μέλος
μανίας ἐπαγωγὸν[42]) *ὁμοκλάν.*
ὁ δὲ χαλκοδέτοις κοτύλαις ὀτοβεῖ.
ψαλμὸς δ' — — — ἀλαλάζει·
ταυρόφθογγοι δ' ὑπομυκῶνταί
ποθεν ἐξ ἀφανȣ̃ς φοβεροὶ μῖμοι,
τυπάνȣ δ' εἰκὼν ὥσθ' ὑπογείȣ
βροντῆς φέρεται βαρυταρβής.

Adhibui varietatem lectionis ex Strabone Tom. IV. p. 191 sqq. ed. Tzschuk, vbi haec etiam magis confusa quam apud Scalig. leguntur. Verba, *ὃ μὲν ἐν χερσὶν*, fragmentum sunt dimetri. Qui ab *ὃ μὲν* et *πίμπλησι μέλος* integros dimetros faceret, nimis disiungeret ab nominibus suis adiectiua. Ex codd. recepi *βόμβυκας*, cum quo *μέλος δακτυλόδεικτον* egregie et ita conuenit, vt nihil magis. Cf. Agam. 1343. Nisi *βόμβυκας* in codd. esset, retineri posset Scaligeri *βέμβικας*, adiuuante Phalaeco (Philaenum vocat Kust. ad S. v. *Θίασος*) III. 1. p. 421. I. Anal. vbi *ῥόμβος — Βασσαρικȣ̃ θιάσοιο μύωψ* vocatur, prorsus vt hic.

42) *ἐπαγωγὸς* Achill. Tat. pag. 253. et pag. 358. ed. Mitsch. Lucian. Dial. Meretr. pag. 404. To. IV. Basil. Parthenius narr. XVIII.

μανίας ἐπαγωγὸς ὀμοκλά, quae inter se iam comparata video ab Iacobsio Anim. I. II. p. 247. δακτυλόδεικτον etiam sic aptum foret, nec minus τόρνυ κάμ.: sed μέλος de rhombo paene nimis audacter. Caeterum quod ad ῥόμβον attinet, videtur is ex Bacchi sacris non remouendus esse, ac si fidem Clementi habeamus et Arnobio, fuit idem ludicrum Bacchi infantis: v. Orph. Fragm. XVII. p. 477. Herm. Diogenes ap. Athen. XIV. p. 636. Τυπάνοισι καὶ ῥόμβοισι (hoc quidem cum Piers.) καὶ χ. Βόμβοις — de τυπ. bene ibi Casaub., τύμπ. vsitatius esse, τύπ. magis ἀνὰ λόγον: sed etymon non debebat tam longe repetere, quod propius aberat. V. Eust. ad Od. α. 1382.[43]) Scaliger: ἐπαρωγὸν et χαλκοθροῖς: debuerat certe χαλκοθρόοις, sed vocabulum nihili est. Pro ὀτοβεῖ Schol. Hom. Ven. ad ψ. 34. ἠχεῖ, perperam: mirum, quod accentum et Basileensis Athenaei et libri alii in media ο ponunt.[44]) Ante ψαλμὸς Scaliger asteriscum lacunae signum posuit, nescio an non idonea de causa: non sunt paroemiaci reliquiae, sed ita concipienda, vt feci. Ψαλμὸς inceperat dimetrum. Erat quum, breuiloquentiam sectans, breuiori pro ἀλαλάζει forma illata, sine lacuna omnia decurrere coniiciebam, sed codices quum abhorrentes viderem, reieci suspicionem. Deinde, antequam Strabonem inspexissem, Scaligeri lectiones respiciens, punctum quod hic post μῖμοι collocauit, tollebam et τυπάνων scribebam pro τυπάνου, comma deinde postponebam et δ' post ἀχὼ transferebam ad hiatum euitandum; ita tamen vt ἀχὼ nulla alia esset quam horum ipsorum τυπάνων. Βροντᾶς restituebam, fortasse recte: praecesserat iam ὁμοκλάν. Non dissimilia in Prometheo vs. 1090. Caeterum quam lubenter coniecturam meam τυπάνων, ἀχὼ δ' — cum vulgata lectione commutauerim, simulac cognouissem ex Int. Strabonis, ἀχὼ esse ex emend. VV. DD., non est cur dicam. Codd. enim omnes non ἠχώ sed εἴκων, vnus corrupte εἰχών. Nemo intellexit duplicem 25
genitiuum τυπάνου et βροντῆς: tympani autem (i. e. a tympano) imago veluti tonitrus — fertur.

---

43) V. Porson. Aduss. pag. 122.

44) ὀτοβεῖ Aesch. Pr. 577. nam sic legend. non ὀττ. V. si vis, Herm. ad Aristot. Poet. p. 143.

Ap. Phalaecum s. Philaenum III. 5. MS. *τυπάνυ*, diserte notante Kustero ad S. v. *Βρόμος*.

Denique, vt filum relegam, quomodo Toupius Eupolidis versum, quem Emend. in Suid. l. l. p. 546. Lips. in suam rem, vt *Φιλίσκυ* ferri possit, vsurpat, mensus fuerit, detegere nolo. Est is apud S. v. *Νεανισκεύεται*, nec sane inter expeditos. Erit cui sic vt exhibetur ferri posse videatur: potest enim legi. Illud mirari subiit, quid esset quod Suidas Eupolin *ἰδίως ἐσχηματικέναι τὸ νεανισκεύειν* dixerit. An ideo quod non posuit medium, *νεανισκεύομαι*? Mirum, quod Eupolis non maluerit: *αὕτη νεανίζοντος ἐπεθύμησέ μυ.*[45])

Necdum absoluta est quaestio de Philico illo s. Philisco.

Harlesius, praeeunte Fabricio, inter Tragicos duos Philiscos refert: primum nostrum Philiscum s. Philicum, Corcyraeum, tempore Philadelphi, ex Pleiade, a quo metri nomen; deinde p. 314. Philiscum Aeginetam, tragicum, „qui sacerdos Bacchi interfuit pompae Olympicae Ptolemaei Philadelphi, quam describit Athenaeus V. p. 198. Philistus adpellatur apud Plutarchum in Timoleonte p. 243.“ Errauit Fabricius. Corcyraeus enim, non Aegineta, sacerdos Bacchi fuit, quod supra ex Suida et Eudocia cognouimus: de Corcyraeo igitur non de Aegineta loquitur Athenaeus p. 198. Quae de Philisco Aegineta Tragico traduntur valde sunt incerta. Qui numquam diserte *τραγικὸς* appellatur. Suidas duos Aeginetas habet Philiscos: vnum qui Alexandrum

---

45) Vid. Toup. P. II. p. 413. Vol. I. Oxon. (p. 271. 2. Lps.) et p. 414. vbi nota: »*Anaxandrides apud Athenaeum, lib. VI. 16. p. 255. *Τὸ γὰρ κολακεύειν νῦν ἀρέσκειαν ὄνομ' ἔχει.* Vbi τὸ, *ἀρεσκείαν*, male sollicitat Casaubonus.« Porsonus in Append. V. IV. p. 460. »Antiquum obtinet Noster, ut ex vitiosis aut suspectis locis metricos canones constituat. Ex ipsis Suidae verbis apparet Eupolin peculiarem quandam verbi formam adhibuisse. Etsi vel maxime certum esset tertiam in *νεανισκεύειν* corripi posse, an et quarta corripi potest? Eadem tamen chorda oberrat infra Part. III. Vol. II. p. 348. Sed ex Photii Lexico MS. ocyus repone, *Αὕτη ΝΕΑΝΙΚΟΥΝΤΟΣ ἐπεθύμησέ μυ.*« Deinde Euripidem emendat: *Ὅςις δ' ΑΜΙΚΤΟΝ πατέρ' ἔχει νεανίας.*

Magnum γράμματα docuerit, ipse auditor Diogenis Cynici vel Stilponis, alterum de quo nihil tradit, quam quod cum tota familia sese Diogeni Cynico prorsus addixerit. Ex vno Philisco hic duos factos fuisse aliquis coniiciat. Verum is qui ab Aegina insula Athenas profectus a Diogenis disciplina captus et retentus fuisse narratur a Suida vix bene per temporum rationem potest Alexandrum γράμματα docuisse. Hoc igitur si verum est (cf. Aelian. V. H. XIV. XI.), duos accipiamus cum Suida Aeginetas necesse est. Et tunc quidem quod de tragoediis Philisci Aeginetae traditur a Diogene Laertio et Iuliano, non ad priorem Aeginetam referendum erit, vt Kusterus fecit, sed ad eum quem secundo loco memorat Lexicographus. Quod elucet ex auctore Suidae, Diogene Laertio; quem vide in Vita Cynici p. 155. C. ed. Lond., postea ibid. F. et 156. init., denique p. 157. A. Atque haec et quae Iulianus (v. Menag. p. 147. E) in Oratt., qui Phi-
liscum Φιλίσκον τινὰ Αἰγινήτην vocat, vix facturus, si notus 26
ille Tragicus fuisset, omnia sunt quae de tragoediis Philisci Aeginetae referuntur. Et haec etiam magis dubia redduntur, si Fabricium euoluas in nomine Diogenis Oenomai Tragici. Quamquam inde non necessario sequitur, tragoedias Diogenis Oenomai per errorem Diogeni Cynico tributas fuisse: potest enim contra Suidas Diogenis Cynici tragoedias notiori Tragico Diogeni Oenomao adscripsisse. Philistus Plutarchi V. Alex. VIII. p. 260. Tom. IV. Tub. non dubium est quin sit Philistus Archonidae s. Archomenidae, secundum Pausaniam, de quo Suidas duobus locis, p. 603. v. Φιλίσκος et 604. v. Φίλιστος. Huius Ph. lectio egregie decet Alexandrum.[46]) Plinii autem Philiscus, lib. XXXV. X. quem meditantem a Protogene pictum fuisse narrat, non alius fuit quam noster Corcyraeus, quem iuuenili pictum aetate, se-

46) Philistus commemoratur Plinio VIII. XL. et Philisti huius fragm. est ap. Clem. Al. Strom. VI. p. 620. D. ed. Colon. Quae testimonia nescio an habeat Harles. ad Fabric. Dionys. Hal. T. II. Sylb. p. 70. 73. et 78. Philiscum fabulae de Libero et asino auctorem excitat Scholiastes Germanici pag. 51. Vol. II. Arat. Buhl. Munckerus ad Hygin. P. A. p. 398. Philistum restituendum putat et Historicum intelligendum. Mihi magis poetam sapere videtur narratio quam historicum.

nem, quae aetas conuenit sacerdoti Bacchi, pompae Philadelphi interfuisse necesse est. Magis dubia res est de Philisco Parrhasii, in eiusd. Plinii cap. parte priori. De Philisco Thasio quem fortassis intelligi scribit Harduinus p. 693. T. II. ed. Par. 1741., nihil constat praeter Plin. XI. IX. Ipse tamen: „vel Tragoediarum scriptorem potius de quo inferius sect. 20." i. e. eo ipso loco de quo modo egi. Sed hoc tempora non sinunt. Olim Harduinus ex Epigrammate Anthol. lib. 4. cap. 8. (Glauci V. T. II. p. 348. Brunck.) suspicatus fuerat, „legi pro Philisco Philocteten oportere." Dalecampius magistrum Alexandri supra a nobis commemoratum significari putat. Quod computatio temporum non vetat. Alexandri Magni enim magister cum Isocrate et fortasse paullo diutius floruisse debet: iam Isocratis tempore vixit teste Suida Zeuxis, cuius ipsius fere aequalis fuit Parrhasius. Mihi vero sequentia apud Plinium consideranti aliud quid in mentem venit. Si interpunctione post Philiscum sublata arctissime iunxeris haec: et Philiscum et Liberum Patrem adstante Virtute: quid prius coniicias, quam hoc, fuisse in vna tabula pictum cum Virtute et Libero patre praeside artis dramaticae poetam dramaticum? Quod si quaeras cur Virtus addita, respondebo, hoc nos scire non posse, si quidem alia fuerit causa quam haec vt probitas poetae illius indicaretur: ac maiori etiam iure illud quaeratur, si Philiscum singularem tabulam effecisse et Liberum vna cum Virtute solum repraesentatum fuisse dicas. Picturae Parrhasii eadem fere imago suberat, quam Dioscorides poeta suis in Sophoclem et Sositheum poematiis expressit, nisi quod hic, Dioscorides, non Bacchum ipsum sed personam scenicam nobis finxit. Igitur Philiscus ille Parrhasii, si dramaticus fuit, debet Philiscus Comicus fuisse, cuius aetatem ex eo definire licebit, de qua praeterea quantum scio nihil constat. Nam Suidas et Eudocia p. 427. nihil tradunt quam hoc, Philiscum comicum fuisse et scripsisse Adonin etc.
27 Qua ipsa de causa iam inceperam de Philisco Comico dubitare et dramata a Suida citata non pro comoediis, sed satyricis habenda Philisco Corcyraeo Tragico tribui posse (si hic Satyros [47])

---

47) Satyram cum comoedia, tragoedia et epigrammate inter Alexan-

scripserit!) coniiciebam, qui viderem nomina illorum fere omnium satyrica esse posse et probe scirem sub multis comoediarum titulis latere satyricas fabulas. Nunc dubitatio de Philisco Comico exemta est. Sane quae apud Stobaeum Philisci nomen gerentia deprehendi, ea tragicum non comicum ingenium praeferunt et haud dubie Corcyrei sunt. V. Pag. 199. Tig., S. XXIX. *Περὶ Φιλοπονίας* et 434. LXXI. *Ψόγ. γυναικῶν*. Verum qui a Salmasio Plin. Exerc. p. 425. C.[48]) nescio vnde exhibetur Philisci Comici versus, si iure illi tribuitur, id quod credo, totus et re et metro comicus est: *Ὁ Πειραιεὺς κάρυον μέγ' ἐστὶ καὶ κενόν*. Scribe *Πειραεύς*, vt est ap. Aristoph. Pac. 144. sed ibid. paullo post in anapaestis restituenda est diphthongus. Versus fortasse ex Themistocle. Ex titulis quoque dramatum Philisci Com. colligas eum inter antiquam et mediam com. vixissse.

Si quis vero auctoritate eorum quos in his addidimus testium, Athenaei et Plinii, commotus, et parum frequenti nominis *Φίλικος* forma offensus, quamquam hoc argumentum valde lubricum, Corcyraeum Tragicum etiamnum *Φιλίσκον* appellare velit, is hactenus certe mecum consentiat, vt dicat, illum in suo versu non *Φιλίσκον* sed *Φίλικον* semet ipsum nominauisse. Vtrumque nomen si originem spectes, fere idem significat.

Porro non leuiter lapsus est Fabricius l. l. p. 314. Vol. II. Harles., vbi de Philisco Aegineta Tragico ita pergit „Philistus adpellatur apud Plutarchum in Timoleonte p. 243.“ Est Cp. XV. p. 135. Vol. II. Tub.[49]) Verba haec: *τὰς Φ. φωνὰς, ἃς*

---

drinor. quodam tempore delectamenta refert Fulgent. Myth. p. 16. Munck. *Σατυρικὰ δράματα* Callimacho adscribit Suidas, parum verisimiliter.

48) Inter Comicor. fragmenta exhibet Huschk. Anal. Cr. p. 290. cf. Holsten. in Steph. B. v. *Πειραιός*. welche Zeugnisse für Philisci Vers ich nachträglich aufgestellt in Choerilo p. 263. Machon, Athen. 582. B. Comicus ap. Dion. Chr. Orat. LXIV. p. 596. C. (ap. Valck. Call. Fr. p. 24.)

49) Censor, qui de editione trium Plutarchi Vitarum a Fr. W. Fabrici facta iudicium tulit in Annalib. litter. Heidelbergensibus No. 19. a. 1813. pag. 289—96., haec dicit pag. 292.: » — Bey dem Philistus c. 15. [Timol.] S. 22. bedurfte es bey der Aufführung von

ἀφίησι — ὀλοφυρόμενος, necesse est Fabricio visa fuerint non in alium scriptorem quam poetam quadrare. Verum **Philistus**, non Philiscus, intelligendus est supra a nobis commemoratus, Archonidae s. Archomenidae f., Syracusanus celeberrimus inter Historicos et *φιλοτύραννος*, de quo saepius Plutarchus, quum in Pelopida, tum in Nicia aliquoties, tum maxime in Dione. Quae in Pelopida XXXIV. p. 276., ea similem illis in Timoleonte colorem habent: *Ἐκείνων δὲ τῶν ταφῶν, κ. τ. λ.* Cf. Dion. XXXVI. p. 204. Vol. VI. *καὶ μάλιστα πάντων ἀεὶ ζηλώσας — τῶν τυράννων.* Quem locum, iudicia Timaei Ephorique de Philisto continentem, excerptum leges apud Photium p. 1192. Rothom. Quid vero Philisto cum Leptine eiusque filiabus fuerit, optime disces ex Dione Plut. Cp. XI. p. 178. Ibi quoque narratur, Leptinae, qui Dionysii senioris frater, socer Philisti, vxorem a Dionysio fuisse vinculis retentam. (an ibi legendum: *τὴν μὲν γυναῖκα τȣ̃ Φιλίστȣ* —?) Paullo post etiam Leptines fratri suo in suspicionem venisse videtur, ita vt hic inserenda sit narratio
28 Aeneae Poliorcet. Cp. X. de Leptine Himeram quasi in exsilium misso: cf. ibi Diodorum in nota Casauboni. Leptines commemoratur Timol. XXIV., sed is haud dubie alius a Leptine Dionysii fratre.[50]) Locum geminum istis in Timol. et Pelopida, ap. Plut. *Εἰ πρεσβ. πολ.* Cp. I. p. 100. Vol. XII. Tub., nescio an primus, animaduerto: *ȣ̓ γὰρ ἡ τυραννὶς (ὥς τις εἶπε Διονυσίῳ)*

Bredows Note auch einer Berichtigung desselben. Man begreift nicht, da ja Philistus nicht als Zeitgenosse dieser Begebenheit von Plutarch dargestellt wird, warum er nach Bredow ein so hohes Alter von 70 — 80 Jahren soll erreicht haben. Allerdings ist es kein andrer, als der so häufig erwähnte Syrakusische Geschichtsschreiber. Man vergleiche A. F. Näke Schedae criticae. Halae 1812., der S. 27 eine gelehrte Anmerkung über unsre Stelle macht, sich aber irrt, wenn er eine andre Stelle des Plutarch *εἰ πρεσβ. πολ.* c. 1. *ὥς τις εἶπε Διονυσίῳ* auf denselben Philistus bezogen wissen will. Die Note von Wesseling zu Diod. I. S. 644 war ihm nicht gegenwärtig. —« Recte. Fraudem mihi fecerat aliqua inter hunc locum ex libro *εἰ πρ. πολ.* et Pelop. XXXIV. similitudo. Eo vero minus excusationem habeo erroris, quum vel Huttenus Diodori locum commemoret.

50) Leptines: Ael. Var. H. XIII. XLV.

καλὸν ἐντάφιον· et quae sequuntur. τις: Philistus. In eod. cap. verba Simonidis sic legenda esse videntur: ἐσχάτιον δύεται κατὰ γᾶς.

Philicus post Alexandrum, Homerum, Sosiphanem et Sositheum sextus est, quem Pleiadi adscribit Suidas. Neque Aeantiden neque Dionysiaden s. Dionysiden habet. Quibus additis octo exsistunt Pleiadis poetae. In promtu est excludere Dionysiaden, quem vnus tantum Scholiastes Hephaestionis agnoscit neque hic sine omni controuersia, quum Pauwius p. 123. „pro Διονυσιάδης, qui sequitur, eaedem illae (praecesserat: in aliis Membranis etiam male hic Φιλίσκος) Σωσιφάνης; et has secutus est alius Scholiastes pag. 93.“ At enimuero quominus pro Διον. reponamus Σωσιφ., impedit alius locupletissimus testis, Strabo, apud Fabr. p. 675. (296. Harles.), XIV. p. 675. ποιητὴς δὲ τραγῳδίας ἄριστος τῶν τῆς πλειάδος καταριθμεμένων Διονυσίδης. Restat Αἰαντιάδης (sic in Pauwiana Hephaestionis editione, ex quo Menagius, Vossius, Kusterus ad Suid. v. Σωσιφάνης et Fabricius p. 663. citant Αἰαντίδης, quod et Tzetzes) quem tutatur vterque Hephaestionis Scholiastes, ne Tzetzam commemorem. Delrius: „Anantiades, sic Hephaest. at Schol. Theocriti, Aeantidem.“ In quibus duplex est error: v. Fabr. loco modo laud. Primum enim numquam dicitur ille Anantiades. deinde fallitur Delr. qui et hunc ab Hephaestione enumerari tradat. Scholiastam ille cum Hephaestione confundebat. Quo iure hic in partes vocetur Scholiastes Theocriti me nescire iam supra fassus sum.

Nullum igitur ex his octo, quos dixi, cum specie iuris ex Pleiade remouere poterimus, videturque adeo inter antiquos ipsos de illis discrimen fuisse.

Operae pretium videtur, fragmenta Sosiphanis, quae in notitiam meam venerint, maximam partem a Fabricio et Harlesio Vol. II. 322., indicata subiungere.

Apud Stob. Περὶ Ὀργῆς XX. p. 172. Tig. 1559,[51]) Sosiphanes:

51) Hom. Od. XIV. 512. III. 366. In exemplari huius editionis, quod ex Bibliotheca Coenobii Bergensis (diu post editam hanc Dissert.) in Bibliothecam Paedagogii Halensis delatum est, hoc loco manu non prorsus recenti adscriptum reperio: Νῦν δεῖ γάρ.

Νῦν σοι πρὸς ὄψιν θυμὸς ἡβάτω, γέρον,
νῦν δεῖ γὰρ ὀργὴν, ἡνίκ' ἔνδικον, λαβεῖν.

Sic scripsi. Vulgo *νυνὶ δεῖ ὀργὴν ἡ. ἔ. λ.* Adiuuant libri apud Schowium p. 375. qui: *νυνὶ δεῖ γ' ὀργὴν η.* Serm. XXII. *Περὶ Ὑπεροψίας* p. 187. (nescio vero an Grotius haec duo fragmenta suae collectioni inseruerit) idem Sosiphanes, coll. Schow. p. 408.:

Ὦ δυστυχεῖς μὲν πολλὰ, παῦρα δ' ὄλβιοι
βροτοί, τί σεμνύνεσθε ταῖς ἐξουσίαις,
ἃς ἕν τ' ἔδωκε φέγγος, ἕν τ' ἀφείλετο;
ἂν δ' εὐτυχῆτε μηδὲν ὄντες, εὐθέως
29 *ἴσ' οὐρανῷ φρονεῖτε, τὸν δὲ κύριον*
Ἀΐδην παρεστῶτ' οὐχ ὁρᾶτε πλησίον.

Similem primo versu colorem Aeschylus habet Ag. 1306. Ad tertium proxime omnium accedit Euripides Phoen. 1703. Pors. (1683. vulg.) *ὄλωλ'· ἓν ἦμαρ μ' ὤλβισ', ἓν δ' ἀπώλεσεν.* (cf. Inus Fr. XVI. 2. 3.)

Haec Sosiphanis qui legerit, optimo ex florentissima aetate tragico non indigna, fortasse in eam sententiam deferetur, vt alterum Hephaestionis Scholiastam et Suidam, quum Sosiphanem ad Pleiadem referrent, errasse putet, et ipse hac ratione septenarium numerum Pleiadi restituturus, alteram a Suida conseruatam narrationem sequutus, qua ille aequalis Philippi et Alexandri, poetam ad remotiorem aetatem euehat, et ex Pleiade fuisse neget. Quod tamen nego fieri posse, nisi diserto testimonio et Suidam et Scholiastam refutaueris. Et in versibus illis ipsis nihil est quod Alexandrinorum qui vocantur poetarum aetati non conueniat. Qui poetae iniusta me iudice iudicia experti sunt et experiuntur etiamnum. Caue ne vnius vitia omnibus communia fuisse iudices: ex Lycophronis Cassandra neque eiusdem poetae aliae fabulae neque caeterorum Pleiadis poetarum iudicandae sunt. Diuersae Suidae narrationes per se quidem commode conciliari possunt. Sosiphanes et Alexandri et Philippi aetatem attingere, et Olympiade CXIV. sqq. *ἀκμάσαι*, et sub Philadelpho inter Pleiadis poetas numerari potuit, quos omnes vno eodemque tempore viguisse parum probabile est.

Scholiastes Euripidis ad Phoen. 1017. vulg., ap. Valck. p. 106. *Σωσιφάνης, ὁ τραγικὸς ὑπὸ τοῦ Λαΐου φησὶ τεθνηκέναι τὸν Μενοι-*

κέα, Νικόστρατος δὲ ὑπὸ τῆς Σφιγγός. vbi Valck. „Kuhnius haec excitans ad Pausan. p. 757, Sosiphanem Tragicum male Sosigenem adpellat.“ Contraria ratione ap. Eustathium peccatum fuit, cui, nescio an ex altera editione, Sosigenem restituit Heynius, Il. ι. 453. Vol. V. p. 626. Locus est in edit. Rom. 763. vs. 9. Eadem fere, etiam *Σωσιφάνης*, ap. Sch. Ven. p. 231.

Denique eruditus Schol. Apollonii ad III. 533. p. 144. Steph. in annot. quae plurium manus continere videtur, de Luna: — *διὸ καὶ μέχρι τῶν Δημοκράτες χρόνων πολλοὶ τὰς ἐκλείψεις καθαιρέσεις ἐκάλουν. Σωσιφάνης ἐν Μελεάγρῳ, Μάγοις ἐπῳδαῖς πᾶσα Θεσσαλὶς κόρη, Ψευδὴς σελήνης αἰθέρος καταιβάτις.* Quod fragmentum si vno et quem ineditum dicere possim, versu auctius tibi, lector, dedero, ecquid bene meriturus sum de Sosiphane et Interprete Apollonii? — Natalis Comes in libro olim magni aestumato et recte vendito, nunc singulis victoriatis prostante, quandoquidem habent sua fata libelli; ac nostra quoque mythologiae enchiridia atque systemata sua habebunt fata: Natalis Comes igitur in Mythologia Lib. III. Cap. XVII. p. 252. 30 ed. Geneu. 1653. (p. 256. Hanou. 1619. has duas enim editiones habeo): „Hanc crediderunt (antiqui) e coelo magicis artibus deduci; quippe cum antiquae veneficae mulieres putarentur solem lunamque abolere, et ad Democratis vsque tempora vulgo Solis Lunaeque defectus abolitiones appellauerint: quod facile colligi potest ex his carminibus Sosiphanis, quae sunt in Meleagro: *Μάγοις ἐπῳδαῖς πᾶσα Θεσσαλὶς κόρη* (*πάντες λέγουσιν ὡς*) *καθαιρεῖ καὶ γὰρ ἂν*[52]) *Ψευδὴς Σελήνης αἰθέρος καταίβασις.*“ Quae in hac vel illa editione typothetae errata sustuli. Vertit vero istaec Natalis hoc modo: Quaeuis puella Thessalorum carmine, vt Ferunt, abolet. Sed illa vana fama, quod Labatur alto Luna pura (puro) ex aethere. Ante omnia animaduertendum est, in his male administratam esse interpunctionem, et eatenus latinam

52) Ed. Ven. *Πάντες λ. ὡς καθαιρεῖ.* sine uncis, et *καταίβατις.* et *puro.* *ὡς* longe ab initio periodi remotum Soph. Electra v. 948-9. (943. 4. Erf), quamquam ibi paullo diuersa ratio est, quum constructio quodammodo mutata sit: *παρουσίαν οἶσθα, ὡς οὔ τις* — Sed non opus est exemplis, vt demonstretur, *ὡς* sic poni posse.

interpretationem laborare. Numeri exigunt, vt legatur: *Μάγοις ἐπῳδαῖς πᾶσα Θ. κ.* *πάντες λέγουσιν ὡς καθαιρεῖ* — haec: *κόρη καθαιρεῖ*, pendent ab *ὡς*; plane vt antea ap. Schol. *τὸν παραδεδομένον μῦθον λέγει, ὡς αἱ φαρμακίδες κατάγουσι τὴν σ.* Nota antithesin bene graecam in istis: *πᾶσα κόρη*, et *πάντες*. Etiam hoc commendat versum quod sic verbum *καθαιρεῖν* infertur, quod vt exspectemus commouent nos verba Scholiastae praecedentia. Sed hoc leuius. Fortasse duo apud Sosiphanem colloquebantur, quorum primus: *ἦν* (vel tale quid) *πάντες λέγουσιν κ. τ. λ.* quam omnes tradunt ab omni puella Thess. deripi; alter: perperam; fabula enim fuerit descensus Lunae. Vel unus haec dixisse cogitari potest: Omnes tradunt Lunam deripi a puellis, deinde se ipse corrigens: falso, nam etc. ita vt descensus Lunae et voluntarius et non voluntarius negetur. In promtu est simplicior explicandi ratio haec, vt Sosiphanes dicat: Luna vi deripitur a puellis, quod omnes affirmant: fabula enim descensus voluntarius (*καταίβασις*) [53]) ad Endymionem. Natalem multos locos scriptorum hodie amissorum ex MSS. depromtos protulisse, Lobeckius quoque, Vir doctissimus, contra inanes viri illius detrectatores asserit, in Diatriba antiquaria De morte Bacchi (Viteb. 1810.) Not. 10. ad. §. 2. p. 17. [54]) Hoc mihi persuasissimum est Natalem non pauca habere singularia et plenioribus interdum, quam nos, codicibus vsum fuisse. Cuius rei exemplum hic prostare videtur, tale de quo eo minus dubites, quo certius aliunde tibi persuaseris, Scholia Apollonii Rhodii, si nunc iterum edantur ex MSStis, diuersa passim ab editis forma proditura fore: vide Schaeferi, Viri quem quum doctissimum possim et clarissimum, malo carissimum mihi atque amicissisimum vocare, Gregorium p. 84. 85. [55]) Alius fortasse sagacior sibi criticus visus, con-

---

53) *καταιβασίῃ* Quintus Sm. VI 484 XIV 225.

54) Schellenb. ad Antim. p. 32. Babrii fabula a Bentleio emendata Opusc. Ph. Lips. pag. 77. qui eam a Natali C. habet. Vnde Natalis?

55) Schaef. ad Scholia Apollonii Parisina nulla re h. l. a vulgatis diuersa — neque serio diuersa fore existimaueram — excitat D.

ieccrit, versum illum, ita scriptum, vt exhibetur, cum interpunctione post *ὡς*, a Natali factum esse et insertum. Causa inter- 31
polationis in propatulo est, si statuimus Natalem quum in codice suo legisset *καταίβασις*, non — *τις*, vidisse, hoc, *κ* — *ς*, non habere vnde pendeat. [56] Contra quod acrior defensor re huc illuc versata versum, modo numeros mecum sublata interpunctione restituas, bonum genuinumque habebit et habere perget, etiamsi in nostris Scholiorum Codicibus omnibus desit. Is hoc quoque in vsum suum conuertet, quod vocabulum *καταιβάτις* probum quidem et hic illic obuium, [57] sed non actiua significatione esse soleat: v. Steph. Thes. v. *κατάβασις*. [58] Addo Lycophronem 90. 1. *ἡ 'χερσαία τρίβος Καταιβάτις*. [59] Etiam masc. dici solet

---

Heins. Lectt. Theocrit. p. 318. Locus est in Cap. VII. ac non efficit vt aliquid horum, quae dixi, retractem. *παραιβάτις* proba est Theocriti lectio *εἰδ. γ'.* 32. Is, qui Apollonii Rh. editionem a Schaefero curatam descripsit in Ephemeridib. litter. Lipsiensib. M. Septemb. A. 1813. col. 1937—40. haec habet col. 1939. »— Die Bedeutung des Worts *καθαίρεσις* für Sonnen- und Mondfinsterniss (weil man glaubte, Zauberer zögen den Mond und die Sonne herab), die man in den Lexicis vermisst, ist S. 242. erläutert. (Nur das S. 243 folgende Fragment des Sosiphanes ist nicht verbessert, das neuerlich Hr. D. Näke in den Schedis Criticis, vgl. Acta Semin. Lips. II, 409 f., ausführlich behandelt hat. Im Index Scriptorum etc. p. 646 muss übrigens die Verszahl 553 berichtigt werden, 533.)«

56) Qui sciat, quomodo poetarum fragmenta, ipsi obscura, tractauerit Natalis, cuius rei insigne exemplum exstat lib. III. cap. IV., non ambiget, quid de hoc Sosiphanis loco sentiat.

57) Add. Apollon. II. 353. vbi Schol. *καταβατή τις ἐςὶν ὁδός*. *Βαίνειν* in aor. 2. numquam actiue significare dicit Erfurd. ad Soph. Oed. R. 869.

58) Vbi, qui postremo laudatur Homeri locus, est ex Od. V. 110. Apollonii locus, qui laudatur a Scapula et, puto, a Stephano quoq., est III. 160.

59) Cf. Lycophr. 382. 497. 1370 — Caeterum leg. *'Α'χερ.* vt ego antea. *ἡ 'χερ.* tum demum reponebam, quum plagulas impressoris tertio corrigebam. *'Α'χ.* approbauit, quum proposuissem, Hermannus in litteris d. XIV. Spt. datis.

vi non actiua. Laudo Kusteri notam ad Suid. h. v. etsi scio, *Βαίνω* interdum actiuum esse (cf. Pors. Or. 1427. p. 222.); etiam Mercurius *καταιβάτης* (ap. Sch. Arist. ad Pac. 649.) est qui descendit, quod accuratissime respondet cognomini *χθονίε*. Contra Porsoni normam, Suppl. Praef. p. XXX. (XXXIII. Lips.) ideo non offendit Natalis versus, quia interpunctionem habet ante *καί*. Hoc ego scire velim, an omnes editi scriptique in Scholio Apoll. *καταιβάτις* habeant cum Stephano, nullus cum Natali *καταίβασις*. Tantum de Natali-Sosiphane.

Tamquam corollarium emendationes quasdam, quae huic dissertationi destinatae aptiorem sedem inuenire non potuerunt, subiiciam.

Maximi *Περὶ Καταρχῶν* versus 92. 3., nisi credas, quod non credo, post *κηραίνεσα* versum excidisse, sic legendi sunt: *Ἢ καὶ Μαρπήσσης ἐριχυδέος, ἠὲ καὶ αὐτῆς Λαοδάμης, ἧτ' αἰὲν ἐπ' ἀνέρι κῆρ ἤμυσσεν* l. potius *ἤνυσσεν.*[60]) Aliquando conieceram in verbo *κηραίνουσα* inesse vocem *κηρόν*, memor eorum quae de cerea Protesilai imagine narrantur. Wesselingium hic ne commemorandum quidem putaui. Erit f. cui placeat: *κῆρ ἀνίησεν.*[61])

Aeschyli fragmentum e Xantriis,[62]) quod latuisse videtur Boeckhium De Graecae Trag. Princip. Cap. III. p. 29., ap. Galenum (v. Bentl. Ep. ad Mill. p. 58. ed. Ox. vel p. 501. Opusc. Philol. Lips.), ita constituend. est: *ἃς οὔτε πέμφιξ ἡλίου προςδέρκεται, Οὔτ' ἀστέρων ποτ' ὄμμα, Κητώας κόρας.* Prorsus geminus est locus ex Prometheo v. 802. 3. etiam ob *ποτέ*. Causam emendationis Tu diuinabis, HERMANNE. Licet enim Te compellare praesentem, licet absentem, mihi, et sic commercium illud Societatis Graecae repetere et quasi recolere. Tu decerne:

60) Consumebat: v. Steph. Thes. h. v. (cf. Seidl. de Vss doch. p. 84.) et Nicand. ap. Athe. p. 683. A. *ἤνυσε — χλούνην. — ἤ τ' — κηραίνεσα*: v. Hindenb. ad Xen. Mem. p. 66. Herm. ad Hom h. p. CXV.

61) *ὅς* et sim. cum participio sine temp. finito: v. me ad Soph. Oed. R. 1511. Ibi adscriptis nunc addo Hom. Il. VIII. 306.

62) Laudat hoc fr. Erfurdius ad Soph. O. R. 1415. ed. min. ex emendationibus Corayi, quas occupasse Bentleium animaduertit Erf. Photius apud Int. Hesych. v. *Πέμφιξ*.

res agitur Aeschyli. De eiusdem VII. c. Th. 861. *τὰν ἀστιβῆ ’πόλλωνι* aliter nunc, puto, quam olim te statuere memini, statuis. Quod vero singulari modo Dianae originem enarrasse fertur, id fortasse ad quaestionem de mysteriis per Aeschylum diuulgatis pertinet. Caeterum Galenus, quem ipse dudum inspexi, 217. col. b. 20. Parte V. ed. Ald., *ἐξ ἀντιαίας* habet, vt recte in Bentl. Epist. ed. Oxon. In Opusc. Phil.: *Ἐξαντίας*.

Arati versum, Dios. 410. (1142.) quum olim tractabam, vl- 32
timum esse ex antiquis poetis, qui canoni de prosodia vocis *καλὸς* repugnaret (de Dionysii Periegetae duobus locis iam disserueram), pronuntiabam. Nimis confidenter. Eratosthenes ap. Schol. Apollonii ad I. 972. p. 47. Steph. *ἐν τῷ Ἑρμῇ — ἣ χερνῆτις ἔριθος, ἐφ’ ὑψηλȣ͂ πυλεῶνος Δενδαλίδας τεύχȣσα, καλὰς ἤειδεν ἰȣ́λους*. Cf. Int. ad Hes. v. *Δενδαλίδας*. *Ἑρμῆν* Eratosthenis epicum carmen fuisse etiam aliunde constat. *Καλάς* (sic quasi femin.) *ἰȣ́λους* referunt Spanh. ad Call. p. 733. Ern., Schneid. in Lexico v. *Ἴȣλος*. Iacobsius Anim. in Anth. I. II. p. 314. hac quidem de re nihil. H. Steph. vt memoratur ad Hesych. legebat *καλȣ́ς*: et *καλȣ̀ς δ’* Brunckius, qui ad Apollon. p. 44. „Eratosthenis versus in scholiis editis corrupti sic legendi sunt: *ἦν δ’ ἄρα χερνῆτίς τις ἐφ’ ὑψηλȣ͂ πυλεῶνος δενδαλίδας τεύχουσα, καλοὺς δ’ ἤειδεν ἰούλους*. —“ et sic in Lect. ad Analecta p. 112.: sine omni epici sermonis intelligentia nisi erratum est. Debuerat scribi: *ἦν δ’ ἄρα χερνῆτίς τις ἐφ’ ὑ. πυλεῶνος, δ. τ., κ.* etc. vel *ἦν δ’ ἄρα χ. τις, ἐφ’ ὑ. πυλεῶνος δ. τ., κ.* etc. Mirum tamen quod et Scholiastes Apollonii et Etymologus M., certe in edit. principe ap. Jacobs., et Tzetzes in lectione *καλὰς* (sic Tz. non *καλὰς δ’*) consentiunt. Scribe: *ἣ χερνῆτις ἔριθος ἐφ’ ὑψηλȣ͂ πυλεῶνος* (addi quoque potest comma post *πυλ.* vt est in Lycophronis ed. Bas. Opor. 546.) *δενδαλίδας τεύχουσ’ ἁπαλάς, ἤειδεν ἰȣ́λȣς.*[63]) Iure posthabeo alteram coniecturam, *τεύχουσα πάλης*. Epico Homeri sermoni assuetus fortasse ad *ἰȣ́λȣς* desideret epitheton, a quo per me licet versum sequentem incepisse putet. Sed non necessarium; Eratosthenes non fuit Homerus.

---

63) *καλῷ* et *ἁπαλῷ* confusa, vt videtur in Theocriti Colo vs. 4.

Disputaturus eram de ι datiui elisa et de ι muta. Obiter moneo, ἐάω apud Homerum fortasse digamma habuisse. Δέπα', γῆρα' non dictum fuit, sed χῆρᾳ, δέπᾳ: Cod. Harl. in Od. κ. 316.: δέπαϊ.[64]) In Il. κ. 277. fero ὄρνιθ'. Melius fuisset θι productum ante 'Οδ. Saepe huiusmodi locis ita succurrendum est, vt casum quartum positum existimes a poeta, non datiuum, veluti Il. α. 350. vbi θῖν' pendet ab ἔφ', et Od. γ. 469. vt taceam de Il. α. 567. In Il. ε. init. poeta cecinerat: — πῦρ,

ἀ σ τ έ ρ̣, ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον, — —

---

64) Od. VIII. 224. Il. XX. 259., vbi mirum, quod Aristarchea lectio non approbare sese potuerit Heynio, tam acri alias augmenti aduersario. — ἠϊόσ', foede Orac. Sibyll. apud Lucian. Pseudomanti T. I. p. 518. Bas. Vtique praestabat ἠόσιν. v. Herm. ad Orph. Arg. 564. et p. 820. cf. pag. 765. ad Philippi Epigr. ἠοσιν etiam Dion. P., vt vnum addam, v. 575.

Aug. Ferd. Naekii

Dissertatio critica,

qua Tzetzae ad Hesiodum locus restituitur et Callimachus aliquoties illustratur, emendatur, suppletur. *)

Veterum librariorum peccata, ut hodie scribarum et in officinis typographicis operarum, qui veteribus librariis ita similes sunt, ut plerumque illos imperitia atque negligentia superent, duos maxime fontes habent et in duo genera dividi possunt. Unum idque usitatissimum, de quo accusandum corporis membrorum, quibus ad scribendum utimur, oculorum, aurium, dextrae, non satis fidum ministerium: oculorum, quum aliud legunt, quam legendum erat; vel aurium, quae, dum alius nobis dictat, vel nobismet, ut fieri solet, dictamus ipsi, dictata male accipiunt et male accepta manui tradunt; denique ipsius manus, invito scriba eas litteras pingentis, quae non pingendae erant. Constat etiam hos errores saepe 391
cum aliquo mentis usu vel potius abusu coniunctos esse. Quum enim hac quam dixi via multa nascantur prorsus vitiosa, enormia, portentosa, sunt rursus alia, quae quantumvis sive a scriptoris sensu aliena, sive grammaticae legibus repugnantia, sive metricis rationibus perniciosa, per se tamen, si singula spectes, sana sunt et recte formata et sensum praebent. Nimirum scribae, etiamsi unice illud agere videatur, ut exemplum, quod ante manus est, scribendo exprimat, tamen vanae quaedam imagines et pristinae eorum, quae alibi legerit aut audiverit, recordationes

*) Ex Annalibus Universitatis Borussicae Rhenanae. Bonnae 1821. p. 390—415.

ante animum volitant et nolentis oculis auribusve calamoque sese obtrudunt. Sed magis fallax est ac maiorem ut difficultatem, ita, ubi feliciter investigatum et scite emendatum fuerit, delectationem habet alterum peccatorum genus, quod et ipsum mentis abusui debetur, sed mentis liberae sibique consciae. Interpolationem dico, qua librarii pro sua sapientia mutarunt, deleverunt, addiderunt, quod ipsis mutandum, delendum vel addendum videretur.

Utrum huic an illi generi annumerem dubito, sed alterutri annumero et certa emendatione restituturus sum Tzetzae locum propter Homeri mentionem, valde adhuc obscuram, et propter ipsam vitii speciem admodum memorabilem. Versus est in Scuto Herculis 397.

ἴδει ἐν αἰνοτάτῳ, ὁπότε (vel *ὅτε τε*) *χρόα Σείριος ἄζει:*

392 ad quem haec vulgantur ab Ioanne Tzetze scripta: *ἴδει ἐν αἰνοτάτῳ. τὸν καιρὸν λέγει τῆς μάχης. ἴδει ἐν αἰνοτάτῳ, ἐν τῷ θέρει τῷ καυματώδει, ὅτε τὰ σώματα ἔδονται καὶ κατεσθίονται τοῖς ἱδρῶσι· παρὰ τὸ ἰδεῖν, ὅ ἐστι ἱδροῦν. καὶ Ὅμηρος· ἴδει αἰνοτάτῳ.* Quid vero? Nusquam in Homeri carminibus haec verba legi olim observatum est, quum Hesiodi Scutum edebat, Heinrichio, viro celeberrimo mihique amicissimo, cum quo nunc mihi *συμφιλολογεῖν* et opus una facere in novis hisce Musarum hortis suave est. An fragmentum esse iudicabimus deperditi carminis Homerici? Mirum, si hoc solus noverit Tzetzes: ac bene factum, quamquam casu magis atque ignoratione huius loci quam consilio factum puto, quod tam praeclarum hemistichium, *ἴδει αἰνοτάτῳ*, praetermiserunt viri docti ii, qui fragmenta Homeri collegerunt. Quod quidem hemistichium etiam propter hiatum parum suavem et, quod gravius: nam hiatus iste facile tolli posset: propter ipsam vocem *ἶδος* suspectum est. Si enim Hesiodus *καῦμα ἰδάλιμον* et Hesiodi de schola poeta *ἴδει ἐν αἰνοτάτῳ* dixit, non sequitur inde, eamdem dictionem etiam decere Homerum. Equidem quum dudum apud me compertum haberem, quid fieri deberet tam obscuro loco, intervenit Gaisfordii editio Poetarum Minorum Graecorum. Quem librum ea primum animi affectione evolvere coepi, qua solemus librum a viro fama noto ea super re scriptum, in qua ipsi antea aliquantum operae po-

suerimus. Tum enim ante omnia hoc quaerimus curiosius, an quid ille eorum, quae nos olim qualicumque acumine nostro ob- 393 servata memoriae futurum in usum mandata, vel etiam in chartis reposita habemus, occupaverit: quod sicubi factum videmus, curiositatem mixtus quidam ex laetitia et dolore sensus excipit, quandoquidem paullulum dolet, qui alicuius inventionis laudem praereptam sibi ab alio intelligit, sed mox laetitia dolorem mutat, quicumque inventa sua non numerat et in litteris magis litterarum commodum quam suam gloriam quaerit. Verum hoc quod dico *γλυκύπικρον* vellem saepius moveret Gaisfordius iis, qui librum illum adeunt: quod sine invidia moneo in virum optimum, qui quid exspectari a se iuberet, id satis modeste in praefatione indicavit atque promissis suis ita stetit, ut et utilem et nitidum librum ediderit. Ad Tzetzae locum Gaisfordius nihil quam Heynii in Il. VIII. 476. observationem commemoravit. Sane eam observationem ego quoque dudum annotatam habebam: quod Tzetzen illustraret, exsculpere inde potueram nihil. Heynius enim ibi Homericum *στείνει ἐν αἰνοτάτῳ* monet convenire cum Hesiodeo *ἴδει ἐν αἰνοτάτῳ*, et cum eo comparari a grammaticis. Non dicit, quibus grammaticis; sed Tzetzen haud dubie intelligebat: nam Eustathius et Veneta scholia nihil eiusmodi, neque in scholiis, quae Heynius habebat, ineditis ea de re monitum esse credo. Iam igitur Heynii, quantum video, ea sententia fuit, ut censeret, Tzetzen scripsisse: *καὶ Ὅμηρος· στείνει ἐν αἰνοτάτῳ.* Similitudinem autem horum locorum in eo ponebat Heynius, quod in utroque esset: 394 *ἐν αἰνοτάτῳ.* At, emendationem ut mittam parum illam probabilem, quantilla, quaeso, ista similitudo est? Istamne tam admirabilem visam esse Tzetzae, ut sic commemoraret? Alius credat. Ego certe, si quid in tota hac disputatione sani esset, hoc mihi mallem persuadere, Tzetzae, quum Homeri locum ex Iliadis octavo recordaretur, aberrantem memoriam pro *στείνει* subministravisse *ἴδει.* Verum longe aliud Tzetzae verba monstrant, Tzetzae disputatio suadet. Ac primo ille non scripsit, quod vulgo legitur, *ἰδεῖν*, sed *ἰδίειν.* Iam videat aliquis. Post haec: *ἴδει — παρὰ τὸ ἰδίειν, ὅ ἐστι ἱδροῦν· καὶ Ὅμηρος*: quid exspectamus aliud, nisi ut exemplum sequatur, quo *ἰδίειν* idem esse quod *ἱδροῦν* probetur? Atque ita est. Eiiciendum est Homericum

hemistichium, quale numquam, ac ne Tzetzae quidem in cerebro exstitit, et reponendum, quod scripserat grammaticus:

— *παρὰ τὸ ἰδίειν, ὅ ἐστι ἱδροῦν. καὶ Ὅμηρος·*
ἴδιον ὡς ἐνόησα.

Ex Odyss. XX. 204. Quod apud Homerum unicum huius verbi exemplum est, celebratum propterea a grammaticis: v. Suidam in v. *ἰδίειν*, et reliquos, Etymologica maxime, Gudianum in v. *ἰδαλίμου*, et Magnum in v. *ἴδος*, ex quo vel solo emendari poterat Tzetzes. Etymologum enim qui inspexerit, habebit fontem, ex quo sua derivavit Tzetzes. Post Homerum verbum frequentat
395 Aristophanes, veluti Ran. v. 237. quem locum, quod obiter dico, respicere videtur Hesychius v. *ἰδίει*. Cf. si placet, Ruhnk. ad Timaeum p. 147. Tzetzae quomodo pro genuina scriptura hac: *ἴδιον ὡς ἐνόησα* obtrusa fuerint tam dissimilia: *ἴδει αἰνοτάτῳ*, fortasse demonstrare supervacaneum est: quae enim per se certa emendatio est, non eget ea commendatione, quae artificiosa demonstratione repetitur ab inexhausta librariorum libidine: sed propter ea, quae supra dicta sunt, monstrabitur, quum non una detur huius perturbationis explicatio, nullam tamen tam certam dari, ut prae ea necessario respuenda sit altera. Ac fuit quum nihil aliud mihi verba ista *ἴδει αἰνοτάτῳ* videbantur esse, quam lemma sive, ut recentiores quidam loquuntur, signatura eius ipsius scholii, in quo versati sumus, repetitum ab aberrante librario, qui prae eo omiserit verba a Tzetze scripta *ἴδιον ὡς ἐνόησα*. Nunc tamen de alio corruptionis modo, quamquam et hoc satis memorabili cogito, Ex *ἴδιον* quomodo fieri potuerit *ἴδει*, facile intelligitur. Itaque quum *ἴδει* scripsisset pro *ἴδιον*, librarius vel consulto, quod nesciret, quid faceret verbis *ὡς ἐνόησα*, ex Hesiodo reposuit *αἰνοτάτῳ*, vel, quod malim, oscitans et in recordationem versus Hesiodei delapsus, verba *ὡς ἐνόησα* praetermisit et pro iis *αἰνοτάτῳ* scripsit.

Campum attigimus latissimum et uberrimum innumerorum errorum fontem, in quo quid nos paullulum immorari vetat, praesertim quum eo degressio nostra nos reductura sit, unde initium
396 disputandi sumpsimus? Eum errorem dico, quo vel librarii vel nostrae aetatis critici antiquiorum scriptorum fragmenta a grammaticis aliisque scriptoribus recentioribus conservata nunc decur-

taverunt, nunc iusto longiora fecerunt eo, quod antiqui auctoris verba a verbis eius, qui illa affert, non satis accurate distinguerent; nunc etiam, cuius rei insigne exemplum propositurus sum, traiectione verborum corruperunt.

Ac primo quidem, quum de eo agitur, quam multa vel quam pauca antiquioris scriptoris verba apponere soleant ii, qui aliorum verba laudant, quaeremus, an possit consuetudo aliqua aut lex inveniri atque detegi, quam illi sequuti nunc pauca nunc apposuerint plura. Habuerunt utique legem eamque legem, quam ferebat natura rei. Memores enim illi necessitatis, quam duplicem impositam habet, quicumque alius scriptoris verba appositurus est, ut et brevitatem et perspicuitatem sectetur, plerumque, ut breves essent, non plus apposuerunt, quam ad suam rem necessarium esse existimarent, sed tamen, perspicuitatis caussa, tantum, quantum requirebatur, ut ne alterius scriptoris verba per se seorsum prorsus obscura et sensu cassa essent. Gradus quosdam haec res habet, quos breviter percurram. Sic quum ex poetis verba afferunt, grammatici saepissime integrum versum, qui absolutum sensum habet, vel integrum distichon apponunt. Eratque hoc profecto commodissimum. At non semper integro versu sensus absolvitur; at saepe sententiae initium in medio versu, finis in sequente versu est. Sane: sed tum quam nor- 397
mam poetae in scribendo, eam grammatici in laudando observare, et ad membra orationis poeticae caesurasque attenti, quum omnis versus suos quosdam locos habeat, in quibus interpunctionem novaeque sententiae inceptionem admittit, hos locos arripere, ab his inde locis exordiri, vel ad hos usque pergere consueverunt. Sic nihil frequentius in versibus elegiacis, quam laudari duos pedes heroici versus postremos cum pentametro. Contra saepe afferuntur quatuor versus heroici pedes priores. Nimirum in nulla hexametri sede frequentius poetae interpunctionem admiserunt et novae sententiae initium fecerunt, quam ea, in quam cadit caesura bucolica. Non minorem vim apud poetas et hinc apud illos, qui poetarum verba afferunt, penthemimeres sive caesura semiquinaria habet, et ea, quae tertia trochaica appellatur. Callimachi fragmentum CCLXXXVII. ex Ammonio depromptum, ita se habet: *εἵνεκεν οὐχ ἓν ἄεισμα.* Rursus poste-

riorem versus partem inde a tertia caesura trochaica praebet fragm. CCLXXIX. *νόθοι δ' ἤνθησαν ἀοιδαί.* Quae duo fragmenta in unum versum coniunxit Valckenarius in Callim. eleg. fragm. p. 279. probabili coniectura: quam qui acceperit, clarissimo exemplo videbit, quomodo in eiusmodi locis versati sint grammatici. Ammonius, ut qui unice curaret vocem *εἵνεκεν*, prius hemistichium apponere satis habuit, ac sufficiebat hoc, quum sensum absolutum habeat. Alterum, quod et ipsum suum per se
398 sensum habet, in suam rem apposuit interpres Aristophanis. Atque haec quidem usitatissima exempla sunt. Verum ut poetae etiam in alia versus sede interpunctionem ponere potuerunt et vero posuerunt, veluti post primum hexametri pedem, ita fieri potuit ac factum est, ut grammatici versum caetera integrum, sed primo pede reciso, afferrent. Callimachus, nam consistam in Callimacho, fragm. CCLXXX.

— *Λιμναίῳ δὲ χοροστάδας ἦγον ἑορτάς.*

Sic hoc interpres Aristophanis ad Ran. 216. nisi quod antiqui libri, veluti Aldina, *χοραστάδας*, iam correctum tacite a Favorino in v. *Λίμναι.* At quod eumdem poetae locum Stephanus Byz. v. *Λίμναι* his verbis tangit: *ἔνθα ὁ Διόνυσος ἐτιμᾶτο καὶ οἱ Λιμναῖοι χοροστάδας ἦγον ἑορτάς*, id tantum valebat apud Hemsterhusium, ut integrum inde senarium effingeret hunc: *καὶ οἱ Λιμναῖοι δὲ χ. ἦγον ἑ.* Indigna tanto viro opinatio: nusquam particula *δέ* hoc modo ponitur a Callimacho. Ego, etsi percommodum est *Λιμναίῳ*, quod interpres Aristophanis habet, tamen et Stephano Byzantio aliquid dandum esse censeo, ita ut ex comparatione utriusque testis hoc emergat:

— *Λιμναῖοι δὲ χοροστάδας ἦγον ἑορτάς.*

Quod apud Stephanum est, *καὶ οἱ*, a Stephano est, Callimachi verba, ut interdum fit, suae orationi intexente: unde et particulam *δέ* omisit.

Nolo in his diutius morari, quae facile quisque ulterius persequi poterit. Illud gravius est atque errori magis obnoxium,
399 quod interdum grammatici, contra eum morem, de quo modo disputatum est, verba sensu carentia apponere, quam versum aliqua sui parte truncatum exhibere maluerunt. Id quum Hephaestio facit, ubi Callimachi pentametrum profert:

ἱερά, νῦν δὲ Διοσκουρίδεω γενεή:

nihil mirum. Integro versu opus erat, quo caesurae neglectio quam clarissime demonstraretur; integro sensu non opus erat in demonstratione rei metricae. Sed aliud exemplum videbimus. Callimachi distichon apud graecum Sophoclis interpretem ad Oed. Col. 489. ed. Brunk. exstat, quod in prima Callimachi fragmentorum collectione est XV. p. 237. ed. Graev. vel p. 343. ed. Ern. et apud Bentleium CXXIII.

νηφάλιαι καὶ τῆσιν ἀεὶ μελιηδέας ὄμπνας
λήτειραι καίειν ἔλλαχον Ἡσυχίδες.

Primo *ὄμπνας* scripsi cum Brunkio. Ex editione scholiorum Sophoclis Romana Reisigius nuper protulit *ὄπας*: unde *ὠπάς* est in priore illa Callimachi fragmentorum collectione p. 237. ed. Graev. quod ibi iure miratur Anna Fabri. Alii inde rectius fecerunt *ὄμπας*. Ego *ὄμπνας* malim, maxime propter eiusdem Callimachi fr. CCLXVIII. quod schol. Nicandri Alexiph. v. 450. conservavit: *ἐν δὲ θεοῖσιν ἐπὶ φλογὶ καιέμεν ὄμπνας*: ibi enim, etsi in Nicandri versu et in scholiastae verbis vacillet lectio, at
in Callimachi tamen versu Aldus, quantum memini, in utrisque 400
scholiis: nam duplex in Alexipharmaca scholiorum genus est: constanter praebet *ὄμπνας*. Sed propterea hanc formam ubique restituere non audeam; veluti improbo, quod Hesychio, ubi nunc *ἄμπαι* est, *ὄμπναι* restitui iubet Toupius Emend. in Hes. p. III. pag. 86. vol. IV. Deinde in versu breviore vulgo apud schol. Sophoclis et hinc in Callimachi fragmentis legitur *Ἡσυχίδαι*. Scripsi *Ἡσυχίδες* ex emendatione Bentleii, quam egregie confirmat quod ex editione illa Romana prolatum est a Reisigio, *Ἡσυχίδαις*. Quam scripturam quum in priore fragmentorum collectione p. 237. ut Vulcanii et Annae F. ita bene retinuisset editio Graevii, ibi quoque Ernestina editio vulgatum *Ἡσυχίδαι* recepit et sic viam veri omnino praeclusit. Praeterea Bentleius, ut alibi saepius, Callimacheam vocem *λήτειραι* Hesychii auctoritate confirmare neglexit. Attulit eius verba Anna Fabri: *λήτειραι· ἱέρειαι τῶν σεμνῶν θεῶν*. Haud dubie Callimachum respexit. Neque alio retulerim eiusdem Hesychii haec: *λείτειραι. ἱέρειαι.* Aliud, *λίτειραι*, utrobique latere suspicabatur H. Stephanus Thes. lud. p. 1375. Callimachi tum non memor et deceptus Hesychii

interpretamento *ἱέρειαι*. Nimirum *λῄτειραι*: nam sic scribendum putaverim ex eiusdem Stephani in v. *λητόν* observatione: non sunt sacerdotes proprie, sed quasi puplicanae. Verum aliud erat, propter quod apposui Callimachi versus. Non una obscuritate laborat quod in priore versu legitur *νηφάλιαι*. Vertit Bentleius, si is Bentleius est, qua de re v. Ruhnkenii et aliorum ad Io. A. Ernestum epistolas a Tittmanno editas p. 27. 28. abstemiae etiam illis semper mellitas fruges sacer-
401 dotes adolere sortitae sunt Hesychides. Mirum: non illud quaerebatur in his sacris, ut sacerdotes abstemiae sive sobriae, sed hoc, ut sacra sobria essent, id est *ἄοινα*. Quod quum perspexisset Hemsterhusius, sic legendum esse pronunciavit:

νηφάλιας καὶ τῇσιν ἀ. μ. ὀ.

ut iungantur *νηφάλιας μελιηδέας ὄμπας* vel *ὄμπνας*. Sic unum vitium sustulit; alterum, gravius illud, reliquit. Non satis enim observaverat coniunctionum *καί* et *δέ* usum, et quemadmodum in fragm. CCLXXX. particulam *δέ*, ita hic coniunctionem *καί* ea collocatione posuit, quae quum in omni poesi antiqua, tum in epico sermone, quem hac quidem in re studiose colit Callimachus, insolens est. Atque apud Callimachum non nisi unum exemplum novi, quo secundum locum coniunctio *καί* tenere videatur. Est illud in hymno Deli versu 12. Valckenarii dubitationibus celebrato. Quippe constat, Valckenarium in eleg. Callim. fragm. p. 272. seqq. de illo ipso versu, an non genuinus sit, magnam suspicionem movisse, argumentatione non inexpugnabili quidem, ut ego iudico, sed multo tamen graviore ac fortiore iis argumentis, quibus alios Callimachi versus impugnavit Ruhnkenius. Nam Ruhnkenius quotcumque Callimachi hymnorum versus, sunt autem non pauci, suo Marte suaeque sagacitati confisus contra librorum auctoritatem spurios declaravit: quod vereor ne opinioni cuidam magni magistri sui, Hemsterhusii, obsequutus fecerit, de
402 qua in Epistolis illis valde laudabili consilio a Tittmanno editis p. 6. et in Epist. cr. II. p. 165. relatum est: in iis omnibus nullus est, de quo praeter hoc unum, si abesset versus, neminem desideraturum fore, aliquid demonstraverit amplius. At hac fiducia si quis antiquos poetas castigare et

purgare aggrediatur, vide quam hoc periculosum futurum sit quum omni poetae, etiam ei, qui vel maxime praecise et breviter scripserit, tum vero magis ei, qui non omnibus absolutus sit numeris, vel adeo non fugerit, sed in laude posuerit ultroque quaesiverit artificiosam quamdam ubertatem et amabilem loquacitatem. Haec loquacitas, quae nunc in sententiis subtili ratiocinatione et argumentatione amplificandis, explicandis, concludendis, nunc, quod rhetor dicat, in conduplicatione et reversione, id est, in repetitione verborum, membrorum, hemistichiorum, idem vel cum aliqua varietate simile sonantium, ludit et placet sibi; haec loquacitas, inquam, tam propria Callimacho, quod latuit atque effugit Ruhnkenium, et eo usque effugit, ut interdum ex Callimacho ipsum Callimachum expelli iusserit: id paene irascor ac vellem aliud accidisset viro elegantissimo. Parum est, ut unum addam in eorum gratiam, qui forte in Epistola crit. II. p. 139. ad hymnum Apoll. 64. scripta meminerint; parum est, quod *βραχυλογίαν* Callimachi subsidio sibi advocat vir prae cupiditate praeter solitum negligens. Fuit sane sua Callimacho *βραχυλογία*, eaque gloriatur ipse: scio qui loci obversati sint
Ruhnkenio ista scribenti: verum ea breviloquentia longe alia est, 403
quam opinabatur Ruhnkenius. Non verborum enim, sed poematum brevitatem sectatus est et laudavit Callimachus. Cautior Ruhnkenio Valckenarius, quum versum Callimachi in suspicionem adducturus esset, eum sibi sumpsit, in quo re vera aliquid reprehendi potest. Quamquam neque versum spurium esse pervicit Valckenarius; nam genuinus est; et omnino iusto studiosius atque ita disputavit, ut totius loci nexum Callimachique sententiam non perspexisse videatur. Certe ego numquam intelligere potui, qui factum sit, ut hoc sibi persuaserit Valckenarius, versu illius hymni undecimo et proxime sequentibus laudes Deli insulae, easque magnificas, canere poetam. Immo mala omnia de Delo insula praedicant hi versus, quo grave magis atque admirabile sit, quod deinde subiicit, inter principes insulas vel principem omnium numerari insulam vilem per se, sed Apollinis natalibus claram. Sic recte hunc locum accepit et vertit Ernestus, qui ut graecarum litterarum peritia longe longeque inferior Valckenario fuit et corruptis Callimachi locis non multum profuit, ita in vi

verborum et sententiarum ex cogitationum ordine nexuque declaranda, quo erat sensu natura recto acutoque et optimorum scriptorum lectione probe exercitato, non male interpretis officio functus est. Singula nunc persequi non vacat. Unum commemorabo hoc, ne illo quidem in versu particulam *καί* esse coniunctionem simpliciter: hanc enim non potuisset secundo loco
404 ponere Callimachus: sed illa etiam significat et cum v. *μᾶλλον* coniungenda est. *καὶ μᾶλλον*, ut nos noch mehr non solum de eo dicimus, quod plus quam multum, sed etiam de eo, quod plus quam parum est. Ut hoc dicat poeta, mergis quidem non multum celebratam esse insulam, sed tamen mergis magis, quam equis. Restat ut fragmentum illud percuremus, in quo constiteramus. In eo particula *καί* loco non suo posita iam illum male habuisse videtur, qui primam Callimachi fragmentorum collectionem fecit: reposuit enim tacite *γάρ*. Immo scribendum sine ulla mutatione:

νηφάλιαι· καὶ τῆσιν —

Praecesserat vocabulum, a quo pendebat *νηφάλιαι*, tale quale *θυσίαι*; vel, quod malim, ipsas Eumenides sobrias, *νηφαλίας*, esse dixit poeta. *) Ego, fateor, non haereo in forma insolentiore *νηφάλιαι*; vulgo quidem est *οἱ* et *αἱ νηφάλιοι*. Quodsi cui vehementer displiceat *νηφάλιαι*, ac sane simile exemplum non habeo, is ultra viderit, an *νηφάλεαι* placeat, rara forma et propterea in Callimacho commendabilis, quae testes habet Etymologum, Suidam, Zonaram, Arcadium. Sed genuinum est *νηφάλιαι*. Iam hoc, puto, nemo quaeret, quo vetus Sophoclis interpres consilio addere vocem ad praecedentia pertinentem quam omittere maluerit: nempe ut ne capite truncatum distichon apponeret; tum praeterea vox *νηφάλιαι* obscurum quidem sed tamen eum sensum praebebat, quem aliquis divinaret, ea quae sequuntur considerans.

405 Multum olim operae in Callimachi fragmentis posui, ac nunc quoque neque quod in fragmentis, neque quod in Callimachi fragmentis posuerim, poenitet. Illud quidem nostris temporibus haud eget excusatione. Quod vero in Callimacho aliquantum

---

*) [Cf. Reisigius Oedip. Col. Enarr. v. 479.]

operae collocavi, in re critica non multum, neque ad eius utilitatem, qui suum ipse ingenium exercere et iudicium acuere cupiat, neque ad illorum commodum, quos postea docere et quibus scribere propositum habeat, interesse existimabam, in quonam scriptorum genere laboret ille, modo strenue laboret et accurate. Tum gravis auctor graecae linguae Callimachus. Fragmenta autem eius et permulta sunt, collecta iam maximam partem a magno viro praeclara diligentia, quae ipsa dum ulterius pergentis studium egregie adiuvat, simul aemulationem provocat; et pleraque omnia ex iis operibus desumpta, quae sine controversia praestantiora erant his, quos habemus, Callimachi hymnis; et ita se habent, ut qui curam adhibuerit, imaginem deperditorum operum satis certam delineare, et quod fecimus damnum, quodammodo sarcire possit. Nunc unum adiiciam supra observatis in Callimachi fragmenta, pristinum, ut illa, inventum meum, idque apprime idoneum, quo illustretur illud corruptionis genus, de quo disputare institui. Fragmentum CXXIV. sic edi passus est Bentleius:

εἴδεος. ἀμφὶ δέ οἱ κεφαλῇ νέον Αἱμονίηθεν
μεμβλωκὸς πίλημά τι πέτρον ἄλκαρ ἔκειτο.

Horum versuum secundum, nam de priore dicere differo, statim 406
apparet elumbem esse: habet enim caesuram in ultimo pede tertio, qualem perhorrescit Callimachus. Scribendum erat certe: *μ. πίλημα τὶ πέτρον ἄλκαρ*, quo *τι* connecteretur cum v. *ἄλκαρ*, qua re et versui consulitur et dictioni: *πίλημά τι* intolerabili modo languet, minus languet *ἄλκαρ τι*. Dico hoc contra virum eruditissimum et praestantissimum, qui si hunc locum vel similem ante oculos habuisset, fortasse non damnaturus fuisset nuper in Grammatica graeca maiore pag. 63. eorum sententiam, qui in Theocr. I. 32. sic scribi iubent: *γυνὰ, τὶ θεῶν δαίδαλμα.* Nimirum arctissima illa, cuius inclinatio indicium est, duarum vocum coniunctio quominus in Callimachi loco facta esse putetur, impediunt eae caussae, quas dixi; in Theocriti loco versus quidem non impedit, sed impedit altera caussa. Neque novitium hoc est apud Theocritum et recentiorum editorum commentum, quod edi solet *γυνὰ, τὶ θεῶν δαίδαλμα:* sed dudum sic ediderat H. Stephanus. Est tamen hac quoque in re prudentia opus,

ne quis bonam observationem corrumpat abutendo vel ad eos locos adhibeat, in quibus nullum illa usum habet. Veluti qui in Homerico loco, *μή τοί τι θεῶν μήνιμα γένωμαι*, cuius prorsus diversa ratio est, sic legi iusserunt: *μή τοι τὶ θεῶν μήνιμα γένωμαι*: quod et ab Homeri editoribus nonnullis factum est, et apud graecum Aeschyli interpretem ad Eumenid. 229., ubi Homericum illud latet sine nomine, sic vulgatum est inde ab H.
407 Stephano. In Callimachi fragmento *πέτρον* fuerunt qui solem interpretarentur, recte refutati a Bentleio; memini, qui sic interpretati sint, Annam Fabri pag. 366. Ern. et ante Annam Hadr. Iunium Animadvers. II. VI. pag. 83. ed. Basil. 1556. Bentleius, quo sententiae succurreret et metro, puto, prospiciens, quum parum suavem hiatum in *πέτρον ἄλκαρ* sentiret, coniecit *ὑετοῦ· τι ὑετοῦ*, pro uno hiatu alterum, suaviorem quidem sane, sed in Callimacho non minus insolentem. Suum honorem vindicemus poetae in re metrica religiosissimo. Ab hac parte tutum est Callimachoque satis dignum foret, sed a vulgata scriptura nimium quantum differt, quod aliquando ad Hesychium adscripserat Toupius, *Σειρίου*: Emend. in Hesych. part. II. vol. III. pag. 470. Sed iusto diutius moror in somniis: somnia enim ista sunt, si quidem *τι* illud et supra modum languet, etiam si cum v. *ἄλκαρ* construatur, et omni auctoritate caret. Hoc primus monuit Valckenarius ad Eur. Phoen. 786. Scholiorum Sophoclis, in quibus hoc fragmentum prostat ad Oed. Col. 314. Br. antiquissima exemplaria non habent *τι;* in Romano quidem, quem librum non contuli, sed exscripsit nuper Reisigius, lacuna inter *πίλημα* et *πέτρον*. Asteriscum habet, ubi versum profert, Iunius. Qui idem haud dubie animadverterat, Ios. Scaliger, referente Valckenario, lectionem inde effingebat vel propterea falsam, quod versum fecit pentametrum, quum manifesto epicum sit fragmentum. Aegre usque ad hunc locum Toupii laudes distuli, qui felicissima saga-
408 citate novum desperato Callimacho testem excitavit. Suidam, et Callimachone dicam ex Suida, an ex Callimacho Suidae, sed utrique una opera opitulatus est Emend. in Suid. p. III. pag. 77. vol. II. ed. Oxon. vel pag. 359. v. I. Lips. Scribe cum Toupio:

ἀμφὶ δέ οἱ κεφαλῇ νέον Αἱμονίηθεν
μεμβλωκὸς πίλημα περίτροχον ἄλκαρ ἔκειτο —

Callimachum respexit Suidas: πίλημα περίτροχον. περιφερὲς σκέ-
πασμα. Sic primum Toupius: vulgo legitur: πίλημα· περίτρο-
χον, περιφερὲς σκέπασμα. Exempla vocis περίτροχον qui quae-
rat idonea, inveniet apud Merrick. in Tryphiod. 518. vel ad
Hesych. v. περίτροχον. Praeterea quandoquidem praeclaras emen-
dationes interdum ab omni parte, etiam levioribus argumentis,
munire iuvat, palaeographicis rationibus observa sustentari Toupii
inventionem. Itaque omnia egregie Toupius. Verum vel sic de-
sideramus Colophona: quippe eam vir sagacissimus dubitationem
reliquit, quae omnium fortasse gravissima. In priore versu le-
gitur: εἴδεος. ἀμφὶ etc. vel, ut in plerisque scholiorum Sophoclis
exemplaribus: εἴδεος ἀμφὶ sine distinctione. Iam quid hoc rei
est? Anna Fabri distinctionem ponendam esse ait: vocem εἴδεος
ad versus qui praecesserant, pertinuisse. In eadem sententia
Iunius versabatur, qui ubi hoc fragmentum apponit, ab ἀμφί
initium capessit, εἴδεος omittit. Atque hoc ita fieri potuisse, quis
neget? simile est, quod modo videbamus, Callim. fr. CXXIII.
Verum tamen aliam viam ingressi sunt alii, ut qui recte, quam-
vis obscurius, sentirent, vocis εἴδεος aliquem usum esse ad sen- 409
tentiam Callimachi. Bentleius quidem, qui ὑετοῦ legebat, minore
distinctione post v. εἴδεος posita: *Illud autem εἴδεος*, in-
quit, *huc pertinere coniicio: ut novum pileum iste
induerit, et formae causa, et ad defendendam plu-
viam.* Eique coniecturae aliquam speciem, ut erat ingeniosus,
Apollonii versu II. 1075. apposito conciliavit. Ferrem dictum,
modo declaravisset Bentleius hoc, quod vult, sic dici potuisse a
poeta; id vero non declaravit ac nemo declarabit unquam. Me-
lius Toupius ille praeclare vidit, vocem εἴδεος ab eo, quo legitur,
loco removendam et in fine fragmenti ponendam esse, sed in
explicatione multum aberravit ab eo, quod veri simile. Nam sic
legit: πίλημα περίτροχον ἄλκαρ ἔκειτο εἴδεος: et callide vertit:
Circum autem caput erat nuper ex Haemonia perlatus pileus ro-
tundus, tegumentum atque tutamen *faciei contra solem.*
Callide. Etenim quum perspexisset propter Sophoclis locum et
propter interpretis graeci, qui Callimachum in testimonium vocat,
disputationem, non tam *faciei* mentione opus esse, quam, quod
etiam Iunius et Anna Fabri senserunt, eius rei, contra quam

ἄλκαρ sit pileus, id est solis: hoc, quo opus erat, vertendo supplevit: contra solem. At prorsus superflua est haec faciei commemoratio. Addo, vix bene graeca. Εἶδος, si a paucis quibusdam scriptorum locis, veluti Apollonii IV. 1193. discesseris, qui tamen ipsi magis videntur refragari sententiae
410 nostrae, quam refragantur re vera, formam speciemque faciei significat, non faciem ipsam; neque aptius graeco sermone ἄλκαρ εἴδεος dixeris pileum, quam germanico schutz des aussehens, vel ut hoc dici possit: ac poterit dici ea conditione, ut εἶδος idem quod pulcritudo sit: in puellam pulcram atque delicatam apte dicetur, non in eam feminam, femina est enim, quae hic describitur; quamquam ne Ismene quidem illa Sophoclea, quantumvis pulcra, illud egisse, quum pileum induebat, putanda est, ut pulcritudinem suam et nativum nitorem ab iniuria solis servaret incorruptum: sed, de pulcritudine secura, ut aestum molestosque sibi solis ardores in longinquo itinere defenderet, Thessalicum pileum induerat. Itaque nos unum tenebimus hoc, quod bene vidit Toupius, εἴδεος ultimo loco ponendum esse. Dignum memoria flagitium librarii, qui quum priorem versum uno pede carentem et in fine unum pedem abundantem videret, illum defectum hac abundantia supplevit, de sensu eo minus sollicitus, quo ille minus, quid sibi vellet εἴδεος, capiebat. Iam pro suspecta voce εἴδεος post Toupium viri docti, qui sole opus esse intelligerent, Valckenarius ad Theocr. Adoniaz. p. 344. B. Tyrwhittus Not. brev. in Toupii Emendat. vol. IV. pag. 421. Brunckius in schol. Sophoclis, Iacobsius Anim. in Anthol. Brunck. v. II. p. I. pag. 294. certatim omnes εἵλης legendum esse coniecerunt et affirmaverunt: nunc ita, ut εἵλης ἀμφὶ δέ οἱ scriberent, into-
411 lerabili hyperbato et quod vitiosum propter particulam δέ perverse collocatam, qua de re v. supra ad fragm. CCLXXX. dicta, et fragm. CCCII. quod eodem vitio laborat, cum Porsono sic lege: δύην ἀπόθεστον ἀλάλκοι; nunc, quod melius, ita ut scriberent: π. περίτροχον ἄλκαρ ἔκειτο εἵλης. Coniectura, ut videtur, non nimis infelix, sed cui deest illud, quod bonae emendationi proprium, ut persuasionem secum afferat et repente incutiat audienti. εἵλης et εἴδεος, si litteras spectes, multum inter se distant; adde quod ne aptum quidem huic loco videtur esse εἵλης. Εἵλη sive

εἴλη cum cognatis non fervorem, aestum, quo uruntur, sed teporem, quo illustrantur et quo apricantur vel homines vel loca, significat: αὐγὴν et θερμασίαν, ut loquuntur grammatici. Ἕλη et εἴλη est calor solis modicus ac tepidior: verba sunt Salmasii Plin. Exercit. p. 696. B. In quam rem quae afferri possunt grammaticorum testimonia, tam multa sunt et tam inter se convenientia, ut prae illis spernendus esse videatur, si quis diversa doceat grammaticus. Ac nunc quidem unum locum memini, quo docentur diversa, Hesychii: ἕλα — ἥλιος, αὐγή, (vel ἡλίου αὐγή) καῦμα. Sed hic fortasse per festinationem καῦμα scripsit, quum non recordabatur aptiorem interpretationem, θερμασία. Itaque si nihil amplius, saltem hoc constabit, non satis accurate Callimachum scripturum fuisse, si εἴλης ibi scripsisset, ubi exspectabatur καῦμα, πνῖγος vel aliquid simile. Quare hoc iam pro certo habemus, tale quoddam vocabulum, non aliud, restituendum esse. Ego aliquando αἴθεος coniiciebam: ve- 412
rum neque hoc illam, quae requiritur in emendatione, veritatis notam habet. Scilicet peritiores et qui supra a me disputata memoria tenent, iam dudum, quid agitem, norunt. Nec tamen omnia, ut puto, norunt. Callimachum ita emendabo, ut quemadmodum Toupius novum Suidae testimonium, sic et ego novum testem admoveam, Hesychium, qui non solum integritatem sed inexspectatum incrementum afferat Callimacho et a Callimacho lucem accipiat mutuo. Igitur haec scripserat Callimachus:

ἀμφὶ δέ οἱ κεφαλῇ νέον Αἱμονίηθεν
μεμβλωκὸς πῖλημα περίτροχον ἄλκαρ ἔκειτο
ἴδεος ἐνδίοιο.

Hesychius: εἴδεος ἐνδίοιο· καύματος μεσημβρινοῦ. Sic recte Musurus; liber ms. Schowio observante, ἐν δήοιο. Glossam ex aliquo poeta desumptam esse intellexerat Albertus: iam tenemus poetam. Praecedit haec glossa: εἴδεος· θάλπους, καύματος, quam cum illa in unam conflavit, omisso v. ἐνδίοιο, Favorinus: εἴδεος· θάλπους, καύματος μεσημβρινοῦ. Male quod omisit ἐνδίοιο, caetera non male: nam profecto ad unum eumdemque Callimachi locum utraque glossa pertinet. Sed etiam genuinam scripturam conservavit Hesychius: ἴδεος· πνίγους, ex eodem Callimachi loco; neque alio spectat, quod Suidas in v. ἰδίειν habet:

ἴδεος· καύματος, ἱδρῶτος. Hesychio ut alibi, ita in hac voce sollemne est pro littera *ι* longa scribere *ει*; unde mira duarum
413 vocum valde diversarum, *εἶδος* et *ἶδος*, confusio. Veluti in hoc loco: *εἶδος· καῦμα, σῶμα, χρῶμα.* Impeditiora haec sunt eiusdem Hesychii: *εἴδη· εἶδος, καῦμα, χρῶμα, σῶμα, ὄψις, πρόσωπον.* Quae in duas fortasse glossas dividenda, ut fuerit olim: *εἴδη· εἶδος*; et deinde suo loco: *εἶδος· καῦμα, χρῶμα, σῶμα, ὄψις, πρόσωπον.* Prioris glossae fides interea sit penes Hesychium: nam Fulgentii, inepti hominis, quem laudat Albertus, etiamsi certa ibi esset lectio *ποιοῦντα εἴδην*, non magna auctoritas foret: at apud Hesychium tamen satis se ipsa tuetur illa glossa: idem est enim, quod alio loco Hesychius habet: *ἴδη — δηλοῖ — καὶ μορφήν*; cf. Etymol. Gud. p. 163. 38. Quum semel *εἶδος* et *ἶδος* confudisset, longius progressus est Hesychius, apud quem etiam hoc legitur: *ἠεῖδος· πνῖγος.* Ibi quoque *ἶδος* latet; animadverterunt viri docti.

Grammaticorum locos, in quibus *ἴδεος* vel pro eo exhibetur *εἴδεος*, ut ad Callimachum referrem, quotquot sunt, omnes, caussam habui hanc, quod rarioris usus vocabulum est. Sic, si qui *ἴδει* habent grammatici sine auctoris nomine, ut Etymol. ms. apud Is. Voss. ad Hesych. v. *ἴδεος*, omnes ad Hesiodi locum in Scuto Herculis spectare credo. Ab Hesiodo acceptum usurpavit Callimachus, et post Hesiodum Callimachumque unus, quem noverim, Dionysius Periegetes v. 966.

ἴδεϊ θαλπομένοισι μελαίνεται αὐαλέος χρώς.

De sede fragmenti Callimachei quid sentiam, non obscure
414 significatum est supra. Diu est quum Valckenarius ad Theocr. Adoniaz. p. 344. coniectura perquam probabili, Hecales hoc fragmentum esse opinatus est atque ex eadem Hecale, quod proxime sequitur, fragm. CXXV. desumptum esse coniecit. Maiorem dubitationem Eldikii Suspicionum spec. c. IV. p. 22. opinio habet, cum fragmento CXXV. coniungentis illud, quod nunc est CLXXXI. Sed hoc longioris disputationis est. Unum, ne quis forte haereat, reliquum est, de quo admoneatur: in Callimachi hemistichio a nobis restituto legitime esse *ἐνδίοιο* producta *ι* littera. Sic ipse Callimachus fr. CLXVII. Cf. ignoti poetae apud Suidam in v. *ἔνδιος* versus:

ὄφρα μὲν οὖν ἔνδιος ἔην ἔτι, θέρμετο δὲ χθών,
τόφρα δ' ἔην ὑέλοιο φαάντερος οὐρανὸς ἤνοψ.

in quibus ἔνδιος non *meridianus*, μεσημβρινός, ut negligentius interpretatur Suidas, sed *meridies* est, μεσημβρία, μεσημβρινὸς καιρός. Nisi Suidas nomen ἔνδιος masculino genere sic tantum *meridiem* significare putaverit, ut cogitando suppleatur καιρός. Cf. Etym. M. et Zonarae lex. v. ἔνδιος, ex quibus Etymologico Gud. p. 186. 39. restituendum videtur: ὁ μεσημβρ. καιρός, et scholia, sed Parisina, Apollonii Rhodii ad lib. I. v. 603. Vel sic ista iungebat Suidas: ἔνδιος ἔην — χθών; quod parum placet. Imitationem eamque elegantem, Homericorum versuum: ὄφρα μὲν ἠὼς ἦν καὶ ἀέξετο ἱερὸν ἦμαρ et ὄφρα μὲν Ἠέλιος μέσον οὐρανὸν ἀμφιβεβήκει, facile agnoverit, qui aliquem Homeri usum habet. Ego olim Choerili versus esse suspicabar. Ac profecto nihil inest, quod a Choerileo dicendi genere 415
abhorreat. Scripsi autem τόφρα δ' ἔην; vulgo apud Suidam τόφρα δὲ ἦν legitur.

Scr. Bonnae, extremo Martio, CIϽIϽCCCXXI.

PROOEMIA ET PROGRAMMATA

SCHOLIS FESTISQUE INDICENDIS SCRIPTA.

I. *)

Sophoclis inter reliquias post Valckenarii ad Euripidis Phoen. v. 1154. observationem versus circumferebatur talis:

ὄψις γὰρ ὤτων κριτικωτέρα πολύ.

Quem vitio laborare qui animadvertit, Erfurdius ad Oed. R. v. 1237. edit. min. antequam revocata Grammaticorum, apud quos illud exstat, scriptura sic legendum esse diceret Sophoclis fragmentum:

ὄψις γὰρ ὤτων κριτικωτέρα
πᾶσι: vel πάντως:

cogitare debuerat, an Sophocle, et lyrico maxime Sophoclis carmine digna esset tam ieiuna sententia. Deinde idem si ea, quae Heynius habet ad Hom. Il. vol. VII. pag. 807. paullo examinavisset accuratius, intellexisset, prorsus dilui ac dilabi totum illud, quod fertur, Sophoclis fragmentum: quippe intellexisset veterem
II grammaticum usum quidem esse Sophoclis testimonio, sed eo ipso, quod invenitur in Oedipo: ἡ γὰρ ὄψις οὐ πάρα, reliqua autem haec, ὄψις γὰρ ὤτων κριτικωτέρα πᾶσιν vel πάντως, addidisse sive de suo, sive ex alio quodam scriptore. Quod ieiunam diximus in cantico tragico, noluimus improbare verissimam optimisque auctoribus frequentatam sententiam. *Oculos testes auribus certiores* laudaverat Heraclitus. In eamdem sententiam Candaules Herodoti in celebratissima narratione: *aures*, inquit,

---

*) Prooemium Indicis praelectionum in Academia Borussica Rhenana per menses aestivos a. 1821 habitarum. Ed. Idibus Februariis.

hominibus magis incredulae sunt, quam oculi. Atque his similia utraque lingua, recentiores maxime post Herodotum, multi et dixerunt, et mirum foret, si non dixissent id quod tam planum est et tam saepe in mentem venit mortalibus. Tamen a tam plana tamque egregia sententia alii recedere ausi sunt ita, ut contraria sensisse videantur. Strabo, ubi orbis terrarum faciem levi adumbratione describere aggreditur, de eo disserens, quantum aut ipse aut alii oculis viderint, quantum ex narratione cognoverint, diserte *auditum* affirmat *ad scientiam multo oculis esse praestantius*: *ὁ δ' ἀξιῶν μόνους εἰδέναι τοὺς ἰδόντας, ἀναιρεῖ τὸ τῆς ἀκοῆς κριτήριον, ἥτις πρὸς ἐπιστήμην ὀφθαλμοῦ πολὺ κρεῖττόν ἐστι.* Sed antiquior in hac re testis et prae aliis nominandus adhuc viros doctos latuit. Is est Callimachus: cuius fragmentum, sed minima tantum fragmenti pars, est apud Ernestum pag. 577. Etymologicum ms. bibl. Reg. Paris. praebebat haec: *Εἴδυλίς, ἐπιστήμων, εἰδυῖα. Καλλίμαχος· ἄκουσον ὀφθαλμοὶ γάρ.* Plura Etymol. ms. Vltraiectinum: — *Καλλίμαχος· καὶ κόσσον ὀφθαλμοὶ γὰρ ἀπαθέως ὅσον ἀκοή. εἰδυλὶς παρὰ τὸ εἴδω τὸ γινώσκω.* Quibus nunc accessit Etymologicum Gudianum: *Εἴδυλὶς, ἐπιστήμων, εἰδυῖα, Καλλίμαχος. καὶ κόσσον ὀφθαλμὸς γὰρ ἀπ' εὐθεὼς ὅσσον ἀκούει, ἢ δύλις παρὰ τὸ εἴδω τὸ γινώσκω·* — Haec valde corrupta esse videbat quisque: vocem *εἰδυλίς* Callimachi auctoritate comprobari a grammatico apparebat. At non magna opera praeclarum proverbium, versum lucrabimur elegantem et talem, in quo nihil, quod non deceat Callimachum:

ὀκκόσον ὀφθαλμοὶ γὰρ ἀπευθέες, ὅσσον ἀκουὴ III
εἰδυλίς.
quam imperiti oculi, tam sunt aures gnarae.

Iam vero quae controversia Callimacho, Straboni et qui alii eamdem opinionem professi sunt, cum iis videtur esse, qui plus tribuunt oculis, ea facile dirimitur ac dudum diremta est. Nimirum utrique recte: illi quod oculos laudant, certiores utique auribus in quacumque re oculis uti licet; hi quod aures, oculis doctiores, ut quae multa discant oculis partim plane atque omnino praeclusa, partim aditu difficillima. Ac Vobis quidem, Cives, dum scholas per aestatem, quae instat, habendas indicimus, cur ante alia Callimachi illud dictum commendemus, idonea caussa est

ipsa studiorum vestrorum ratio, quae etsi oculorum usum non omnem excludit, at longe maximam tamen partem in eo posita esse debet, ut auditione adipiscamini hanc, cui studetis, bonarum artium atque litterarum scientiam. Quae auditio quum duplex sit et praeter ea, quae auribus percipiuntur ex ore docentis, etiam illa quae ex libris hauriuntur, spectet: nam haec duo ad aurium officium antiqui scriptores referunt: reputandum Vobis est, et institutionem eam, quae ore traditur, non multum proficere, si libros auditor negligat, necessarium omnis doctrinae solidioris fundamentum, et per libros ad doctrinam viam lubricam esse, nisi magistri accesserit vox atque institutio, quae quidem, ubi bene se res habet, propria quadam virtute, quibus libris et quomodo utendum sit, docet, et multa nova, quae in nullo libro obvia, plura etiam novo modo, denique omnia ita tradit, ut vehementius, quam libri solent, commoveat discentium animos. At vero quum nulla disciplina tam perfecta et tam absoluta sit, quin aliquid relinquat, quod corrigi vel addi possit, nulla tam facilis et tam perspicua, quin aliquid sit, quod parum accipiant et perperam interpretentur illi, quos *surdis similes* et *praesentes quidem sed absentes esse* querebatur Heraclitus: in-
IV telligitis, praeter auditum aliud quiddam requiri ad discendum. Igitur iuvenis bonarum litterarum studiosus secum habeat necesse est ὄψιν omnium illam κριτικωτάτην, mentem sanam, incorruptam veritatis indagatricem. Verum hanc ut alere atque promovere doctoris est, ita evocare, ubi nulla est, non est doctoris. Illa est enim, quam recte dixeris *divinae particulam aurae.* Itaque qui hanc audiendi opportunitatem, quam laetissimam Alma Rhenana praebet, vehementer Vobis commendamus, iidem hoc precamur, ut semper Vobis vigiles, certi atque imperturbati sint *oculi mentis.*

II. *)

Egregium est et summa arte conspicuum Horatii carmen, quod est undecimum libri III. In eo haec leguntur in laudem Lyrae scripta:

Tu potes tigris comitesque silvae
Ducere, et rivos celeris morari.
Cessit inmanis tibi blandienti
Ianitor aulae
Cerberus; quamvis furiale centum
Muniant angues caput eius, atque
Spiritus teter, saniesque manet
Ore trilingui.
Quin et Ixion Tityosque voltu
Risit invito: stetit urna paullum
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.

In quibus quae media sunt, ad describendum Cerberum composita, non una difficultate premuntur et viros doctos non leviter exercuerunt. Illud statim *eius*, post ea, quae a Bentleio disputata sunt, nemo facile nunc est qui ferri posse ullo modo censeat. Alteram suspicionem idem movit, sed rem non perfecit, Bentleius. *Spiritus* enim ut possit *manare*, quod nolumus pervicacius negare, at non bene tam diversae res, quales sunt *spiritus* et *sanies*, in unum coniunguntur et uno eodemque verbo II
copulantur. Tertium est, de quo recte nuper Bothius monuit: non placere *atque* extremo versu. Quod autem idem eadem de caussa corruptum esse coniecit Horatii locum II. X. 20. *Rebus angustis animosus atque fortis appare:* is locus non emendandus est, sed reputandum, in carmine, quod spiritum minorem et sermonem habet familiarem, licere multa, quae non licent in elatiore carmine. Atque haec quidem sunt, propter quae in Horatii versu isto verba *eius atque* suspecta esse pronunciaverunt

*) Postridie Idus Augustas a. 1821.

viri docti plerique. Quibus ut omnino accedimus et ab eorum levitate, qui aliquid condonandum esse Horatio vel non satis effici posse, quid veteribus pulcrum fuerit, dictitant, vehementer abhorremus: ita omnem omnium, qui mederi gravissimo vulneri conati sunt, conatum frustra fuisse iudicamus, quin immo hanc, quam omnes quaesiverunt medicinam, inventum iri umquam negamus. Quid enim? Praeter illa, quae vituperari, ac recte quidem vidimus, num sana sunt omnia? num elegantia? num Horatio digna? Placetne *furiale caput*? Bonum est et antiquiore poeta dignum, quod Statius Theb. XI. 584. de Oedipo: *obnubit furiale caput;* Cerberi caput quam recte *furiale* dicatur, nemo explicuerit. Tum illa ipsa, caput centum anguibus munitum et spiritus saniesque, recte an secus commemorentur hoc loco, et quam apte commemorentur coniunctione *quamvis* illata, multum dubitare licet. Herculi quidem, per vim irrumpenti in Orcum, Cerberus bene dicetur *cessisse*, *quamvis centum angues muniant caput* etc. nam haec arma sunt Cerberi, quibus illum probabile erat restitisse armis aut brachiis Herculis. Verum in Orphei fabula versamur, de lyra Orphei agitur, cui *blandienti* cesserit, invitus quidem quasi, sed sponte nullamque iniuriam passus, Cerberus: in qua descriptione addere, factum id esse, *quamvis* centum angues *muniant* caput Cerberi, *quamvis* spiritus teter saniesque exeant ex ore eius, ineptum est, quum horum munimentorum, quantumvis terribilium, contra artis musicae delenimenta usus sit nullus. Quodsi forte quaeratur, quonam alio haec modo enuncianda fuissent, repetita ex duobus aliis Horatii locis, quibus consopitum Cerberum descripsit, responsione, sic vel similiter enuncianda fuisse dicemus: cessit Cerberus; deleniti sunt, qui caput Cerberi cingunt, angues; ipse anhelare et venenum vel cruorem, nam *sanies* quid sit ambiguum est et ambiguum fuit grammaticis, madere desiit. Apparet, quanta sit in paucis versibus dubitandi ac reprehendendi materia; apparet, haec talia
III esse, ut usitatis artis criticae medicamentis, coniectura et emendatione, maiora sint. Itaque libere, quid hoc rei sit, declarabimus. Spurii sunt quatuor, quibus Cerberi descriptio continetur, versus: eximendi ex Horatio, adscribendi tenebrioni suo, qui tam incondito verborum strepitu ausus est cum elegantissimis

Horatii modis contendere. Quod autem non immerito exspectari solet, si quis scriptoris alicuius locum alieno additamento interpolatum esse demonstrare velit, ut is et caussam interpolandi probabili modo demonstret et suis se prodere eum, qui interpolaverit, indiciis ostendat: id nescio an nusquam possit praestari facilius et apertiore demonstratione. Illud quod attinet, Cerberus argumentum erat tritissimum, omnibus poetis decantatum, et quo nullum cogitari potest magis idoneum ad excitandam, si occasio daretur, etiam infimorum ingeniorum libidinem et scribendi cupiditatem. Atque occasionem ludendi et puerile ingenium exercendi ipse praebuerat Horatius, cuius stropha quae praecedit, quum his verbis finiatur: *immanis ianitor aulae*, in quibus verbis latere posset hebetiores oculos quis esset *ianitor*: quid proclivius erat, quam addita stropha hanc, quae videbatur esse, obscuritatem tollere, Cerberi nomen ponere, et notissimi monstri foeditatem luminibus poeticis illustrare? Iam hac ipsa in re inepte versatum esse et contra consuetudinem loquendi Horatianam non semel peccavisse, qui hos versus fecit, supra docuimus; hic vero novis exemplis docebimus, et inepte versatum esse et dolose. Nam profecto quam hic poeta nobis vendit sapientiam, non habuit domi natam, neque e longinquo petiit, sed ab ipso Horatio tantum non omnia furatus est absurdo modo. Horatii haec sunt II. XIII. de eodem Cerbero.

Quid mirum? ubi illis carminibus stupens
Demittit atras belua centiceps
Auris, et intortis capillis
Eumenidum recreantur angues?

In quem locum quum antiqui grammatici observaverint, quod *centiceps* dicatur Cerberus, id non intelligendum de ipsius Cerberi capitibus, sed ad anguium capita corpori Cerberi inhaerentium referendum esse, noster homo, ex grammaticorum interpretamentis Horatium interpretari solitus, vel quod ipse suo Marte camdem observationem fecerat, inde suum illud, *centum angues caput eius munientes*, effinxit. Quod in hoc quidem homine non miramur; magis mirum, grammaticorum istam interpretationem
viris doctis placuisse non paucis. Horatii sensum recte perce- IV
perat Seneca sive alius scriptor in eo libro, qui Apocolocyntosis

inscribi solet, ubi *belua centiceps* describitur, *villos horrendos*, i. e. serpentes in cervice et tergo natos, *excutiens:* quippe tenendum est, in tergo plerumque Cerberi, non in capite, ut noster facit, serpentes poni. *Centum* Cerberi capita praeiverat Horatio Pindarus, si fides Venetis Homeri interpretibus A. et B. ad Iliad. VIII. 368. cf. Pindari fragm. incert. CLXII. Dubitanter hoc dicimus propter ea, quae leguntur in scholiis Hesiod. Theog. 311. p. 418. Gaisf. ubi qui indicatur Pindari locus, is exstat Olymp. IV. 11. Nunc hoc quoque patet, quid sibi velit *furiale caput.* Id propterea dixit grammaticus noster, quod caput Cerberi cinctum serpentibus simile Furiae capiti. Admiramini omnes concinnam comparationem, Cerberi cum Furia. Caeterum huius etiam comparationis ansam praebuerat Horatii locus, quem laudavimus; ac fortasse tam insipidus fuit homo noster, ut sic illa acciperet: *Eumenidum angues intorti capillis Cerberi recreantur.* Manifestioris etiam fraudis crimen inest in verbis *ore trilingui:* quae non expressit imitatione, sed sic desumpsit ac descripsit grammaticus ex altero Horatii loco, qui est II. XIX. 29. seqq. At in hac tamen re laudandus ille erit, quod recte, quae translaturus erat in suos versus, intellexerit. Scilicet ut in his grammatici versibus *os trilingue* manifesto est *unum os,* in quo tres linguae; praecessit enim *caput;* ita non dubitandum videtur, quin idem sensus sit Horatii verborum l. l. Sane imago est non solum poetis multis frequentissima, sed etiam in artis operibus saepissime obvia, tria Cerberi ora. Exstat in urbe Trevirorum monumentum artis romanae non inelegans: Hercules et triceps Cerberus. Verum quid hoc ad reliquos? quid ad Horatium? Cui semel centiceps dictus Cerberus, potuit idem alibi *ore trilingui* conspicuus dici, id est uno ore, sed trifida lingua, qualis solet in serpentibus fingi; ac placet haec simplicitas illo loco. Contra alii quod statuunt, Horatium tria ora, tres linguas significare voluisse, id merito dubites an plane non potuerit significari his verbis: *ore trilingui.* Exuimus furtis suis poetam grammaticum. Vidimus luxuriose in unam imaginem conflata, quae modice, ut solet, Flaccus suo quodque loco, non in unum coniuncta, sed nunc hoc, nunc alterum, posuit. Denique quod cumulaturus descriptionis amplitudinem *spiritum* etiam et *saniem* addidit capiti

vel per se satis horrendo, in qua re utrum suo ingenio usus sit an alium scriptorem expresserit, supersedemus quaerere: laudine id ducetur homini invenusto? an potius hac quoque in re poetam agnoscemus, ut sunt mali et poetae et pictores, in profundendis coloribus immodicum atque virtutem locorum poeticorum in exaggerata imaginum multitudine ponere solitum? Itaque abeat fatalis bestia, facessat hinc et in tenebricosa scholasticorum officina, unde male emersum purissimi poetae librum obsedit, monstruosum caput condat.

Iam remotis, quae removenda erant, ita procedunt omnia, nihil ut possit melius. Modo hoc teneas, vocem *inmanis* epitheton esse *aulae*. Quamquam sic etiam tum statuendum foret, si genuina essent ista: *Cerberus quamvis* etc. Id rectissime senserat Lambinus: *aula* epitheto carere nequit; *ianitor* potest. Constat, *immane* id dici, quod ingens et vastum est. Verum eam in rem qui laudatur, ac iure laudatur, Attii versus e Philocteta, ut apud Nonium vulgo legitur in v. *immane:*

Phrygiam minorem esse immanem Graeciam:

et sensu laborat et metro. Nihil profecerunt Mercerus et Vossius. In Merceri tamen coniectura: *Phrygiam mitiorem esse immani Graecia*, quae caeteroquin infelicissima, hoc verum videtur, quod ablativum reposuit. Contra in Vossio, qui ferri posse vulgatam lectionem opinabatur, illud laudamus, quod *immanem* intellexerit esse ingentem. Ad exercendum illud artis criticae genus, quod male iunctas syllabas disiungit, male separatas iungit, litteras elapsas divinando assequitur, quod quidem genus in Nonio magnum fructum habet, fortasse non inutilis est Nonii editio antiquissima, Romae, ut fertur, vulgata, quam, Pomponio teste in praefatione, impressit Georgius Laur de Herbipoli. Ea sic scriptum Attii locum exhibet: *Actius in philoteta frigiam minorem esse anima in greciam.* Unde probabili emendatione hic versus efficietur:

Phrygiam minorem esse aio immani Graecia.

ex Ulixis oratione contra Troianos, ut videtur. Nam Attii Philoctetes, quod e reliquiis colligimus, non e Sophoclis expressa fuit sed ex Euripidis Philocteta, de qua fabula v. Valckenar. Diatr. c. XI. Cum Sophocle parum consentiunt, quae ab in-

terpretibus fabulae Sophocleae hic illic adscripta videmus Attii fragmenta.

VI Horatium prologum fecimus, Commilitones, huius, quem Vobis offerimus ac commendamus, scholarum per menses, qui instant, hibernos habendarum indicis. Videbamur enim nobis ea re, si nihil aliud, certe hoc consequuturi esse haud contemnendum, ut amor in Vobis incenderetur, confirmaretur, augeretur poetae praestantissimi omnique tempore et ab omni hominum genere lectitati, laudati, dilecti. Praeterea quod interpolatum alieno additamento locum in nos recepimus expurgandum, ne hoc quidem a Vestra re alienum, sed exemplum studiis Vestris quam maxime accommodatum esse censemus. Nulla est enim scientia, nulla ars, quae non interpolata sit ex parte atque adulterata vel fraude hominum, vel partium studio et perverso, qui in multis est, suarum opinionum amore, vel communi ingeniorum humanorum imbecillitate et ad errandum proclivitate. Quare quemadmodum doctoribus propositum est, obviam ire fraudi illi et erroribus illis, quibus litterae artesque interpolatae sunt, beluamque centicipitem, quae hoc habet periculosissimum, quod capita renasci abscisa solent, debellare quam fortissime: ita Vos, qui bonarum artium studiosi estis, ut idem agatis, quantum in Vobis est, oramus et commonefacimus.

III.*)

Etsi verissimum est, communi omnes litteras propinquitatis vinculo inter se iunctas esse et in singulis disciplinis non nisi eam eruditionem aliquid proficere, in qua partium, quas unaquaeque disciplina plures habet, omnium cernatur coniunctio: sunt tamen

---

*) XI. Cal. Martias a. 1822.

quidam etiam disciplinarum et partium, quas disciplinae habent,
fines et est quaedam etiam commendanda disiunctio. Veluti philo-
logum ad illustranda veterum monumenta accedere oportet, primo
in ea doctrina, sine qua reliqua omnia nihil sunt, in grammati-
ca et critica, exercitatum, deinde veterum mythologiae, historiae,
philosophiae, antiquitatum et artis idonea peritia imbutum: at
eumdem singulis locis in promptu quidem illa habere omnia, sed
suo ordine posita et disiuncta habere decet ita, ut, ubi in gram-
matica explicatione, a qua exordiendum semper esse fatentur
omnes, etiam consistendum et acquiescendum sit, ubi praeter
grammaticam explicationem aliud quippiam ad cognoscendum sen-
sum scriptoris necessarium sive ex mythologiae latebris sive ex
antiquitatum copiis sive aliunde afferendum sit, sciat. Nam pro-
fecto in utramque partem peccari potest et vero peccatur: pec-
catur ab uno abstinentia, dum grammaticae, quam diximus, ex-
plicationi unice intentus iis locis, quorum interpretatio non ab
arte grammatica pendet unice, plenam lucem suam quasi invidet;
abusu ab alio, qui locos satis expeditos posthabita explicatione,
quae sufficiebat, grammatica, vel etiam violatis eius explicationis
legibus, perturbat atque obscurat, res alienas immiscendo, de quibus
scriptor antiquus vel non cogitaverit vel ne potuerit quidem cogitare.
Qui utrosque errare et ab utroque errore diligenter cavendum esse
statuimus, monebimus tamen, multo et crebrius et gravius et
maiore cum periculo errari ab his, quos abusu peccare signifi-
cavimus, quam ab illis, quos abstinentia. Ut solent homines ad
abutendum propensiores ac maiore cum periculo esse, quam ad
abstinendum. Alter enim unam iustae interpretationis partem, II
eamque gravissimam naturaque sua primariam, quandoquidem
nulla disciplina tam firmis fundamentis, tam certis, quam gram-
matica, gaudet legibus, absolvit et perficit; in eo tantum repre-
hendendus, quod bene coeptum opus ad finem perducere alte-
ramque interpretationis partem addere negligat. Sed hic quod
imperfectum relinquit, fortasse facile supplebit alius. Contra si
quis alteram in partem peccat, is scriptorum singulis locis sen-
sum corrumpit atque adulterat, et rursus in eas disciplinas, ex
quibus ipse sibi lucem attulisse videtur scriptoribus, auctor est
ut inferantur opiniones atque decreta vel prorsus falsa vel non

his comprobanda locis. Itaque hic omnia falsa docet; ille, non omnia docendo, aliquid nesciri patitur. Omni autem tempore et omni in re falsa scire, quam nescire aliquid, periculosius fuit. Scilicet multo facilius quae nesciuntur disci, quam dedisci, quae falsa didiceris, possunt.

Exempla, Commilitiones, huic disputationi confirmandae ex multis proferemus duo, neque studiose quaesita, sed quae sponte nobis se obtulerunt, et ex eo utrumque genere, in quo cautione quam maxime opus est: quippe nulla disciplina tam frequenti abusu ad detorquenda ea, quae bene et perspicue scripta reliquerunt antiqui scriptores, adhibita et rursus scriptorum testimoniis, quorum sensus detortus esset, exornata vel potius deformata est, quam mythologia. Sophoclis locus est Antig. 1146. in nobili ad Bacchum carmine, sic, ut putamus, scribendus: nam Aldinae auctoritatem et codicum, qui cum Aldina faciunt, ponderanti, tum Eustathii bina testimonia ad Il. V. pag. 514. fin. et pag. 601. 36. 37. Rom. consideranti vix potest dubium esse, quin recte reliquerit Triclinium Brunckius:

ἰὼ πῦρ πνειόντων
χοράγ' ἄστρων, νυχίων
φθεγμάτων ἐπίσκοπε. —

Cum Brunckio pro vulg. *πνεόντων* scripsimus *πνειόντων* et particulam *καί* ante *νυχίων* delevimus. Difficilis, ut videbatur, loci una explicatio apud veteres interpretes graecos exstat, quam nemo commemoravit: falsa illa quidem, sed memorabilis propterea, quod hinc colligi posse videtur, quomodo ortum sit, quod vulgo legitur, *καί*. Sophoclis verba sic quidam accipiebant, ut a vocativo *ἐπίσκοπε* non solum genitivum *νυχίων φθεγμάτων*, sed etiam alterum *πῦρ πν. ἄστρων* regi censerent, et vocativum *χοραγέ* insuper appositum esse existimarent. Hi igitur, qua sane vix poterant carere, fortasse inseruerunt copulam. Quanto simplicius erat, quod omnes alii fecerunt, genitivum *ἄστρων* con-
III iungere cum v. *χοραγέ*. Verum hoc illi noluerunt, quod quomodo *χορηγὸς ἄστρων* appellari Bacchus posset, nescirent. Estque hoc sane valde dubium. Musgravium cum Triclinio *ἄστρα πῦρ πνέοντα* interpretantem *taedas* refutavit Erfurdtius in edit. min. Restat Brunckii explicatio, docta scilicet et speciosa: is

χορηγὸν ἄστρων volebat *Solem* esse: *Sol Bacchi nomine colebatur in mysticis sacris;* quam in rem laudat Virgilium Georg. I. 5. seqq. Aliquanto cautius, sed nihilo rectius, unus interpres graecus et Eustathius l. l. p. 514. nihil nisi hoc tradunt: χορηγὸν ἀστέρων Bacchum dici κατά τινα μυστικὸν λόγον; Eustathius λῆρον ait. Quicquid hoc λήρου mystae olim decantaverint; Bacchi et nullius non dei nomine, per nos nunc licet, dissimulatus in mysticis sacris Sol fuerit: nihil haec ad Sophoclem et purissimam Sophoclis poesin. Alium sponsorem circumspiciat necesse est, si cui mirifice placuerit Sol Bacchus. Tam mystica neque alibi Sophocles neque in hoc cantico ullum habet mysticae doctrinae vestigium. Nam quod vs. 1119. seq. communia Baccho et Cereri Eleusinia mysteria commemorantur his verbis: *qui regnas in communibus campis Cereris Eleusiniae:* aliud est obiter attingere mysteria, aliud mysticam doctrinam tradere. Verum faciles sumus; concedemus paullisper Brunckio, quod concedi nullo modo potest, Bacchum Solem esse: ne sic quidem expedita res erit. *Solis* hoc loco, qui totus versatur in describendis Bacchi sacris nocturnis, neque apta mentio foret, et χορηγὸς ἄστρων omnino aptissime Hesperus vel Luna, minus accurate appellaretur Sol. Nihil est in Sophoclis verbis, quod grammaticae explicationis fines excedat: sed neglexerunt viri docti eam grammaticae partem, quae continetur poetici sermonis intelligentia. Quae simpliciter et sine poetico ornatu talis est sententia: *noctu per siderum lucem choros Bacchum ducere*, eam poeta sic extulit praeclara imagine, ut partem esse Bacchici chori sidera, quippe quae et ipsa chori quasi cuiusdam speciem prae se ferant moveanturque re vera, et Bacchum praesulem eorum fingeret, non quod ita res se habeat: nihil enim inter siderum meatus et Bacchi choreas commune est: sed quod ita se habere videatur ei, qui in terris omnia, quatiente deo potentissimo, vehementi concita motu, saltatione et clamore plena, eodemque tempore siderum quasi saltantium in coelo chorum conspexerit. Iam quam egregie his, ἰὼ πῦρ πνειόντων χοράγ' ἄστρων, sequentia respondeant, nihil attinet demonstrare. *)

---

*) Chor der Sterne: Varro *choreas astricas*. Muncker. ad Hygin.

Eumdem mythologiae abusum et propter eamdem poetici sermonis ignorationem castigabimus in altero exemplo. Apud Sophoclem Oed. R. v. 190, Dianam Chorus, pro urbe vota fa-
IV ciens, quam pestilentia urebat, obsecrat, ut abigat *Martem:* Ἄρεά τε τὸν μαλερόν et quae seq. Ibi Musgravius docet, Musgravio hoc docenti Erfurdtius et haud dubie multi credunt: ad *Martem* auctorem veteres non solum bella, sed omne genus malorum, *etiam morbos pestiferos,* retulisse. Neque nos hoc nunc quidem prorsus negabimus, quamquam aliis haec res atque aptioribus gerenda exemplis erit, quam quibus Musgravius gessit ad Aiac. 716. (706. Br.) et ad Oed. R. 27. Hoc utique negamus, Sophoclis locum in Aiace, vel illum qui est Oed. R. 27. vel hunc nostrum ullo ad eam doctrinam usu esse. Atque illos locos iam expediverunt alii. Hic autem quae statim sequuntur, ὅς νῦν ἄχαλκος ἀσπίδων φλέγει με, apertissime monstrant poetae mentem et mirabile est, quomodo latere quemquam potuerit poeticae similitudinis, qua Sophocles utitur, vis atque potestas. *Mars* hoc loco non proprie, sed *Martis* nomine *Λοιμός*, *Pestilentia*, appellatur, ut qui similis *Marti:* namque perimere homines, exstirpare civitatem, haec tam communia cum Marte sunt *Λοιμῷ*, ut ipse quoque *Mars* quidam esse videatur. Ad hunc modum ista iam interpretati erant olim vetus interpres graecus et Triclinius.

Haec sunt, Cives, de quibus communicare Vobiscum per opportunitatem, quam emittendus in lucem faciebat aestivarum scholarum index, voluimus. Vos audita perpendetis atque ea, quae ad unam disciplinam spectantia disputavimus, an ad alias etiam disciplinas pertineant, reputabitis. Ut unum exemplum addamus idque latissime patens, Philosophiam scitis in omnibus disciplinis atque doctrinis habitare et facem quasi esse omnium: at hoc fortasse nescitis, quam saepe in omni litterarum genere peccari intempestivo et praepostero philosophiae usu, ac noceri, non so-

---

fab. CXCII. p. 271. u. vor Munck. I. Dousa F. Not. in Tibull. II. 1. 88. c. IV. p. 71. 2. Scalig. in Varron. p. 72. H. St. Dionys. et Tibull. ap. Heinrich. ad Musaeum p. 120. Scal. in Virg. App. p. 272. Lind. Synesius hymno IX. χόρος ἄμβροτος ἀστέρων u. ἀγεῖτο ποιμὴν νυχίων θεῶν. E schedis Naekii.

lum singulis doctrinis illis, sed etiam ipsi philosophiae, possit. Vos igitur, dum eius studii, quod quisque suum fecerit, nullam partem negligetis, simul illud operam dabitis, ut singularum doctrinarum fines observare et singulis locis ea, qua opus est, doctrina uti, ea, qua non opus, abstinere discatis. Alio sensu dictum est, sed etiam in litteras valet vetustissimi vatis proverbium:

πλέον ἥμισυ παντός.

IV.*)

Quam hi scholarum academicarum indices colloquendi Vobiscum opportunitatem nobis afferunt, ea non verendum est ne male uti videamur, si interdum ita utamur, ut sermonem coram vobis instituamus de libris novis, commendatione dignis, et quos in notitiam vestram quam primum venire operae sit pretium. Talem librum hodie commendandum Vobis suscepimus, nondum editum quidem illum, sed propediem, ut credere par est, proditurum. Pollicitus est enim Frid. Henr. Bothius, se Corpori Poetarum scenicorum latinorum, in quo edendo versatur, inserturum esse singulari volumine poetarum veterum latinorum tam tragicorum quam comicorum fragmenta, post Stephanorum, Delrii, Scriverii curas denuo collecta et recensita. Egregium vero inceptum et laetissimum, ut praevidemus, eruditioribus hominibus et antiquitatis elegantia tinctis omnibus: in quibus si qui sunt, ut sunt non pauci, ingenuo romanarum rerum et litterarum amore impleti, sed apud quos ita abolita est romanae tragoediae maxime memoria, ut eam re vera nullam fuisse, et Romanos, vel quod toti bellis rerumque civilium cura occupati, vel quod aliorum spectaculorum, triumphorum et ludorum gladiatoriorum, partim magni-

---

*) IV. Idus Aug. a. 1822.

licentia partim atrocitate inflati et efferati fuerint, ab illecebris tragicae artis prorsus abhorruisse opinentur, ii mutabunt sententiam, ubi rursus in manus omnium venerint, novis curis collecta atque in luce posita, ipsa poetarum tragicorum latinorum fragmenta; mutabunt, et delenimentis praeceptisque tragoediae, qua nulla praeclarior ad erigendum animum et ad instillandum magnorum facinorum amorem magistra est, haud indociles praebuisse Romanos aures fatebuntur. Tum, quod philologiam ipsam attinet, quum nunc quidem philologi animum advertere praestantissimis illis latinae poeseos reliquiis operamque dicare tantum non prorsus desierint, spes est, non solum ipsius Bothii operam utilem his poetis fore, sed etiam aliorum virorum studia novo Bothiani incepti exemplo atque incitamento in eandem partem actum iri. Enimvero longe patentem hunc honoris et gloriae campum esse, materiam artis largam et vix ab uno exhauriendam, quum omnes norunt, qui aliquam harum reliquiarum notitiam habent, tum nos recenti exemplo experti sumus, qui nuper, quum in mentem in-
II duxissemus quaerere, quid sciri de *Pacuvii Doloreste* posset, opera non prorsus tumultuaria aliquid fortasse haud contemnendum, sed non tantum, quantum volebamus, effecimus. Id tamen, quicquid est, quo quidem vehementer optamus ut aliquis vel certiora vel pleniora proferat, hac occasione Vobiscum, Cives, communicabimus.

Igitur Pacuvii tragoedia fuit Dulorestes. Diomedes lib. III. p. 487. fin. *Pacuvius tragoedias nominibus heroicis scripsit Dulorestem, Chrysen, et his similia:* ubi quamquam ex bonis codicibus recteque *Dulorestem* scripsisse Putschium credimus, ad nostram tamen nunc rem, utrum sic, an ex veterum quorumdam exemplarium ante Putschium auctoritate *Oresten* scribas vel *Orestem*, perinde est: nam una eademque fuit Pacuvii Dulorestes et Orestes fabula, argumentum habens Oresten. Cf. Donati Editio Sec. pag. 1747. init. Monuimus hoc contra Stephanum, qui, ubi titulum huius fabulae ponit, Fragm. poetar. vet. latin. p. 241. *Duloreste*, inquit: *fortasse autem rectius Duloraeste.* Mirum et inauditum. Strattidis, comici poetae graeci, fabulam novimus *'Ανθρωποραίστην* vel *'Ανθρωποῤῥαίστην*, ut recte hoc nomen scriptum habet Euripidis interpres graecus ad Orest. 279. Vid.

Casaub. in Athen. Animadv. l. VII. c. xxiii. pag. 567. et Schweighaeus. ad Athen. III. p. 127. D. Quamquam ne hi quidem omnia recte. Falluntur enim, Casaubonus, quum etiam alteram scripturam, *Ἀνθρωποριέστης*, defendi posse et similem esse compositionem nominis *Δουλοριέστης* dicit; Schweighaeuserus, quum hoc titulo, *Ἀνθρωποῤῥαίστης*, allusisse scribit poetam ad Euripideae fabulae titulum. Nihil cum Euripidis Oreste commune Strattidis *Ἀνθρωποῤῥαίστῃ* fuit praeter hoc unum, quod ea fabula Strattis obiter perstrinxerat notum illud Euripidis, vel potius Hegelochi: *γαλῆν ὁρῶ*, id quod et Aristophanes Ranis et Sannyrio fecit Danaë. *Ἀνθρωποῤῥαίστης* et similia nomina quum obversabantur Stephano, videtur eo devenisse, ut etiam Pacuvii fabulam *Duloraesten* fuisse coniiceret. Magis etiam mira sunt, quae, Diomedem respiciens, I. C. Scaliger scribit Poetices l. I. c. vii. init. Pergimus explicare, quae certa sunt. Una tantum Pacuvii fabula Dulorestes fuit; nulla eo nomine Attii, nulla Ennii, nulla Naevii. De Attii Duloreste et Ennii somnia Nonii iam castigaverunt alii. Apud Varronem autem de L. L. VI. pag. 101. ed. Bipont. ubi, quum vulgo legebatur: *in Dolo*, non addito poetae nomine, viri docti mature coniecerunt scribendum esse: *in Duloreste:* recte quidem hoc factum est, sed lapsi sunt, qui, quod proximo ante loco Naevii mentionem factam viderent, etiam hoc loco de Naevio, eiusque fabula Duloreste, agi collegerunt. Verissime Vossius Castigat. in fragm. Trag. p. 64. *fabulam nominare Varro contentus fuit: quia, praeter Pacuvium, Dulorestem nemo scripsisset.* cf. idem p. 118. Et sic alibi Varro, veluti pag. III 81. Bip. Scaligero in eo non assentimus, quod ille Pacuvii Dulorestem interdum etiam *Dulon* simpliciter esse appellatum, compendio loquendi, significat: videtur magis, sicubi citatur *Pacuvius in Dolo* vel *Dulo*, id compendium scripturae esse, omisso per scribarum negligentiam puncto.

Acta est primum Pacuvii Dulorestes circa illud tempus, ac fortasse eo ipso anno, quo decessit Africanus minor. Decessit autem Africanus V. C. IↃCXXV. C. Sempronio Tuditano, M'. Aquillio Coss. Hoc de tempore actae fabulae Ciceroni credimus, de Amicit. vii. cf. de Finib. II. xxiv. et V. xxii. Dulorestem his locis omnibus, non aliam designari Pacuvii fabulam, apertum

est. Scilicet ut, praeter Pacuvium, neque Duloresten alius scripsit, neque *Oresten* qui scripserit, inter antiquos poetas invenitur ullus: ita nec Pacuvius fabulam, in qua eae partes Orestis esse potuerint, quas fuisse in laudata a Cicerone fabula videmus, ullam scripsit praeter nobilem illam Duloresten. Multum eam in partem valet, ut quam familiariter eruditiores maxime Romani hoc litterarum genere usi sint, cognoscatur, et multum venustatis habet studium, quod cernitur in Cicerone, veteris tragoediae, et in adhibendis antiquorum poetarum tragicorum versibus ac sententiis industria eius. Id quum facit addito fabulae vel saltem poetae, ut nostro loco, nomine, non multum difficultatis habet; plus difficultatis, ubi poetarum verba intexta Ciceronis orationi latent, cuius generis nonnulla feliciter restituerunt viri docti. Sed est etiam, ubi tam obscura, nobis quidem, et tam obiter facta poetae tragici mentio, ut omnium interpretum oculos effugerit. Quae leguntur Tuscul. Quaest. lib. I. fine: *Iphigenia Aulide duci se immolandam iubet, ut hostium sanguis eliciatur suo*: miro quodam errore accidit, ut corrupta viderentur Ernesto: putans enim ille, *duci* dativum esse a nomine *dux*, fortasse *praebet* legendum esse dicit, non *iubet*; reliqui editores hoc quid esset *duci*, recte videntur intellexisse, illud praetermiserunt, quod unice ad illustrandam Ciceronis sententiam facit. Respexit enim Cicero ad canticum Iphigeniae: *Ἄγετέ με τὰν Ἰλίου καὶ Φρυγῶν ἑλέπτολιν*: Eurip. I. A. 1475. sive haec ipsa Euripidis, id quod veri simillimum, sive latina Ennii ante oculos habuerit Cicero, e graecis expressa. Ista quod attinet, quae leguntur de Amicit. VII. ad Duloresten spectantia, ut monuimus, observandum est, *novam fabulam* Ciceronem ex Laelii persona dicere eo sensu, quo Terentius *novas* dicere fabulas solet, i. e. non visam antea in Romanorum theatro: ne quis putet, *novam* hic esse, quam Pacuvius de suo ediderit, non ex graeca verterit. Quamquam hoc quoque dicere poterat, et eodem vocabulo, si voluisset, Cicero. Nam profecto hoc quoque sensu *nova* erat Pacuvii Dulorestes.

IV Iam enim eo pervenimus, ut argumentum Dulorestis quod fuerit doceamus explicatius. In qua re ita versabimur, ut primo, quid alii statuerint, videamus, tum nostram sententiam subiiciamus. Delrii statim opinionem missam facimus. Is Duloresten ex Euri-

pidis Oreste, Aeschyli Agamemnone et Choëphoris concinnatam putabat. Altera est, eaque novissima, Heynii coniectura ad Virg. Aen. IV. 471. seqq. Aeschyli Eumenides, *quodammodo saltem*, expressisse Pacuvium. Ea unius nititur Servii auctoritate, ad Virgilii verba, *sedent in limine Dirae,* haec scribentis: *A Pacuvio Orestes inducitur, Pyladis admonitu, propter vitandas Furias, ingressus Apollinis templum: unde cum vellet exire, invadebatur a Furiis.* Videat haec aliquis. Pacuvii nomen si omisisset Servius, nemo ad aliam fabulam narrata a Servio referret, quam ad Aeschyli vel ad Ennii Eumenides; licet de Pylade nihil sit apud Aeschylum. Nos, quum neque alius quispiam hoc de Pacuvio tradat, neque in fragmentis Dulorestis ullum sit huius argumenti vestigium, quid aliud quam errasse Servium existimabimus? praesertim illum Servium, qui eodem loco quamdam Pacuvii de Pentheo tragoediam cum Pomponio Sabino comminiscitur, qualem nullam umquam scripsit Pacuvius. Tertia est opinio, vulgaris illa, veluti in Fabricii Bibliothecam graecam illata, Oresten Euripidis esse, quam latina tragoedia Pacuvius expresserit. Commendavit eam vir in omnibus antiquae eruditionis partibus magnus, at hac scientia, quae iuvenilis Musae latinae monumenta et reliquias complectitur, omnium facile maximus, Iosephus Scaliger, Coniectan. in Varron. l. VI. pag. 181. seq. edit. Bipont. docta disputatione: ita tamen, ut neque integram Pacuvii fabulam ex integra Euripidis Oreste translatam fuisse contenderit, et alibi, ad Manilium, ad Tibullum, talia scripserit, quae scribere vix potuisset, si hoc sibi persuasum habuisset, vel in hac sibi sententia constitisset, ex Euripidis Oreste conversam fuisse Pacuvii Duloresten. Et bene factum, quod sibi non constitit. Etenim quo minus Oresten reddidisse Pacuvius censeatur, haec maxime sunt, quae faciunt. Primo nomen fabulae, *Dulorestes.* Nam sic scribendum hoc nomen esse, vel sic accipiendum, ut a graeco vocabulo δοῦλος, dudum viderunt viri eruditi omnes, etsi non habemus, qui ea de re exposuerit. Sane in vetustioribus, de quibus nos compertum habemus, libris Nonii, Prisciani, Varronis quoque, ut supra relatum est, admirabili consensu est *Dolorestes:* verum haec non rei diversitas, sed scripturae est, fortasse pervetusta, revocanda ad eum morem, quo litteram *o*

quidam scribebant pro littera *u* aut pro graeca *ov*; librarii deinde cupido hoc arripuerunt ac tenuerunt, ut quibus latinum nomen *dolus* obversaretur. Iam si *servum* fuisse in Pacuvii fabula Oresten ex ipso fabulae nomine constat, hoc conciliari cum argu-
V mento Euripideae fabulae, quae inscribitur Orestes, nequit. Miserum, proscriptum, extorrem, egenum, fortasse mendicum potuit, praeeunte Euripide, Oresten describere Pacuvius; *servum* non potuit. Deinde quae ex Duloreste habet Cicero locis supra laudatis, non minus abhorrent ab Euripidis fabula Oreste. Sensit id, ubi Ciceronis locum de Fin. V. xxII. attingit, Scaliger ad Manil. lib. II. pag. 155. ed. Boecl. et ad quam narrationem ista referenda sint monstravit: etsi ex Duloreste ea esse non dicit diserte. Denique quos versus habet is, qui Rhetoricorum ad Herennium libros scripsit II. xxIII.

Fortunam insanam esse et caecam et brutam perhibent philosophi etc.

petitos haud dubie ex Pacuvii Duloreste, ut vidit Scaliger ad Tibull. I. vi. 34. (I. v. 70. vulg.) in iis, qui extremi sunt:

Velut Orestes modo fuit rex, modo mendicus factus est.
Naufragio res contigit: nempe ergo haut fortuna obtigit:

manifesto ostendunt, non fuisse eamdem fabulam Euripidis Oresten et Pacuvii. Scilicet *mendicum* fortasse concederemus, at *naufragio* Orestis nullus locus erat apud eum poetam, qui Euripidis in Oreste vestigia sibi legere proposuisset. Quid caussae fuerit, cur ad Hermionam Pacuvii quam ad Duloresten maluerint versus istos referre Delrius, Scriverius, Vossius, nescimus. Quodsi *servum* fuisse vel servili conditione in Duloreste Agamemnonis filium recte statuimus, ut recte statuimus haud dubie, credibile est, ad eamdem fabulam etiam *mendicitatem* Orestis referendam esse; non credibile est, in una fabula *servum*, in altera *mendicum* fuisse Oresten. Modum quemdam esse miserarium sciebat Pacuvius. Praeterea ne in Hermiona quidem quomodo *naufragus* esse potuerit Orestes, patet. Igitur nos Iphigeniam Tauricam Euripidis obversatam esse Pacuvio censemus Duloresten scribenti, sed ita, ut primas partes Oresti tribuerit et multa eum in finem novaverit. Ac primo hoc, in Tauris fuisse Dulorestis scenam, facillime colligitur e Ciceronis loco de Fin.

V. xxii. ubi *Thoantem* esse regem illum recte divinavit Davisius: et sane hoc in promptu erat, sensitque idem Scaliger ad Manil. l. l. etsi ex Duloreste haec esse nec Davisius nec Scaliger, quod sciamus, monuit. At ne sic quidem, inquis, illud, quod est de naufragio, quadrabit in Dulorestem: naufragium apud Tauros nullum fecit Orestes. Audimus, ac fatemur, in vulgata ab Euripide narratione nihil tradi de naufragio: sed traditum tamen hoc esse a nonnullis, idoneum auctorem habemus Lucianum Toxari p. 57. et p. 62. vol. VI. Bipont. Idoneum auctorem propterea, quod alibi ab eodem scriptore tradita Amoribus p. 310 seq. vol. V. quae quidem prorsus consentiunt cum Euripide, impediunt, quo VI
minus haec, quae sunt in Toxari, negligenter et aberrante memoria scripta esse videantur. Itaque quae partim allatis a nobis usi testimoniis, partim coniectura assequimur, de argumento Dulorestis, haec sunt. Ad littora Tauricae terrae, Dianae simulacrum, iussu Apollinis, abstracturus, pervenerat cum Pylade Orestes. Sed naufragium facit, capitur, consilium, quo venerit, celat; quo melius lateat et aram evitaturus, in qua *Graeci*, teste Euripide v. 39. 72. 247. 259. 338. 347. 585. immolabantur, servili conditione hominem, non Graecum origine, se esse simulat. Sic mendici victu: nam vitam concesserant: vivit inter barbaros. Mox, agnita sorore, quum de fuga et de auferendo deae signo consilia agitabant, deprehensi sunt Orestes et Pylades et ad regem adducti: qui quum alterutrum Oresten esse sciret, sed uter esset, anquireret, ut qui Oresten tantum supplicio afficere, Pyladi parcere vellet, tum illud consequebatur, quod quoties agatur, toties non solum ad laudem et ad decus natos institutosque commoveri, sed tota cavea clamores vulgi atque imperitorum excitari scribit Cicero. Atque hunc locum haud dubie respicit Manilius II. 583. Quod dicimus contra Scaligerum, Maniliana conferentem cum Ovidio Epist. ex Ponto III. 11. 85. Verum in verbis perquam similes sibi, in re videntur discrepare Manilius et Ovidius, dum Manilius Pacuvii, Ovidius Euripidis narrationem Iphig. T. 597. seqq. ante oculos habet, non prorsus dissimilem quidem, sed multo minus ad commovendum animum comparatam. Sic et alibi Euripidem sequitur hac fabula Ovidius, et illud quoque, quod legitur Trist. I. ix. 27. Pyladis fidem ipsi probatam esse Thoanti,

non accepit a Pacuvio, sed ipse finxit, ut alia eiusmodi: quale statim hoc est, quod ibi addit de Hectore. Quam postea occasionem nacti cum Iphigenia aufugerint Orestes et Pylades, ablato deae signo, non uno modo enarrare Pacuvio licuit. Huic Pacuvianae tragoediae descriptioni servata e Pacuvii Duloreste fragmenta, apud Scriverium exstantia, partim ita respondent, ut egregie disputationi nostrae faveant, partim facili negotio aptari poterunt, denique quod manifesto repugnet, inter omnia nullum est. Veluti ad eum locum, quo dubitabat Thoas, uter Orestes esset, tres versus referendi sunt, quos ex Nonio v. *nobile*, ex Festo v. *spectu*, denique ex Nonio v. *frontem* collegit sciteque, ut videtur, in unum coniunxit, assumptis verbis *caperata fronte* a Varrone l. VI. laudatis, Vossius Castig. pag. 89. et p. 119. praeeunte Scaligero in Varron. Coniect. pag. 248. Bip. Eodem pertinent, quae apud Nonium v. *torto* exstant, minae, ut nos iudicamus, Thoantis. Est ubi Pacuvii versus a grammaticis sine nomine fabulae laudatos ad Duloresten, quam ad aliam fabulam, referre malis.

VII Quae apud Festum leguntur v. *manticularum*, praeclare partim a Scaligero restituta, etsi totius loci emendationem nemo facile praestiterit: *Ad manticulandum astu aggreditor: scite quid prome, erue*, et rursus: *Aggreditur* (schedae Pomponii Laeti: *aggrediar*; unde coniicias *aggredibor*) *astu regem: manticulandum est hic mihi:* optime faciunt ad Orestis cum Pylade vel ad Iphigeniae cum utroque deliberationem. Cf. Voss. Castig. p. 116. Aliquot hoc sonant fragmenta, ut vel Oresten vel Iphigeniam prius facta narrantem facile agnoscas. Et fortasse paullo, quam apud Euripidem, uberiores fuerunt hae narrationes. Ut ille poeticae artis apud Germanos unus perfector atque vindex, antiquae Graecorum poetarum stirpis sera, sed laetissima propago, Goethius, hac quam nobis scripsit Iphigenia, curavit longioribus narrationibus, omnibus ut patefieret tam amplae fabulae nexus atque ambitus. Sic magnificam proficiscentium ab Ilio Achivorum et exorientis tempestatis descriptionem, ex dispersis apud Ciceronem de Divinat. I. xiv. et de Oratore III. xxxix. versibus componendam, haud inepte in Duloresten inferas cum Broukhusio ad Propert. IV. i. 115. quamquam ex eo versu, quem e Pacuvii Duloreste Priscianus V. p. 668. affert, quo quidem versu breviter commemoratur

Achivorum exercitus naufragium, non sequitur necessario, ut in eodem Duloreste ipsam illam naufragii huius et tempestatis descriptionem fuisse censeamus. Caeterum huic descriptioni sine dubitatione praemittendi sunt versus ii, quos Cicero habet de Divinat. I. xvi. Illi autem versus, in quibus est de Orestis naufragio: *Fortunam insanam esse et caecam* etc. Choro inscripti fuerunt, simile et re, et oratione, et metro ἐπεισόδιον illi, quod ex Ennii Iphigenia in Aulide est ap. Gellium XIX. x. de quo aliquid Scaliger in Varr. Coni. p. 229.

Finem fabulae suae hunc fecisse Pacuvium aliquis opinetur, ut Thoantem interfecerit Orestes. Sane, occiso Thoante, aufugisse e barbarica terra Oresten cum suis, contra Euripidem tradunt Servius ad Virg. Aen. II. 116. et ex Servio, ut videtur, Hyginus fab. CCLXI. tum idem Servius ad Aen. VI. 136. Quibus addendus Lucianus supra laud. Toxari p. 57. et 62. Verum hoc ut non alienum a Pacuvio, ita alienum est a Duloreste: scilicet interemit quidem Thoantem Pacuvius, sed alia fabula, non Duloreste. Res est ad confirmandum ea, quae de Duloreste disputavimus, gravissima, et propterea breviter explicabitur hoc loco. *Chrysen* inter alia scripsit Pacuvius: cuius tragoediae argumentum antequam ex primo Iliadis libro cum Delrio repeteret Vossius Castig. pag. 87. et Nonii locum ea parte tentaret, quae integerrima videtur esse, reputandum erat viro doctissimo, an apta tragoediae materia fuisset Chrysis sacerdotis repulsa, pestis, utque Chryseïdem Agamemno restituerit. Immo reconditior in Pacuvii Chryse fabula erat: Orestis et Iphigeniae ad Sminthios adventus et periculum, in quod illi veniebant, ne Thoanti redderentur; tum ut agnitus fuerit Chryses iunior, Agamemnonis ex Chryseïde filius, et cum Oreste fratre Thoantem interfecerit: prorsus ut omnia narrat Hyginus fab. CXXI. praeterquam quod parum probabile est, Chrysen cum reliquis Mycenas abiisse. Egregia est, atque hoc exemplo augenda, Th. Reinesii Variar. lect. III. ii. pag. 373. sq. observatio, Hygini fabulis non paucis contineri veterum dramatum argumenta, tam latinorum quam graecorum, primitus facta a grammaticis poetarum interpretibus, VIII et ὑποθέσεων scriptoribus. Sic postquam fabulam CXX. prorsus secundum Euripidem in Iphigenia Taurica enarravisset, quae no-

tior narratio erat, in fine aliquid e Pacuvio admiscet, annexurus fabulam CXXI. de Chryse, quae tota e Pacuvio. Igitur cum Chryse cohaerebat et Chryse continuabatur Dulorestes. Dixeris hoc etiam Diomedem significare loco supra laudato. Chrysen deinde excipiebat Hermiona Pacuvii. Ad Chrysen referimus versum sine nomine exstantem in illo fragmento, quod cum Censorino editur; apud Scriver. p. 180.

Tela, famuli, tela; propere tela: sequitur me Thoas.

Tertium *tela* a Lipsio est.

Superest ut de *Duloreste* Varronis moneatur. Nam praeter Oresten sive de insania librum, qui haud dubie logistoricus fuit, etiam satiram Varro scripsit *Dulorestem* nomine, testante Nonio v. *meret.* Ac per se quidem nihil haec res habet, quod incredibile sit. Sic *Armorum Iudicium, Eumenides*, aliisque Varro satiras scripsit titulis, qui dramatum latinorum nomina referunt. Verum aliud est, quod dubitationem facit. Nonii haec sunt: *Varro Agathone Duloreste* (al. *Doloreste*): *Qui merita hominem et servum facit, unde et mercenarii et meretrices dicuntur. Idem Eumenidibus: Primum iste qui meret sestertios vicenos.* Iam de *Agathone* Varronis satis constat ex ipso Nonio: at eumdem libellum *Agathonem Dulorestem* inscriptum fuisse, quum hoc uno loco tradatur, quis credat huic uni loco? Itaque aliquid turbatum est in Nonii verbis. Ac nobis, qui praeter Popmam Not. in fragm. Varr. p. 320. Bip. neminem habeamus, qui hac de re disputaverit, nihil, ut ingenue fateamur, magis probabile, quam excidisse Varronis ex Agathone verba et post ea nomen *Pacuvii.* Antiquum autem hoc est et quod vix umquam sarciri possit damnum, et cui apud scriptores huius generis ipsumque Nonium non desunt exempla similia: veluti prorsus geminum festinantis librarii flagitium libros Nonii v. *munes* corrupit. Deinde, ut errorem error creat, non multo post quam deletum est Pacuvii nomen, coeptum est scribi: *Idem Eumenidibus:* etc. Nonius enim videtur scripsisse: *Varro Eumenidibus* etc. Pacuvio digna sunt optimumque et valde aptum in Duloreste locum invenient ista, quae Pacuvii esse coniicimus, si sic scribantur, praeeunte ex parte N. Fabro:

— *qui meritat, hominem se servum facit.*

hominem servum, ut graece: *ἀνὴρ δοῦλος*, et Terentius Phormione: *servum hominem caussam orare.**) Credideris Dulorestεn loqui, et qui factum sit, ut ad servilem conditionem depressus fuerit, exponere.

Haec habuimus de Pacuvii Duloreste. Vos hinc, Cives, quam gravem disputandi materiam latinae tragoediae monumenta praebeant, colligetis. Quod vero proximum est, accedite ad fontes, quos Mater Vobis Rhenana aperuit, haurite, et facite diligentia Vestra, ut prosint Vobis haustus.

---

*) Füge hinzu Plaut. Mil. II. VI. bei G. I. Voss. de Constructione p. 312. u. Plaut. Epid. I. I. 58. Asin. II. IV. 64 und noch mehr in meinen Excerpten zu Plaut. u. Terent. E schedis Naekii.

V.*)

Si quis umquam exiguo volumine liber summam et laudem meruit et auctoritatem omni tempore apud peritos habuit, is Aristotelis libellus est, qui inscribitur de Poetica. Compertum est Vobis, Cives, eius libri maximam partem in tragoedia versari: de qua quae scribit Aristoteles, non solum fundamentum unum omnium firmissimum et incomparabile adiumentum in historiam legesque veteris tragoediae inquirentibus fuerunt, sed tam sunt visa egregia esse apud populum non unum viris in hoc litterarum genere primariis, omni ut tempori et loco Aristotelis scripta praecepta esse iudicaverint. Hoc quidem mittimus. Illud quod attinet, nova non est, sed verissima et iterum iterumque inculcanda est, ut ab eo errore, quo nostra recentiorum hominum veteribus illis sapientia obtruditur, ad quem quidem errorem proclives sumus omnes, caveamus, nuper facta Hermanni observatio: optimum veteris tragoediae aestimatorem atque arbitrum Aristotelem esse, qui et aetate proximus tragicis illis fuerit et, ut ipse Graecus, Graecorum more philosophatus sit. Quae observatio quam late pateat, quicumque recte perspexerit, vix poterit fieri, quin is omnem de antiqua tragoedia disceptationem ab Aristotele inchoandam, nova et quae non suadeat Aristoteles vel monstret, nonnisi cautissime attentanda esse fateatur, at hoc, diversa ab Aristotele tradere, erroris Aristotelem arguere: nam erravit haud dubie aliquoties Aristoteles: periculosissimum esse ducat. Parum hac in quaestione coniectura perquam probabilis illa momenti habet, qua sibi, non aliis huncce librum scripsisse Aristoteles statuitur: quod enim hinc sequitur, quaedam eum vel obscurius vel scripsisse negligentius, et obscuritas ista digna est, ex qua latentem scriptoris sapientiam eruamus, et praestat Aristotelis negligentia multorum diligentiae.

Exordium hoc voluimus esse disputationis et Vobis, ut putamus, qui bonis litteris operam datis, haud ingratae, et ad

*) Nonis Martiis a. 1823.

omnem rem poeticam, nisi fallimur, fructuosae, de duobus Aristotelis locis ad Sophoclem pertinentibus instituendae. Num quid enim poterit vel suavius vel utilius esse, quam de Sophocle Aristotelem, at quantum criticum et de quanto poeta, audire disserentem? Eorum locorum unus ad illam omnium fabularum, ut ipse iudicavisse videtur Aristoteles, reginam, Oedipum Regem, spectans ita se habet, Poet. XVIII. 14. Herm. vel cap. XVIII. ed. Tyrwh. ἄλογον δὲ μηδὲν εἶναι ἐν τοῖς πράγμασιν· εἰ δὲ μή, ἔξω τῆς τραγωδίας· οἷον, τὰ ἐν τῷ Οἰδίποδι τοῦ Σοφοκλέους. et II XXV. 8. Herm. vel c. XLIV. Tyrwh. clarius: τούς τε λόγους μὴ συνίστασθαι ἐκ μερῶν ἀλόγων· ἀλλὰ μάλιστα μὲν μηδὲν ἔχειν ἄλογον· εἰ δὲ μή, ἔξω τοῦ μυθεύματος· ὥσπερ Οἰδίπους τὸ μὴ εἰδέναι πῶς ὁ Λάϊος ἀπέθανεν, ἀλλὰ μὴ ἐν τῷ δράματι· ὥσπερ ἐν Ἠλέκτρᾳ οἱ τὰ Πύθια ἀπαγγέλλοντες, ἢ ἐν Μυσοῖς ὁ ἄφωνος ἐκ Τεγέας εἰς τὴν Μυσίαν ἥκων. Respicit Aristoteles versus fabulae istius 112. 113. ubi Creontem Oedipus interrogat:

πότερα δ' ἐν οἴκοις ἢ 'ν ἀγροῖς ὁ Λάϊος,
ἢ γῆς ἐπ' ἄλλης τῷδε συμπίπτει φόνῳ; —

Quae sane nimia esse inscitia videtur: nam hoc saltem scire Oedipum decebat, quod omnes noverant, et quod ipse post diuturnam cum Iocasta, occisi regis uxore, quam quidem non tam longo post necem Laii tempore in matrimonium duxisset, vix poterat nescire: fuisse Laium non domi, sed γῆς ἐπ' ἄλλης occisum. Iam igitur hoc eo quo vidimus modo excusat Aristoteles, et amplexi sunt Aristotelis sententiam viri et docti et ingeniosi. Ea excusatio quam vim habeat, cognosci exemplis poterit. Veluti *intra tragoediam* sive *intra fabulam* ἄλογον fuisset ac prorsus intolerabile hoc foret, si in ipso fabulae initio, ubi egreditur in scenam, Oedipum Sophocles produxisset de pestilentia, qua laborabat civitas, non edoctum. Tum profecto cordatus quisque ita secum cogitaturus erat: o insipientem regem, quem praeteribat, consumi atque exstingui civitatem! o immisericordem hominem, qui clamoribus civium et eiulatibus fores tam diu et aures occlusit! At hoc non attinebat ad spectatores quaerere, de morte Laii quid olim comperisset aut non comperisset Oedipus. Ab Aristotele ibi non diserte dissensum declarat suum, sed aliam tamen viam ingreditur Hermannus: cui ἄλογον istud ipse videbatur Sophocles

excusavisse v. 128. seqq. 219. seqq. Nos, fatemur, in Aristotelis excusatione illa acquiesceremus simpliciter, nisi aliud moram faceret. Rem narraturi sumus miram, insolentem, novam, quae viros doctos omnes et Aristotelem, ut videtur, ipsum latuit, et quae verendum est ne, dum Aristotelis excusationem evertat, Sophoclis novas in dubitationes artem adducat. Tractavistis Oedipum, Cives: repetite memoria, quae proximo a versibus istis intervallo, ingressu chori facto et missa post Oedipi promulgationem concione, inter Oedipum et Chorum aguntur. Ibi Chorus, et alia quaedam, ad investigandam Laii caedem pertinentia, et hoc dicit, dubitanter et postquam meditabundus adstitisset: *καὶ μὴν τά γ' ἄλλα κωφὰ καὶ παλαί' ἔπη. — θανεῖν ἐλέχθη πρός τινων ὁδοιπόρων.* Cui Oedipus, ille Oedipus, qui paullo ante nesciebat, Thebisne, an in agro, an alia in terra Laius occubuisset, hoc respondet v. 293.

ἤκουσα κἀγώ· τὸν δ' ἰδόντ' οὐδεὶς ὁρᾷ.

Quid hoc est? Qui hoc nosset, quod pauci recordabantur vetusto et quasi sepulto rumore, a viatoribus quibusdam occisum
III Laium esse, eum illud non comperisse, quod universa dictitabat civitas, a latronibus interfectum esse in itinere Laium? Eum, qui interfectum a viatoribus esse Laium accepisset, dubitare posse, utrum id domi, an in agro, an peregrinans passus esset Laius? At fortasse tum, quum versus 112. 113. pronunciabat Oedipus, nesciebat et nuper admodum intus in palatio, dum saltabat chorus, didicit nescio a quo hoc, quod est de viatoribus: nam ambiguum est tempore, quod Oedipus dicit, *ἤκουσα*. Crederemus, si posset aliquo modo demonstrari, quis ille sit, a quo hoc audiverit Oedipus, et si indicatum a Sophocle esset, aliquam intus esse ab Oedipo investigationem factam. Ut nunc res est, quum manifestum sit, quod Oedipus *ἤκουσα* dicat, id de pristino accipiendum esse tempore, quid fiet? Num oscitatum Sophoclem eorumque, quae paullo ante scripsisset, vix ducentis versibus interiectis, oblitum esse ad v. 293. putabimus? At parum id Sophocle dignum. An Oedipum ista, quae sunt v. 112. seq. dixisse negligentem et oblitum sui, postea v. 293. resipuisse et recordatum esse olim audita? At hoc Oedipo indignum, prudenti viro. Atque id indicandum a poeta fuisset, resipuisse Oedipum,

quum negligens fuisset antea. An, quod magis dignum Oedipo, *simulatam* esse in istis, quae Creontem interrogat, ignorantiam Oedipi censebimus? Haec nostra per aliquod tempus sententia fuit: non negamus. Scilicet suspicionem habere nobis Oedipus videbatur, subornatos a Creonte Laii interfectores fuisse: quam in rem tum aliis quibusdam vestigiis tum versibus maxime 124. 125. utebamur cum interpretatione, quae ibi legitur, veteris interpretis graeci. Enimvero fallebamur. Non habet istam suspicionem Oedipus. Quae ex eo difficultas et discrepantia est in fabula nostra, quod uno ignarus, altero loco gnarus cernitur Oedipus, aliam explicationem habet: quam nunc proferemus. Intelligetur autem, veram esse Aristotelis observationem, sed tamen addendum aliquid esse, quod Aristoteles addi non opus esse duxerit aut oblitus sit addere, ut cui tum non obversaretur versus Sophoclis 293. Graeci poetae ut ab ea perversitate, qua apud nos quodam olim tempore omnes et multi etiamnum summam artis servili naturae imitatione contineri eamque poesin optimam esse, quae adducta ad communis vitae similitudinem sit quam proxime, opinantur, prorsus abhorrebant et alium poeseos esse, alium in vulgari hominum consuetudine sermonem probe sciebant: ita in tragoedia multo minus, quam nostri poetae tragici, hoc operam dederunt, ut fraudem facerent spectatoribus et persuaderent, illud, quod agi in scena viderent, re vera nunc fieri vel factum ita esse olim, sed et alia multa admiserunt communis vitae modum excedentia, quae non poterant non admonere spectatorem, ficta esse et arte fieri haec omnia: quo quidem chori illae saltationes pertinent et tota artificiosissima metrorum tragicorum conformatio: et maxime heroes suos ea interdum iusserunt dicere, spectatorum caussa, quae illos tum di- IV
xisse, quum viverent, minime credibile esset. Monitum est, et recte monitum est, multo fuisse Athenienses, quod ad rem scenicam attineret, hac nostra plebe, quae theatra visit, doctiores: fabularum, quae tractarentur a poetis tragicis, peritiores, ad perspiciendum tragoediae alicuius nexum atque ambitum alacriores et ad percipiendum singulis locis poetae sensum promptiores: at multum tamen falleretur, si quis hoc ad miram ingeniorum solertiam, quae sane fuit in populo isto singulari dei munere, refe-

rendum esse unice, vel in universum Athenis cerdones et fullones doctiores his nostris fuisse existimaret. Quodsi spectatorum intelligentiam non adiuvissent poetae Graecorum tragici et eadem spectatorum incuria fabulas scripsissent, qua nunc poetae scribere solent suas, eumdem stuporem, quem nunc videmus spectatores, peracta fabula, et eamdem rerum auditarum confusionem secum asportavissent e theatro Athenienses. Igitur in tragoedia graeca non solum omnino simpliciorem et apertiorem compositionem cernimus, verum etiam personas audimus multa saepe loquentes, quae non loquuturi fuissent eo temporis momento heroes isti, quorum hae personae imagines sunt: quod eo a poetis consilio institutum est, ut via quam brevissima spectatores, de quo sermo esset et quod sciri opus esset, ut recte intelligeretur fabula, discerent. Notissimum huius rei exemplum prologi isti sunt Euripidei. In quibus etsi Graecos multo minus, quam nos, offendisse putamus, fatendum tamen, esse hanc perbrevem quidem, sed, ut ea aliquoties Euripides usus est, arte carentem omniumque minime probabilem ad instituendos spectatores viam. Itaque sapientius alii in eadem re versati sunt. Atque huc referimus illud Oedipi cum Creonte colloquium, inde a v. 103. usque ad v. 131. quae si scripta spectatoribus esse statuerimus, consentiendum erit omnibus, neque breviore compendio neque magis perspicua expositione potuisse in rem traduci spectatores atque edoceri ea, quae sciri e rebus ante fabulam gestis oportebat, ut sequentia aliquis recte perciperet. Hinc illud est, quod v. 103. Creon ab ovo incipit: *ἦν ἡμίν, ὦ'ναξ, Λάϊός ποθ' ἡγεμὼν γῆς τῆσδε*: quasi hoc nesciat Oedipus. Hinc, quod Oedipus illud quaerit: *πότερα δ' ἐν οἴκοις* etc. Nam etsi potuisse tam ignarum a Sophocle Oedipum fingi, Aristoteles vicit ista sua observatione, alia tamen caussa fuerit necesse est, propter quam mallet ignarum Sophocles fingere Oedipum, quam gnarum. Scilicet edocendi ista hac occasione spectatores erant: et sane melius non poterant edoceri, quam si narrantem ea Oedipo Creontem audirent. Huc etiam pertinent versus, quorum supra mentionem fecimus, 124. seq. Admonendi enim mature spectatores erant, quod vulgata de morte Laii narratio ferebat, occisum eum a latronibus fuisse, id parum esse probabile, immo falsum, et

subesse aliud. Igitur haec spectatoribus scripta sunt et in exordio fabulae. Praeparatis spectatorum eo modo animis, mox, ubi propius. spectatores adduci ad veritatem conducebat: est autem primaria illius tragoediae virtus in eo posita, quod paullatim et per gradus quosdam ad veritatis inventionem proceditur: in media fabula et fervente iam tragica actione, scientem fecit Oedipum illud de viatoribus Sophocles v. 293. Quo loco, quod nemo animadvertit, ista: *τὸν δ' ἰδόντ' οὐδεὶς ὁρᾷ*, singulare artificium habent ab horrenda, quae inest, ambiguitate: quae ambiguitas deinde continuatur v. 297. et sunt eius artificii etiam alia quaedam exempla in hac fabula, monstrata hic illic a vetere interprete graeco. Quod autem discrepat versus 293. cum v. 112. seq. est ea quidem discrepantia quaedam, verum illam non curabat Sophocles: confidebat enim, ac poterat confidere, illic scripta eo a spectatoribus sensu, quo ipse scripsisset, i. e. spectatorum in gratiam, accepta esse et responsiones magis Creontis quam Oedipi quaestiones spectantium animis inhaesisse.

Altero loco, qui est cap. XIV. 16. Herm. vel cap. XXVII. Tyrwh. de actione, *πράξει*, qualis debeat esse in tragoedia, Aristoteles disputat et dum non uno eam posse modo institui docet, cum omnium pessimum esse modum dicit, si quis facinus sciens facturus sit, nec faciat: *τούτων δὲ τὸ μὲν γιγνώσκοντα μελλῆσαι καὶ μὴ πρᾶξαι, χείριστον· τό τε γὰρ μιαρὸν ἔχει, καὶ οὐ τραγικόν· ἀπαθὲς γάρ. διόπερ οὐδεὶς ποιεῖ ὁμοίως, εἰ μὴ ὀλιγάκις· οἷον, ἐν Ἀντιγόνῃ τὸν Κρέοντα ὁ Αἵμων.* His notari, sed iniuria, et male intellectum esse ab Aristotele Antigonae versum 751. Br. sententia olim Hermanni erat. An perstet ille in sententia nescimus, sed hoc tamen vir celeberrimus concedet, si effici possit alia demonstratione, ut erroris culpa Aristoteles liberetur, esse eam demonstrationem arripiendam cupideque amplectendam. Iam vero id potest effici et monstravit verum verbo Tyrwhittus. Is eum Antigonae locum, qui est v. 1231. seqq. Br. tangi ab Aristotele monet: ubi Nuncius Haemonem narrat, dum mortuam Antigonam amplexam teneret, repentina Creontis adspectu ira commotum stricto in patrem, qui caussa mortis Antigonae fuerat, gladio irruisse, sed quum fugam pater caperet, aberravisse ictu: mox, quod quidem iam antea secum constituerat facere,

ipsum incubuisse gladio. In his quid sit quod reprehendatur ab
Aristotele, etsi sponte apparet intelligentibus, iuvabit tamen alio
exemplo confirmavisse atque illustravisse ingeniosissimi philosophi
sententiam. Legistis, Cives, haud dubie omnes, quam de Carolo
Philippi Hispaniarum regis filio fabulam Schillerus scripsit. Ea,
ut in editis circumfertur exemplaribus, hunc exitum habet, ut
colloquentibus clam et tacita nocte Carolo et Reginae Philippus
Rex superveniat, increpet duobus verbis Carolum, tum Purpurato
eumdem, Inquisitorum, qui iudicia eo tempore per Hispaniam
exercebant, praefecto, iudicandum tradat his verbis: *ego partes
peregi meas; iam tu fac tuum.* Satis bona conclusio et a grae-
VI cae tragoediae dignitate non nimis abhorrens: nisi quod graeca
non est et quaesita videri potest ista dicendi brevitas. At non
sic committitur in scenam fabula. Sed exstitit emendator aliquis
et *διασκευαστής*: nisi ipse Schillerus fuit, quod accipere haud
obscura fama recordamur, qui sic in viscera saeviit sua, scilicet
quod sanguinem hodie spectatores sitire et delectari pulveris ni-
trati tonitru fulguribusque nosset: igitur emendator exstitit et tum
alia mutavit, tum Magni Inquisitoris personam delevit et hanc
clausulam invenit novam, qua Carolus Schilleri dedecorata certe
ante hos duodecim annos non ab uno contemtove grege, sed ab
uno et altero celebratissimo, ac fortasse ab omnibus, et in opti-
mis Germaniae urbibus agebatur, agebatur et placebat. Superve-
niente Rege et Carolum increpante, Carolus telum illud morte
gravidum extollit, dirigit in patrem, sed ignem machina denegat.
Tum strepere omnia: multa multi incondita, unus caedem cla-
mare, alter, an habeat rex, quaerere; alia. Carolus ipse multa
primum, quae nolumus referre, fabulatur: non possunt autem
Schilleri verba esse, tam sunt ieiuna et inconcinna, ac praeterea
ne eam quidem metri speciem habent, quam tenuem sane reli-
qua fabula habet: deinde pugionem, *συσπαστόν*, quo histriones
perimuntur, in corde defigit et mortem obit mimicam. Ac pro-
fecto debebat mori, qui tam perversum se gessisset. Contem-
plamini paullisper, quam male hoc institutum sit, quod interficere
patrem Carolus conatur, sed frustra. Qui tale facinus non so-
lum inchoaverit, sed etiam perpetraverit, eum horremus; infelix
ille pariter ac sceleratus est, et quem nescias utrum abomineris

magis an cuius te misereatur: sacrum caput est. Contra qui susceperit tantum, et impar perficiendo facinori hac vel illa de caussa deprehendatur, is et invidiam atrocissimi facinoris omnem habet, et premit eum, quae irritum conatum comitari solet, contemtio. Accedit quod parum tragoediae convenit, a levi casu et fortuita re eaque prorsus improvisa omnem pendere fabulae exitum: quid enim fieret de fabula, nisi Caroli telum ignis deficeret? Multo, quam hic, lenius Sophocles lapsus est Antig. l. l. ubi quum narretur res omnis, non fiat coram spectatoribus, narratio hoc habet, ut citius ingrata transeant. Vel sic tamen, si nihil aliud, certe inutile erat, tam atrocem conatum conferre in Haemonem.

Bonum ducem ad communia Vobiscum tractanda per hos menses aestivos, qui instant, studia sumpsimus. Doctrinae studetis, Cives, sed accuratae. At accuratae doctrinae et exemplum longe praeclarissimum et vero parens appellandus est, si quis alius, Aristoteles.

VI.*)

Veterum librorum auctoritate confirmari quam vel ipse feceris vel ab alio factam acceperis emendationem, etsi omni tempore solet pergratum et acceptum esse, tamen, nisi per se firma sit et sua se virtute commendet emendatio, neque tibi ipsi illa commendationis accessio satisfacere, neque aliis persuadere, recte te emendasse, poterit. Documento est Catulli locus in Carmine nuptiali:

Non frustra meditantur: habent memorabile quod sit.
Nec mirum: tota penitus quae mente laborent.
Nos alio mentis, alio divisimus auris.
Iure igitur vincemur. amat victoria curam.

ubi cum versum, qui secundus est, quam otiosus esset, facile

---

*) XVIII. Cal. Septembres a. 1823.

sentire viri docti poterant, et vero senserunt unus et alter. Iam
talem versum quum abesse a bonis libris et fide dignis, quos
enumerare non est huius loci, quamquam illud non supervaca-
neum erit monuisse, quod in Statii ille editione compareat, non
sequi inde, eumdem etiam in codicibus manu scriptis fuisse Sta-
tii: igitur a bonis libris quum abesse eum versum cognoveris,
ecquae poterit reliqua esse dubitatio? Sed dubitatum tamen
est ab illis ipsis, qui suspecta versum auctoritate esse sciebant:
reduxerunt versiculum iam expulsum, et circumfertur ille etiam-
num in Catulli exemplaribus. Vides, cui res ipsa non persua-
deat, eum nec testibus habere fidem. Neque nos hoc quidem
reprehendimus: immo collaudamus, et ipsi fortasse, invitis libris,
teneremus versum, si bonus esset et Catullianus et aptus car-
mini. At vero non esse bonum, non aptum, demonstrari potest.
Otiosum diximus: verum non solum otiosus est, sed etiam ab-
undat; non solum abundat, sed prorsus languidam sententiae
satis clarae amplificationem continet, factam puerili diligentia ab
eo, qui proximorum versuum sensum et nexum declarare vellet.
Vel sic tamen iste a mente poetae aberrat, dum ridiculum in
modum auget virium in puellis contentionem. *Laborare*, idque
tota mente et *penitus*, eius est, qui inventurus est, quod dicat.
Puellae vero istae, quod diserte iuvenes monent, non *laborant*
nunc quidem, sed tantum hoc agunt, ut memoria recolant et
II repetant secum antea excogitata et inventa. Praeterea ne stru-
ctura quidem verborum, *nec mirum quae*, valde placet. Haec
fere obversabantur Scaligero scribenti ista: *Abest hic versiculus
a nostro libro. Et profecto nullam bonam sententiam concipit.*
Accedit aliud argumentum, quo primo nobis olim, quum aliquan-
tisper haesitavissemus, certam factam esse mali poetae fraudem
recordamur. Est hoc carmen amoebaeum, hac lege, ut nulla
carminis pars sit, quin respondentem sibi habeat aliam partem
eodem versuum numero; singulae partes, uno loco excepto, de quo
statim dicetur, versu terminabantur intercalari. Factum est eam
ad legem illud, quod exordium dici queat, bis quinque versibus
constans, quorum quinque prioribus iuvenes, posterioribus puellae
excitantur: sive ista inter iuvenum chorum et puellarum chorum
distribuenda, sive uni ex iuvenibus et uni puellae adscribenda

sint, sive omnia a nuncio quodam, vel, quod simplicissimum fue-
rit, ab ipso poeta cani fingantur. Sequitur a v. 11. usque ad
v. 19. locus, a responsione, ut videtur, exemtus: in eo noster
versus inest: loquuntur iuvenes vel unus ex iuvenibus. Rursus
illam legem observat pars huius carminis primaria, qua ipsa cho-
rorum concertatio continetur, inde a versu: *Hespere, qui coelo
fertur crudelior ignis?* nam quae praecedunt omnia praeparatio
tantum concertationis sunt, ut cognoscitur ex illo versu: *Dicere
iam incipient, iam respondere decebit.* Sunt autem concertatio-
nis tres strophae, cum sua quaeque antistropha, quarum quae
media est stropha et antistropha, perturbatam esse et lacunam
habere animadverterunt viri eruditi: praeeunt semper puellae,
respondent iuvenes. Denique fit conclusio, octo versibus, de
quibus miramur elegantis viri, Mureti, sententiam: *hoc ab utris-
que communiter cani videtur.* Obmutescere decebat virgines,
quum victoriam se reportaturas esse in hoc certamine despera-
rent; non decebat, quae paullo ante castitatem celebravissent,
mutato repente consilio, talia canere: *virginitas non tota tua est,*
et quae seq. Immo haec iuvenes canunt, et egregie hoc ita in-
stitutum a poeta est, ut iuvenes, absoluta tertia concertationis
antistropha, antequam novam exordiri stropham puellae possint,
finem imposituri certamini, subita conversione facta, sponsam
compellent, et morigerandum esse coniugi lepida et quasi iudi-
ciali disputatione demonstrent. Hinc etiam est, quod in tertiae
antistrophae fine non ponunt versum intercalarem iuvenes. Haec
omnia quem in finem disputata sint, non obscurum est. Scilicet
etiam haec, quam conclusionem diximus, nihil habet quod respon-
deat. Verum prorsus incredibile est, duos extra ordinem et sine
responsione relictos a poeta locos esse eo in carmine, cuius longe
maximam partem artificiosa stropharum excellere compositione
videmus. Itaque monstrabimus quid sit in duobus istis locis re-
sponsionis. Octo versibus conclusio, quam diximus, constat; III
novem versibus iuvenum, quae est a v. 11. usque ad v. 19. ora-
tio, si numeramus suspectum illum. Dele nostrum istum: habe-
bis responsionem. Respondent sibi oratio iuvenum ea, qua pro-
luditur, et eorumdem iuvenum oratio, qua finis imponitur con-
certationi: quo nihil fieri poterat aptius. Ac par erat, primas in

istiusmodi carmine iuvenum partes esse et multo, quam puellarum, ampliores. Caeterum dubitare licet utroque loco, utrum chorus cantet iuvenum, an unus iuvenis, isque princeps iuvenum et totius ludi moderator.

Discessuri eramus a Catullo et acturi aliud. Sed placet paullulum morari in Catullo, cuius ut alias virtutes taceamus, nativa simplicitas et in simplicitate venustas semper novis eum, qui harum rerum sensum habet, delenimentis capit. Quamquam haec ipsa virtus est, quae assuetos aliorum poetarum lectioni interpretes latuit haud raro ac fefellit. Carmine XI. *Furi et Aureli, comites Catulli, sive in extremos penetrabit Indos*, et quae seq. Catullus, collaudata multis versibus Furii et Aurelii assiduitate, quos dicit se comites habiturum esse, quocumque ipse terrarum delatus fuerit, mox non, quod exspectes post tam sollemnem obtestationem, magnum quiddam et grave, sed hoc petit ab illis: *Pauca nunciate meae puellae Non bona dicta: Cum suis vivat valeatque moechis.* Eius carminis priorem partem, quae in describendis terrae regionibus remotissimis versatur, vehementer olim admirabatur Doeringius: graviori nunc carminis genere uti, et sublimiori spiritu exsurgere poetam, esse verborum delectum et ornatum plane lyricum, deinde, quod alteram partem attinet, hanc ingeniosam et admirabilem poetae inventionem esse dicit idem, quod inopinata conversione eludatur lectoris exspectatio, et quod summam gravitatem repente excipiat lasciva levitas. Nos, quod pace viri clarissimi dictum sit, neque quid hoc sit artificii, eludere lectorem, intelligimus, neque sublimitatem illam valde admiramur aut Catullianum putamus, cumulare ornatus caussa diversissimarum regionum descriptiones. Denique quum alibi Catullum acerbis in Furium et Aurelium versibus invehi constet, quod repugnare videtur nostro carmini, ut quo laudari spectatam Catullo Furii et Aurelii amicitiam interpretes sibi cum Doeringio persuaserunt omnes, Doeringius eam ob caussam duo fuisse Furios, ad quos carmina Catullus scripserit, duo Aurelios fingit. Quae valde lubrica coniectura est. Magnas difficultates excitavimus, sed dirimentur verbo. Ironia est in exordio carminis nostri. Furius et Aurelius quod hominum genus fuerint, et quomodo usus illis Catullus sit, patebit conferenti Catulli carmina xv.

XVI. XXI. XXIII. XXVI. quibus addendum de Furio c. XXIV. itemque, nisi fallimur, c. LXXXI. ad Iuventium. Fuerunt uterque egentissimi, qua de re multus est poeta; usus est eorum consuetudine per aliquod tempus Catullus, sed ita, ut parvi semper eos aestimaverit et tractaverit negligentius: at tum, quum commisissent, ob quod irasceretur, non modico eos odio, quali Alphenum, quem magni fecisset antea, persequitur illo carmine, *Alphene immemor atque unanimis false sodalibus*, sed acerbitate insectatus est ea, quae animum testatur iam ante acceptam iniuriam frigidum et nullo verae benevolentiae sensu commotum. Cum his optime nostrum carmen conspirat, quo quod ubique terrarum Furium se atque Aurelium dicit *comites* habiturum esse poeta, non est sincera verae amicitiae collaudatio, sed per hyperbolen castigat ac perstringit importunam istorum hominum assiduitatem. Atque talibus hominibus mandare istud ad puellam, *cum suis vivat valeatque moechis*, decebat: non solemus enim tam inhumana mandare iis, quos magni facimus. Etiam illud ironicum est, *omnia haec, quaecumque feret voluntas Coelitum, tentare simul parati*: est enim παθητικώτερον, quam pro Catullo. Aliter ille cum amicis, Verannio, Fabullo, Calvo, Caecilio. IV

Iam quod significatum est, aliud esse, de quo agere Vobiscum, Cives, constituerimus, id aliud ea spectat, quae alio tempore coram Vobis disputavimus. Quibus quum inventa sint quae addi possint, nihil obstat, quo minus eodem loco ea et eadem opportunitate, qua audivistis illa, addantur. Sunt autem duo. Quorum unum ad *Pacuvii Duloresten* pertinet. De quo quum disserebamus, testem omisimus omnium, qui eam fabulam commemorant, facile antiquissimum. Is est Lucilius lib. XIX. ap. Prisc. X. p. 907. vel in Lucilii Reliquiis a Dousa collectis et denuo editis cum Censorino e recensione Havercampi p. 368.

Rausuro Tragicus qui carmina perdit Oreste.

Pacuvii Dulorestes quum agebatur aliquando, accidit, histrionis culpa, qui Oresten agebat, qui histrio raucus factus esset, ut displiceret fabula vel risu exciperetur. Lucilius fortasse eo loco miseram esse tragicorum poetarum sortem demonstrabat, ut quorum salus posita in histrionum dexteritate esset. Male versum istum cum aliis in centonem coegit Dousa p. 444. Memoria di-

gnum est, quod Gellius scribit XVII. xxi. extr. *neque magno intervallo postea Q. Ennius, et iuxta Caecilius, et Terentius, ac subinde et Pacuvius, et Pacuvio iam sene Accius, clariorque tunc in poematis eorum obtrectandis Lucilius fuit.* *Eorum* quod dicit, intelligendum esse videtur de proximis, Pacuvio et Attio. Lucilius XXIX. ap. Nonium v. *exordium: Utrum tristis contorto aliquo ex Pacuviano exordio.* Ut versus constaret, *utrum* scripsimus, cum Dousa et cum Parisina Nonii a. 1583. et Gothofredo. Vulgata scriptura, velut Romanae per Georg. Lauerum et Par-
V mensis a. 1480. est *Virum.* Mercerus nescio unde, *Verum.* Porro ad Chrysen fortasse Pacuvii referendum, et ad eum quidem locum, ubi de ortu Chrysis iunioris exponebatur, Lucilii ex eodem, ut traditur, libro XXIX. fragmentum apud Non. v. *signatam,* quod sic emendavimus: *rimam Chrysi eum negat signatam reddere.* *Eum:* Agamemnonem. Quis sit qui *negare* illud dicitur, incertum est; sed fortasse Apollo est. Vulgo legitur: *Primam crisicum n. s. r.* Haec saltem aliorum commentis praestant: eius, qui omnia perturbat hoc loco, Merceri; vel illorum, qui lapsum esse in voce *signata* interpretanda Nonium existimabant: inter quos Vossius Etymol. L. L. v. *signum.* Ipsi tamen, ut verum fateamur, emendationis nostrae nonnisi eam partem tenemus, qua corruptum illud *primam* correximus: qua emendatione nihil censemus verius esse. Sana videntur reliqua: *Chrysi cum negat s. r.* prorsus ut veteres libri, in quibus *crisicum.* Est autem hic quoque trochaicus, capite truncatus. *Chrysi cum,* referente Dousa, etiam Scaliger legebat: nescimus, quo loco; neque reliqua quomodo acceperit, nobis quidem constat. Sensum divinatione assequutus est Dousa. Nempe lepida Lucilius paraphrasi expressit Agamemnonis verba ex primo Iliadis: *τὴν δ' ἐγὼ οὐ λύσω — ἐμὸν λέχος ἀντιόωσαν.* *Negat reddere,* ut Terentius Andria II. iii. 5. *negaris ducere.* Itaque hic cum Pacuvio nihil Lucilio erat. Verum alibi Lucilium, vel obtrectaturum tragicis poetis, vel parodia ludentem, ut faciunt comici poetae graeci, multa scripsisse in tragoediam, tum Gellio credimus, tum fortasse ex ipsis Lucilii reliquiis eo ioci genere non raro usum poetam esse, evincetur. Non damus enim studiose conquisita, sed quae occurrerunt obiter inspicienti Luciliana. Ut est in fragmentis libri XXVI.

unum et alterum, quo respici ad tragoediam videtur: inter quae illud, quod apud Dousam LXVIII. ex Nonio v. *contemnificum.* Quamquam hoc quidem alius quaerat an forte coniungendum sit cum eo, quod tractabamus modo. Magniloquentiam tragicam exagitat Lucilius lib. V. ap. Non. v. *pecus: lascivire pecus iussit* (Lauerus et Parmensis: *iussi*) *rostrique repandum.* Pacuvii versus erat: *Nerei repandirostrum, incurvicervicum pecus:* quem versum sic trochaeis metiendum et in illo loco coniicimus inserendum esse, quo Graecorum ab Ilio profectionem describebat Pacuvius. Quo loco eiusdem navigationis apud Livium in Aegistho descriptionem Pacuvius videtur aemulatus esse. Lucilius vero, inversa compositione, *rostrirepandum* fecit, idque per tmesin extulit, libertate prorsus Luciliana. Disputaturi etiam eramus de compositione nominis *Dulorestes* quaedam non trita. Sed haec fortasse alium locum invenient. Omnino tenendum est, si quis Scriverii Collectanea repetere nova editione in animum induxerit, vix dici posse, quantum Scriverius colligendi et emendandi VI laborem reliquerit futuro editori. Etiam colligendi: fragmentorum enim non contemnenda fieri accessio poterit. Afferemus ex hoc genere unum, novum et qui ineditus dici queat, *Pacuvii* versum. Recordati sumus paullo ante, quum Catullus in manibus erat, et digna res est, quae narretur. Igitur in Catulli carmine XVII. ubi de ponte sermo est, versum 6. quem sic scriptum habet: *in quo vel salisubsuli sacra suscipiuntor*, his verbis explicat Muretus: *ita latus, firmusque, ut etiam possit Martis sacra peragentes salios sustinere. Salisubsulum vocat Martem Pacuvius,*

Pro imperio sic Salisubsulus vostro excubet. *)

Quem versum quum etiam Scaliger agnovisset et in usum con-

*) Ueber Salisubs. vgl. Gyrald. auf den mich zuerst Buttm. aufmerksam machte, der Ἀλλοπρόσαλλος verglich. Das Wort erkennt bei Pacuv. und Catull. auch Pighius an, Annal. Roman. lib. VII. welchem Buch er den Titel Salisubsilus (sic) gegeben. Für Benennung der Priester nahm es bei Catull. wie andere, das Dictionarium Poeticum, Lugd. 1556. 8. pag. 643. wo die Stelle so geschrieben: In quo uel Salisubsuli sacra suscipiunto. — L. Fruterius in der Briefsammlung von Gabbema p. 630. E schedis Naekii.

vertisset suum, contra dicere Is. Vossius, ut solet, confidenter coepit: mirari Scaligerum, qui fraudem non detexerit: nam meram hanc fraudem esse, quum iste versiculus nusquam alibi exstet, nec Pacuvium, sed Muretum habeat auctorem. Meruit confidentia assensum, et post Vossium certatim spurium esse versum et fraudem hanc esse Mureti repetierunt alii: Gutberlethus de Saliis p. 112. Fabricius B. Lat. tom. III. p. 237. Ern. et inter Catulli interpretes Doeringius; Corradinus autem de Allio non hoc, sed corruptum esse Pacuvii versiculum pronunciabat. Enimvero in his primo videndum erat, an probabile esset, talem placuisse Mureto fraudem. Nam quod alio tempore fictis a se versibus Muretus Scaligerum decepit, quae res primam Vossio suspicionem de Pacuvii versu peperisse ac fidem Vossio fecisse apud alios videtur: aliud est, fingere versus et vendere rivali tuo, ut ille decipiatur: aliud, et minus dignum Mureto, versum fingere in fraudem omnium, quo commendes tuam alicuius scriptoris interpretationem. At quicquid aliquis sentiat de improbitate Mureti, certum est, hic illum bona egisse fide. Non primus enim Pacuvii versum protulit, sed repetiit ab alio proditum. Non ubique reperitur et multos latuit Catullus Venetiis per Georgium de Rusconibus MDXXI. editus hac inscriptione: Alexandri Guarini Ferrariensis in C. V. Catullum Veronensem per Baptistam patrem emendatum Expositiones. In eo ad versum Catulli sic editum: *in quo vel salisubsuli sacra suscipiantur*, haec scribit Alexander Guarinus Expos. fol. XVII. *cum versus iste corrupte legeretur adeo ut doctorum ingenia torqueret*, *Pater meus ipsum corruptissimum et paene mortuum sic vitae restituit, cuius quidem sensus erit, — ut in eo suscipi possint sacra martis, quae saltando a saliis celebrabantur, — Salisubsulus enim uti in antiquorum monumentis reperi mars a veteribus dictus est. Pacuvius in armorum iudicio, pro imperio salisubsulus si nostro excubet.* Guarinum saepius vel nominat vel non nominatum respi-
VII cit Muretus, ut dubium non sit, quin Pacuvii quoque locum debeat eidem. Scaliger autem a Mureto accepit: quippe non putamus, Scaligero, in Catullo versanti, Guarini praesto libellum fuisse: nam quod semel ille, in Eleg. ad Manlium, *Garini* mentionem facit, non videtur ibi de Alexandro aut Baptista, sed ma-

gis de antiquo illo Guarino Veronensi cogitavisse. Iam quid censebimus de Pacuvii versu? Pro genuino habebimus et Pacuviano, donec aliquis alium auctorem demonstraverit. Id vero non exspectandum est ut fiat. Guarinus saltem iste hac fraudis suspicione aut maior est aut minor; neque hoc uno tantum exemplo constat, quaedam habuisse aetatem illam sibi propria antiquorum auctorum scripta vel codices his nostris pleniores. At mirationem facit vox *Salisubsulus.* Fatemur: sed quis damnet? Non morabatur illa Muretum, Scaligerum, Vossium Etymolog. L. L. v. *salio.* Et egregie se invicem tuentur Pacuvius et Catullus. Non est enim dubium, quin veram Catullo scripturam Baptista Guarinus restituerit: *in quo vel Salisubsuli sacra suscipiantur:* docent libri. De sensu cum Guarino convenit ei, quem supra audivimus, Mureto: sed minus bene Muretus *suscipiuntor* legit, quod longius recedit a libris. Scaliger: *Salisubsuli sacra suscipiunto*, ut Martis cognomen ad Salios Catullus transtulerit. Ex Guarino hoc nunc primum didicimus, in *Armorum Iudicio* fuisse versum Pacuvii. Deinde tantam apud nos Guarini auctoritatem esse decet, ut parte tantum Mureti emendationis recepta, sic versum scribamus:

pro imperio si Salisubsulus nostro excubet:

quod etiam a Graeco dici potuit, et ad Graecos. Monemus hoc propter Scaligerum, qui versum Pacuvianum, scilicet qualem accepisset a Mureto emendatum, procul dubio esse ex fine Prologi cuiusdam scribit, ut illud Plautinum, in Asinaria, *Ut vos item alias, pariter nunc Mars adiuvet.* Et sunt similia in aliis Plauti prologis. Verum istam nunc apparet parum certam coniecturam esse.

Hoc unum erat, eorum, quae ante annum scripsimus, additamentum fortasse non iniucundum. Alterum tale est, ut paratum nobis pro aris et focis certamen, quod dicitur, videatur esse. Scilicet ea praefatione, qua praefabamur Indici scholarum aestivarum a. CIↃIↃCCCXXI. quum Callimacho ex corruptis apud Etymologos verbis vel verborum potius reliquiis primi nos suum sensum et versum restituissemus hunc:

ὀκκόσον ὀφθαλμοὶ γὰρ ἀπευθέες, ὅσσον ἀκουὴ εἰδυλίς:

quam imperiti oculi, tam sunt aures gnarae: in quo versu *nihil*

inesse, quod non deceat Callimachum, prudenter admonebamus: amicus quidam noster, posthabita admonitione ista, et aliud in sententia versus Callimachei vituperavit, quod non putamus ab eo factum esse serio, et negavit, se ὅσσον ad ὀκκόσον relatum intelligere. Mirati hoc sumus, ut in eo, qui et ipse accuratae doctrinae laude excellit, et cui persuasum esse poterat, non temere nos talia illaturos in Callimachum fuisse. Sed magis tamen mirati sumus, quum ille, postquam significatum ei a nobis esset, sic loqui Alexandrinos, ut ὅσον - ὅσον et τόσον - τόσον dicant, pro eo quod usitatius: ὅσον - τόσον, τόσον - ὅσον: quam in rem Theocriti exemplum, quod est IV. 39. tum Callimachi h. Apoll.
VIII 94. et quae ibi interpretes, proferebamus: quum ille, inquam, auctoritatem exemplorum nostrorum, quae proba esse intelligeret, elevaturus, novam nuper regulam finxit hanc: potuisse dici, eodem litterarum numero, ὅσσον - ὅσσον, vel ὀκκόσον - ὀκκόσον, non potuisse ὀκκόσον - ὅσσον. Quae nobis tam videntur subtiliter disputata esse, ut iam nostrum sit illud dicere: *non intelligo*. Quodsi alibi promiscue usurpantur ὅσσον, ὅσον, ὀκκόσον, ut usurpavit promiscue Callimachus h. Cer. 31. quem tamen locum non propter hoc, sed ad communiendam in Callimachi fragmento formam poeticam ὀκκόσον apponimus: demonstrandum erat, cur quod alibi fieri licet, id non possit fieri in ista loquutione. Quod numquam demonstrabitur. Sed mox ille sentiet nobiscum. Caeterum perquam singulare et Alexandrinorum, ut suspicamur, proprium est ὅσον - ὅσον: exempla nobis quidem praeter Theocriteum illud et hoc, quod Callimacho reddidimus, cognita nulla. Aliquanto frequentius alterum est, τόσον - τόσον: certe sic iam Pindarus τόσον γε - τόσσον, Nem. IV. init. ubi ea de re Hermannus monuit. Estque hoc ab analogia satis firmatum, si quidem demonstrativis a littera τ incipientibus mature uti coepit pro relativis graecus sermo, metri caussa maxime, ad vitandum hiatum. Cf. Hermann. ad Hom. h. Cer. 66. Verum Alexandrini, ut sunt interdum analogia supra modum confidentes, qua de re acute quaedam Buttmannus in Lexilogo, etiam inversa ratione relativo uti pro demonstrativo et ὅσον - ὅσον dicere ausi pro eo, quod debebat esse ὅσον - τόσον. Regulam autem in hoc genere deprehendas nullam, nisi quod illud observatum tam a Pindaro quam ab Alexandrinis

videmus, ut licentia non sit nisi in posteriore orationis membro, at in priore, ubi relativum sensus postulet, etiam forma relativi, *ὅσον*, ubi demonstrativum sensus requirat, etiam forma demonstrativi, *τόσον*, servetur. Et sane hoc observandum erat, ut ne ambigua dictio fieret. Denique monemus, ex elegis fortasse Callimachi nostrum illud fragmentum esse. Non dissimilis aurium in fragm. cvi. laudatio est.

Sed quoniam memoriam redintegravimus agitatae inter Veteres disceptationis de oculis atque auribus, de qua disceptatione quum coram Vobis, Cives, exponeremus, hanc a nobis in fine admonitionem addi meministis, quantumvis licet utilitate aures excellant, nihil tamen illas posse, nisi comitem ac ducem habeant *mentem*: eam admonitionem, quam sponte patet pertinere etiam ad oculos, hac quoque opportunitate inseremus, poetae verbis conceptam ita, nihil ut possit praeclarius dici vel artium studiosis accommodatius. Is Epicharmus est, comicae sapientiae magister disertissimus, cuius apud Aristotelem Problem. sect. XI. 33. apud Plutarch. De fortuna aut virtute Alex. orat. ii. p. 336. B. et Tzetzen in Lycoph. v. 17. versus latet:

νοῦς ὁρῇ καὶ νοῦς ἀκούει, τἄλλα κωφὰ καὶ τυφλά.

VII.*)

Quod iis semper argumentis, quae Philosophico ordini adscriptis, et ne his quidem omnibus, propria sunt, praefationes nostrae, quas tamen Vobis scribimus omnibus, continentur, id more prisco et longa apud Academias consuetudine sancito fieri, et, si minus accommodata nostris temporibus talia argumenta videantur, eam non nostram culpam, sed temporum esse scitote, quibus, qui olim late dominabatur et eruditionem profitentes omnes tamquam sacrato vinculo comprehendebat, antiquarum litterarum

*) XIV. Cal. Apriles a. 1824.

amor, imminutus paullatim atque in arctiores fines contractus est et apud paucos habitare, quasi hereditario domicilio, coepit. Nos pergemus consueto tramite, an forte, ut philologiae studiosis non inutiles fore has scriptiones speramus, ita eaedem aliquid ad excitandam in iis, qui non sunt philologi, antiquitatis cupiditatem conferant.

Hodie nobis ab Euripide initium dicendi fiet, et ab eo Euripidis loco, ex quo disci possit, quantum periculi habeant, quae ordine verborum mutando et versibus sententiisque transponendis emendationes fiunt. Est ille in Phoenissis a v. 408. ed. Matth. Cum Polynice filio, qui Thebis pulsus ab Eteocle fratre, Argos concesserat ibique duxerat Adrasti regis filiam, Iocasta mater colloquitur.

ΙΟ. πῶς δ' ἦλθες Ἄργος; τίν' ἐπίνοιαν ἔσχεθες; 1
ΠΟ. ἔχρησ' Ἀδράστῳ Λοξίας χρησμόν τινα. 4
ΙΟ. ποῖον; τί τοῦτ' ἔλεξας; οὐκ ἔχω μαθεῖν. 5
ΠΟ. κάπρῳ λέοντί θ' ἁρμόσαι παίδων γάμους.
ΙΟ. καὶ σοὶ τί θηρῶν ὀνόματος μετῆν, τέκνον;
ΠΟ. οὐκ οἶδ'· ὁ δαίμων μ' ἐκάλεσεν πρὸς τὴν τύχην. 2
ΙΟ. σοφὸς γὰρ ὁ θεός· τίνι τρόπῳ δ' ἔσχες λέχος; 3
ΠΟ. νὺξ ἦν, Ἀδράστου δ' ἦλθον εἰς παραστάδας.
IV ΙΟ. κοίτας ματεύων, ἢ φυγὰς πλανώμενος;
ΠΟ. ἦν ταῦτα· κἆτά γ' ἦλθεν ἄλλος οὗ φυγάς.
ΙΟ. τίς οὗτος; ὡς ἄρ' ἄθλιος κἀκεῖνος ἦν.
ΠΟ. Τυδεύς, ὃν Οἰνέως φασὶν ἐκφῦναι πατρός.
ΙΟ. τί θηρσὶν ὑμᾶς δῆτ' Ἄδραστος εἴκασεν;
ΠΟ. στρωμνῆς ἐς ἀλκὴν οὕνεκ' ἤλθομεν πέρι.

Exhibuimus locum, quo versuum ordine in libris legitur, appositis in margine numeris ad monstrandum versuum ordinem eum, quem institui viri praestantissimi, Fr. Iacobsius Cur. secund. in Eurip. cap. VI. et, cui illud Iacobsius persuasit, Augustus Matthiae, iubent. Verba sunt Iacobsii: quum Iocasta ex Polynice quaerat, quid spectans Argos profectus sit, hic vero respondeat, Apollinem Adrastum filias apro et leoni in matrimonium collocare iussisse, minime assequor, quid hoc oraculum, Adrasto ab Apolline datum, ad Polynicis consilium, Argos eundi, fecerit. Haec ille: in quibus sane aliquid veri inest; verum id tantum abest,

ut aliquam vim habeat ad commendandam viri eruditissimi coniecturam, ut, quae perturbatio videtur colloquii esse, melior sit, id est, magis graeca, quantum nos quidem sentimus, ista, quam mutando versuum ordine ille restituere conabatur, concinnitate. Sed altius haec res repetenda est. Ad Iocastae interrogationem, quae in primo versu est, duobus poterat Polynices modis respondere et duobus narrationis modis uti. Poterat eo modo, qui Iacobsio placuit, ut primo se Argos non consulto, sed forte fortuna aut fato quodam pervenisse narraret, deinde secundo loco mentionem oraculi insereret, per quod factum esset, ut qui casu delatus ad Adrastum esset, mox in matrimonium filiam eiusdem acciperet. Poterat sic, ut primo loco oraculum commemoraret, rem et temporum ordine primariam et propterea memorandam ante omnia alia, quod, nisi hoc fuisset, non accepturus filiam Adrasti Polynices, et fortasse non perventurus Argos fuisset. Atque hic modus Euripidi placuit: *ab ovo* dicentem facit: meministis, Cives, loci non dissimilis, de quo alio diximus tempore. Insolentiam hoc aliquam, sed nobis, non Graecis, habet, quod diverbio continetur Polynicis narratio. Erue ex alternorum versuum compagibus singulas narrationis Polynicis partes et coniunge unam post alteram in continuam narrationem: habebis plenam perspicuamque expositionem tum eius rei, quam primo sciscitabatur Iocasta, tum reliquarum rerum, quas scire Iocastae intererat, omnium. Verum tragoedia graeca quum multa alternis inter duas personas versibus efferat, quae nos solemus continua oratione, fieri non poterat, quin, ubi sententiam una persona dicit longiorem, uno versu non comprehendendam, et quam ab- V
rumpi dispergique per duos versus vel etiam plures, ut absolveretur et ad finem perduceretur, oportebat: fieri ibi non poterat, quin mirus et obscurus interdum videretur primus versus ei, qui reliquos versus exspectare nollet. Exempla petentibus, etsi hoc neminem fugit, qui aliquem graecae tragoediae usum habet, unum satisfaciet, quod est in Oedipo Rege v. 558. sqq. Sic apud Euripidem quod Polynices dicit, suam narrationem inchoans: *ἔχρησ' Ἀδράστῳ Λοξίας χρησμόν τινα*, tam obscurum, tam a re alienum Iocastae videtur, ut mirans quaerat: *ποῖον; τί τοῦτ' ἔλεξας; οὐκ ἔχω μαθεῖν: quale oraculum? quid hoc est, quod de ora-*

culo dicis? non intelligo, quid tibi velis cum oraculo tuo. Scilicet si exspectavisset paullisper et continua pergere Polynicem narratione sivisset, statim perceptura erat, quomodo cum Polynicis profectione oraculum Adrasto ab Apolline datum nexum atque coniunctum fuisset. Expedita sunt reliqua, modo teneas, versus quinti, *καὶ σοὶ τί θηρῶν* etc. non hunc sensum esse quem Iacobsius volebat, ut interroget Iocasta, qua in re Adrastus ipsum leoni aprove comparaverit, sed hunc: cur leonis nomine vel apri te designavit deus? Ad quod Polynices aptissime: *οὐκ οἶδ'· ὁ δαίμων* etc. Significatur, id quod Tragico philosopho dignissimum est, nihil omnino cum bestiis commune habuisse Polynicem, sed eum oblatum Adrasto fuisse et Adrasto aliquam similitudinem habere cum bestiis visum esse: quod an recte visum sit Adrasto, incertum relinquit poeta, vel potius tecte monstrat, deceptum esse Adrastum. Eumdem in sensum gemino Supplicum loco Adrastus inducitur accusans *Φοίβου-δυστόπαστ' αἰνίγματα.* Ut ab Iacobsio accipiebatur, eoque loco, ubi ab Iacobsio collocabatur versus noster, abundare ille nobis videtur, quum id ipsum interroget Iocasta isto versu: *τί θηρσὶν ὑμᾶς δῆτ' Ἄδραστος εἴκασεν.* Praeterea, quum aptissimam esse, ubi vulgo legitur, mirantis Iocastae exclamationem: *ποῖον; τί τοῦτ'* etc. demonstraverimus, at eadem multo minus apta futura esset translatis hoc versu et praecedente eum in locum, ubi post versus, quos praefigendos esse statuunt viri eruditi, nihil est in ista oraculi commemoratione, quod mirari tam vehementer Iocasta possit.

Similitudinem Polynicis et Tydei cum promissis a deo generis, leone atque apro, in eo tantum, Euripide teste, Adrastus ponebat, quod illos de cubili certantes, ferarum instar, offendisset. Cf. scholia in Eurip. Phoenissas v. 411. vel 412. eo loco, qui apud Valckenar. est nota 29. apud Matth. not. 7. fin. Qui locus si recentioris interpretis est, ut Valckenarius iudicabat, est
VI saltem prudentis ac bene interpretantis Euripidem. Illa haud dubie antiquissima narratio: certe superstitiosae antiquorum hominum simplicitati accommodatissima est. Facilis est et non multum ratiocinatur superstitio. Solebant veteres homines, quibus aliquid praedictum oraculo fuisset, ac solent nunc homines, qui a praesensionibus pendent, non diu circumspicere rerum even-

tum, sed impatientes morae, quam primum contigerit, quod praedictae oraculo rei vel e longinquo simile videatur, id arripiunt, hoc voluisse deum, hunc esse oraculi eventum autumant. Tam diserte autem in Phoenissis et in Supplicibus suam narrationem proponit et quasi commendat auditoribus Euripides, ut coniiciamus, eum, quod et alibi facit, reprehendere tacite atque castigare voluisse alios, qui alia tradidissent.

Nam de caussa quare similes apro et leoni visi sint Adrasto Tydeus et Polynices, varie olim traditum fuisse, variis etiamnum testimoniis constat. Multi sic: quod indutos Tydeum aprina, Polynicem leonina pelle vidisset. Ea rursus narratio duplex est. Nonnulli enim haec solita ac propria fuisse Tydeo et Polynici vestimenta significant: sic Statius Theb. I. 482. sqq. cf. de Tydeo II. 541. 583. VI. 832. 3. VIII. 706. de Polynice IV. 84. sqq. Add. Tzetzes ad Lycophr. 1066. Hygin. fab. LXIX. Eustath. in Iliad. IV. p. 369. 42. Bas. — *καὶ ἰδὼν ἱκετεύσαντας εἰς αὐτὸν, Τυδέα μὲν συὸς ἐναπτόμενον δέρος, Πολυνείκην δὲ λέοντος δέρος χαίτῃ πεφρικός, κατὰ τὴν τραγῳδίαν εἰπεῖν, συνέβαλεν ἐπ' αὐτοῖς τὸν χρησμόν.* Inter hos Statius etiam alterum illud, quo tum non opus erat, de nocturna concertatione, admiscet: nolebat omittere, quod fama comprobatum perantiqua videret. Alii, quod e graecis Euripidis interpretibus ad Phoeniss. locum paullo ante laudatum intelligitur: ac fortasse ea fabula propria Argivorum fuit: pelles istas in Apollinis apud Argivos templo, vel, quod inepte confictum est et ab homine parum docto narratur, in domo Adrasti repperisse et induisse, aprinam Tydeum, Polynicem autem leoninam, et sic coram Adrasto comparuisse tradebant. Ad quam narrationem patet factum esse oraculum metricum, quod Mnaseas prodiderat. Caeterum hi quoque, si non omnes, at nonnulli tamen, illud admiscebant, novos advenas inter se certavisse. Breviter loquuntur, sed ita, ut ad Statium et reliquos propius quam ad alteram narrationem accedant, schol. Homeri, etiam Veneta, in Iliad. IV. 376. quibuscum Eudociae convenit et Favorino v. *Οἰδίπους*, et interpres Euripidis ad Phoen. 421. Matth. vel 424. Valck. Haec si leviora videantur, veniam habebunt propter tantam fabulae Thebanae celebritatem. Sed omnino iuvat interdum atque conducit, ab omni parte versare ac pertractare fabulas, et

VII quid in rebus etiam secundariis semper gliscens fingendi libido novaverit, quantum a posterioribus temporibus ultima antiquitas differat, discere. Tum vero gravius est, quod nunc addituri sumus. Restat enim tertia, sive malis, quarta narratio, quae talis est: habuisse Tydeum apri imagine insignitum clypeum, Polynicem leonis. Ea Apollodorum et Zenobium I. 30. testes habet, neque Eustathio illa et Euripidis interpretibus ad Phoen. 411. neglecta est. Addimus gravissimum testem, Callimachum. Ad Euripidis versum Phoen. 134. *Τυδεύς, Ἄρην δ' Αἰτωλὸν ἐν στέρνοις ἔχει*: haec annotavit graecus interpres: *Ἄρη δ' Αἰτωλόν. Ὡς ἔχοντος αὐτοῦ τῆς ἀσπίδος τὸν περὶ τοῦ συὸς πόλεμον. Καλλίμαχος· εἰμὶ τέρας Καλυδῶνος, ἄγω δ' Αἰτωλὸν Ἄρηα.* Corrigenda sunt ista, antequam pergi ad Callimachum possit. Nam in eo non morabimur, quod Euripidis verba perperam accepit interpres: caecutit homo prae doctrina. Sed quod corrigendum esse aliquid dixi, manifestum est, aut scribendum esse *ὡς ἐχούσης αὐτοῦ τῆς ἀ.* aut excidisse vocabulum *παράσημον* sive *ἐπίσημον*, quibus vocabulis hac in re utuntur Eustathius l. l. atque interpres Euripidis ad v. 411. et alibi. Callimachum tam infeliciter tractaverunt Bentleius Callim. fr. CCXXVI. et Valckenarius, nihil ut possit magis. Taceo approbatam Valckenario correctionem Bentleii, *εἶμι*, hoc sensu: *eo ad monstrum*: quamquam neque hoc tolerabile. Illud infelicius, quod interpretis Euripidei sententiam penitus evertunt viri summi, dum haec Meleagrum loqui Bentleius existimat, alter de Theseo cogitat et de Hecale. Ac de Hecale quidem cogitari nullo modo potest. Hecale enim, quamvis inter Callimachi carmina longissimum, non tam ingenti ambitu fuit, neque tam diversa continebat, quam videatur alicui. Quo vero, oro, consilio versum Callimachi, si ille ad Meleagrum vel adeo ad Theseum pertineret, excitatum ab interprete nostro putabimus? Immo certum est, nisi insanus interpres fuerit, vel per iocum appinxerit versum Callimachi, eam debere versus Callimachei sententiam esse, quae confirmet praecedentem interpretis observationem: *ὡς ἔχοντος αὐτοῦ* etc. Atque ita est. De Tydeo ibi Callimachus agebat et insigne clypei eius suem narrabat Calydonium fuisse, cum inscriptione:

Εἰμὶ τέρας Καλυδῶνος, ἄγω δ' Αἰτωλὸν Ἄρηα.

Loquitur sus, ut apud Aeschylum in clypeis Capanei et reliquorum loquuntur milites et Iustitia. Illud praeclare dictum est: *ἄγω δ' Αἰτωλὸν Ἄρηα.* Probabile est, sed certum non est, ad eumdem locum pertinere fragmentum Callimachi CCLXXII. — *ὑπεὶρ ἅλα κεῖνος ἐνάσθη* (cf. Hom. XIV. 119.), *Ἀλκάθοον τὶς ἄπυστος* — ubi *ἄπυστος* potest *ignarus*, *imprudens* esse. A plerisque Tydeus, ut convenit celebratae a multis Tydei ferociae, sponte et consulto interfecisse cognatum illum suum vel cognatos suos perhibebatur; verum tamen erant, qui ab hoc eum crimine liberum et a Tydeo casu vel per imprudentiam occisum esse cognatum istum dicerent: Vet. Interpr. Statii Theb. I. 282. 401. sq. et 452. tum ad lib. II. 113. cf. Hygin. fab. LXIX. Euripidem vero modo expositam e Callimacho narrationem aut ignoravisse aut ignorare voluisse, etiam inde intelligitur, quod, ubi septem virorum ante Thebas scuta describuntur, Phoenissis a. v. 1104. ed. Matth. non Tydeo aper, Polynici leo, sed leo Tydeo, Polynici equae Potniades, at aper Calydonius, ab Atalanta confossus, VIII
Parthenopaeo assignantur. Poetae ibi verba, quibus narrat v. 1120. 1. in scuto Tydei factum fuisse *λέοντος δέρος-χαίτῃ πεφρικός*, ad pellem leoninam, Polynicis tegimentum, transfert, poeticum colorem affectans, Eustathius loco supra apposito. At bene est, quod Eustathii recordamur. Commemorandum est enim, quam antiquissimam narrationem diximus, quae est de concertatione Polynicis et Tydei in vestibulo Adrasti regis, eam his quoque communem esse, qui illud de clypeorum insignibus narrant. Verum antiquae fabulae simplicitatem corrumpit Eustathius, quum ita scribit: *εἰσὶ δὲ οἳ καὶ φιλονεικῆσαι αὐτοὺς οἴονται περὶ τῆς ξενίας ἐν τῷ τοῦ Ἀδράστου οἴκῳ· καὶ τὴν μάχην εἰκασθῆναι τοῦ μὲν, εἰς λέοντος ὀργήν· τοῦ δὲ, εἰς ὁρμὴν συός.* Non tam subtiliter ratiocinabatur Adrastus: cui hoc sufficiebat, ut supra monitum est, quod ferino more inter se illi pugnavissent.

Sed dimittendi estis, Cives, ut proruere possitis: nam videmus impatientiam vestram: et quasi Vos ingurgitare in largissimum, quem Vobis apponimus, lautissimarum epularum apparatum. Itaque dimittimus Vos, hac tamen conditione, ut prius audiatis, quae in Epicharmi versum, nuper Vobiscum communicatum, addenda habemus. Eum non recte diximus *latere.* Quod primo

nobis Buttmannus significavit. Postea intelleximus, diligenter eo de versu egisse nuper Friedemannum, de media syllaba pentam. gr. p. 332. Hunc igitur et quos ille laudat viros doctos, et rursus quos illi laudant, adeat, qui veterum de nobilissimo Epicharmi versu testimonia colligere volet. Add. Wyttenbach. Animadvers. in Plutarchi locum, de Fortuna p. 98. B. Laudant autem alii scriptores dimidiatum versum, alii integrum, sed leviter interpolatum; alii integrum et qualis ab Epicharmo fuit, ut Plutarchus de Fortuna l. l. in nonnullis libris, et Theodoretus. Et ad interpolationem quidem etiam hoc pertinet, quod multi praebent, *νοῦς ὁρᾷ*: at alii non pauci receptum a nobis *ὁρῇ*. Valete, Cives, et quum graecam sententiam habeatis Vobiscum, habete etiam latine versam, qualis exstat apud Tertullianum de Anima:

Animus cernit, animus audit: reliqua surda et caeca sunt.

vel, ut Grotius in Stobaeo latino, aliquanto elegantius:

Cernit animus, animus audit: reliqua surda et caeca sunt.

VIII.

SOLLEMNIA NATALITIA
REGIS AUGUSTISSIMI ET POTENTISSIMI
FRIDERICI GUILELMI III.
D. III. AUGUSTI *)
AB
ACADEMIA BORUSSICA RHENANA
RITE PIEQUE CELEBRANDA
INDICUNTUR.

Praemissa est disputatio de Iulio Pomponio Sabino, Virgilii interprete.

Pomponium Laetum aliquid olim operae in Virgilium contulisse certum est. Etenim cuius in editione principe Virgilii nomen legitur, et cuius ad eam editionem codices adhibiti sunt, *Pomponium Infortunatum*, non alium esse, quam qui alio tempore *Pomponius Fortunatus,* vel, quod usitatissimum nomen est, *Pomponius Laetus*, vel etiam *Pomponius* simpliciter dicebatur, addito interdum praenomine *Iulii:* et Heynius statuit secundum alios, et aliquo eum hominem tempore usum esse isto nomine, documento est vita sive elogium Lucani, quod, praeter alios, Fossius Catal. Bibl. Magliabech. To. II. col. 98. sqq. commemorat, hac inscriptione: *Pomponii Infortunati M. Annaeus Lucanus.* Sed quaeritur etiam, an idem sit *Pomponius Laetus* et *Iulius Pomponius*

*) A. 1824.

Sabinus is, cuius in Virgilium Commentaria exstant. Eam nunc quaestionem pertractabimus. Facit autem, ut neque per se inutile hoc inceptum videatur, neque hac sollemni scribendi opportunitate indignum, ipsa Pomponii Sabini dignitas: cuius commentarii, quicquid nunc de summa operis severior facta lex iudicet, quaedam non indocte observata omnique tempori utilia continent *), ut suo iure Heynius eos non saepius repetitos esse, prae multis aliorum commentariis, miretur; et maxime, tempus si spectes, quo illi compositi fuerunt, venerabile sunt aetatis e barbarie resipiscentis, iamque antiquitatis medulla nutritae, et in curta, ut tum erat, supellectile strenue elaborantis monumentum.

Egit de Pomponio Sabino Heynius, de Virg. editionib. pag. 447. sqq. Vol. V. ed. noviss. a quo et alia quaedam, quae molestias factura erant, si mihi conquirenda ipsi fuissent, et id me accepisse profiteor, in quo verti cardo rei et contineri quaestionis satis impeditae explicatio videtur. Unum est, de quo nunc constat inter omnes, vixisse Pomponium Sabinum sub initium renascentium litterarum: ut mittere possimus quorumdam olim virorum doctorum errorem, qui antiquiorem esse, et mediae, quae dicitur, aetatis Grammaticum statuerant. Mittimus item et tamquam incertum relinquimus, quod N. Heinsius ad Georg. lib. I. fin. allatis Pomponii Sabini verbis, in quibus manifesta genuinae lectionis vestigia apparere ipse censet, haec illum, *ut multa alia,*
2 ex vetusti alicuius Grammatici scriniis haud dubie depromsisse dicit. *Multa* esse non putem. Mihi legenti Pomponium Sabinum: legi autem non prorsus incuriose: praeter eos locos, ubi Aproniani mentio fit, quos locos Heynius de Virg. codicib. mss. p. 403. tractavit, nihil eiusmodi se obtulit. Si tamen sint, ut profecto non is sum, qui nihil me latuisse dicam, aut statim dignoscere me edita atque inedita posse confidam: si igitur sint, non multa numero esse crediderim, sed pauca, rara, et qualia etiam

*) Ruhnk. in Dav. Ruhnkenii Orationes, Dissertationes et Epistolae — ed. Friedemann. Vol. II. p. 679. (Brief an Heyne) belobt den Pomp. Sab., citirt mehrere gute Stellen von ihm, namentlich, dass er sonst unbekanntes habe. — Hält er ihn wohl gar für alt? E schedis Naekii.

apud alios istius aetatis litteratores invenire, si velis operam dare, unum et alterum queas. Ut alibi versum monstravi Pacuvii, exstantem apud unum, quod sciam, Alexandrum Guarinum.

Pomponium Sabinum eumdem esse ac Pomponium Laetum, ex praefixa hisce Commentariis epistola Danielis Gaitani, in qua sane quae praedicantur de Pomponio Sabino, unice Pomponio conveniunt Laeto, primus coniecit G. I. Vossius de Historicis Lat. III. VIII. To. IV. Opp. pag. 191. b. et suam doctis, etiam Italis, coniecturam approbavit. Conferantur Heynio laudati pag. 448. quibus addi possunt alii. Satis sit unus, Colomesius, qui ad Gyraldi verba, de Poetar. hist. dial. IV. col. 204. To. II. *Et nostris his diebus fuere nonnulli, qui in Vergilium commentaria scripserunt, inter quos Laetus Pomponius, Landinus, Sabinus et Manzinellus, alii:* haec annotat: *Vide annon Pomponius Laetus et Sabinus idem sint.* Quamquam neque Gyraldum ista sic scripsisse, ut nunc leguntur, persuadeor. Sed magis hanc in rem memorabilia sunt, quae ipse Pomponius Laetus Epistola ad Augustinum Maffeum scribit, allata ab Apostolo Zeno in Diario litteratorum Ital. T. XXII. p. 396. 7. et ab Heynio. Ego paullo plura adscribam: in quibus quae postrema erunt, ut recte intelligantur, praemonendum est, admirabili Pomponium credulitate, vel immodica antiquitatis cupiditate, ad Saturnum retulisse artem imprimendi libros: cf. Lairius Specim. Typographiae Romanae pag. 16. et Zenus l. l. p. 378. sq. Igitur conquestus Epistola ad Augustinum Maffeum Pomponius de perdito paullatim genuino dicendi charactere et stilo, et de corruptis ea re veterum scriptorum codicibus: *ea de causa,* inquit, *si quid hoc rudi seculo elaboravi, quod minime legentibus satisfaciat: non me, sed tempora lectores accusent: in quibus non emendator modo, sed ne interpres quidem bonus in minimis priscorum sententiis vulgo inveniri potest: quanquam nihil ea re difficilius est. Quis enim nisi mentis inops se omnia tenere confirmet? Ideo si glossulas* 3 *in Vergilium legeris sub titulo meo, oro ne fidem praestes: neque temerarius sum, neque audax: neque eam expositionem unquam tentavi. Ille quisquis est qui falsum epigramma posuit, sentiet quid profuerit me tanto mendacio provocasse. Semper eius opinionis fui, quod minime ignoras, parum his fore laudis, qui in*

aliorum dictis sententias aucupantur. Est enim periculosa interpretatio, nisi cognitio rerum praecesserit. non tamen inficior esse qui possunt: sed ipse de me loquor, qui conscius meae imbecillitatis rem arduam et nullius honoris non aggredior. Est perniciosa quorundam labes et macula, ut plus in fronte ostendant quam in recessu valeant. Praeterea multos praecipitat inanis gloriae spes et libros imprimendi facultas multis seculis intermissa paulo ante revocata. — Haec ut confirmant ab una parte coniecturam Vossii, dum adscripta Pomponio Laeto esse et sub eius nomine vendita esse illo tempore haec *Iulii Pomponii Sabini* Commentaria ostendunt: ita rursus diluunt eamdem atque evertunt, dum hoc per fraudem et repugnante Pomponio Laeto factum esse probant. Nam de eo dubitari non potest, quin quas ibi *glossulas in Vergilium* Pomponius dicit, sint illa ipsa Commentaria, quae sub Iulii Pomponii Sabini nomine circumferuntur: concinunt temporum rationes, si quidem Iulii Pomponii Sabini Commentaria, si non integra, saltem ex parte, anno 1487. prodierunt, Epistola vero illa ad Augustinum Maffeum etsi temporis, quo scripta sit, disertam notationem non habet, tamen aliunde, quando scripta sit, cognosci potest. Praefixa enim illa fuit Sallustio per Pomponium emendato: quem Sallustium circa annum 1490. et quidem accurante Antonio Moretto sive Moreto Brixiano, cui se permisisse, ut impressoribus suis traderet, Sallustium, Pomponius in eadem epistola scribit, nescio utrum Brixiae an forte Venetiis, sed tamen non Romae, prodiisse probabile est. Ex prioribus editionibus etiam in alias venit Pomponii epistola: veluti nos supra allata descripsimus ex editione Ascensiana a. 1508. litteris Gothicis impressa. *) Igitur haec egregio

*) Der hier erwähnte Brief des Pomponius findet sich auch unter den Epist. familiares, fol. LXI. in der Ausgabe der Werke des Pompon. Laetus, Argentorati ex aed. Schurerianis, 1515. Am Schlusse dieser Ausgabe steht auch die Vita Pomp. L. von seinem Schüler M. Anton. Sabellicus an M. Anton. Maurocenus. Ueber die Art, wie Pompon. Laetus mit dem Texte der Autoren verfuhr, sagt Sabellicus: »Nemo religiosius timidiusque tractavit veterum scripta.« Damit scheint jedoch das eigene Geständniss des Pompon. nicht übereinzustimmen. Auffallend ist es, dass Sabel-

inter se concinunt: anno 1487. in lucem edita vel edi coepta
fuerant Pomponii nomen mentientia Commentaria in Virgilium;
circa annum 1490. de fraude publice queritur et fraudatori mi-
natur Pomponius. Quid vero sit, quod Moneta in Bailleti librum:
Jugemens des Savans etc. Amst. 1725. 4. To. II. pag. 126. 127.
et Saxius Onomast. litt. P. II. pag. 491. detrahere de fide Pom-
ponii atque elevare Pomponii de se ipso testimonium conentur*),
et Commentariorum in Virgilium auctorem Pomponium Laetum
fuisse, sed videri noluisse dicant, equidem nescio. Illa se scri- 4
psisse vel in animum induxisse ut scriberet, tam diserte negat
isto loco Pomponius, ut nesciam, cur fides non habenda sit tam
simpliciter et tam candido neganti. Deinde verissime Heynius
hoc ipsum commentandi genus non frequentatum alias a Pompo-
nio fuisse monet: nos supra, cur ab eo genere semper abhor-
ruerit, ipsum libere profitentem audivimus Pomponium. Omnino
duos ego, in quos aliquid commentarii simile scripserit Pompo-
nius, novi, Quintilianum et Columellam: quod parum est, si nu-
merum veterum scriptorum, de quibus idem meruit alio modo,
perpendas. Praeterea quae in illos duos scripsit, neque multa
esse neque valde operosa videntur. Non vidi libros: audivi te-
stantes, de Quintiliano, Vossium de Histor. lat. l. l. pag. 191. a.
Zenum p. 395. sq. Fossium T. II. c. 435. et Ernestum in Fabr.
Bibl. Lat. inter quos Vossius *vitam* Quintiliani et *quorumdam* in
eo *capitum* enarrationem a Pomponio scriptam, Ernestus et Fos-
sius cum secundo libro desinere Pomponii notas docent. Colu-
mellae, de quo praeter alios Moneta in Bailleti librum l. l. p.
126. sq. et Fossius Catal. Bibl. Magliabech. T. I. c. 494. 563.
testantur, non nisi librum decimum, de cultu hortorum, carmine

---

licus nichts von des Pomponius Scholien zum Virgil bemerkt. Er nennt nur die bekannten Werke und setzt hinzu: »Caetera studiorum eius monumenta, si qua fuere, in direptione domus intercidisse creduntur.« Ex epistola Dronkii ad Naekium data Confluentiae a. d. III. Cal. Ian. 1831.

*) C. Barth. Adversar. XXI. XXIII. quare opus non erat ut se disputando traduceret Pomponius sive Laetus sive Sabinus, sive utrumque. E schedis Naekii.

scriptum, brevi commentario illustravit. De Martiale infra mentio fiet. Quod autem in Fabricii Bibl. Lat. editio Terentii Parmensis a. 1480. *cum castigationibus Pomponii Leti*, et in Indice librorum Bibliothecae Barberinae Vol. I. pag. 595. Pomponii Laeti *Emendat. in Terentium*, Parmae 1480. memorantur, ego de his Emendationibus nihil certi comperi, sed eas, si tamen exstent, non comparandas cum Commentariis Virgilianis, et omnino non esse e commentariorum genere, sponte quivis intelligit. *)

Ergone abiudicabimus Pomponio Laeto Commentaria in Virgilium? Sane abiudicabimus. Sed iidem, qui abiudicamus, aliquid tamen Pomponii in iis inesse, et in medio positam, ut saepe, veritatem esse, persuasissimum nobis habemus. Censeo autem, verissimum esse, quod dubitanter coniiciebat Heynius: excepta esse e praelectione Pomponii Laeti haec, quae Pomponii Sabini nomen prae se ferunt commentaria. Verum Heynius quum persequi eam coniecturam atque exornare debuisset, maluit imperfectam relinquere et alias inferre parum opportunas dubitationes. Sic nonnulla occurrere in Pomponii Sabini commentariis scribit Heynius, quae vix cadere in Pomponium Laetum videantur. Vellem indicasset: ego non inveni. Nam quod exempli gratia profert commemoratum in Commentariis *iter Scythicum*, id statim
5 docebitur quam maxime cadere in Pomponium Laetum. Rursus alia non inesse in his Commentariis, quae exspectari a Pomponio Laeto possent, significat Heynius: non meminisse Commentariorum auctorem recensionis Sallustii Pomponianae, quae tamen inprimis celebritatem habuerit. At ne haec quidem iusta dubitatio est. Quid enim mirum, si in his Commentariis, quae si non prius, certe ante annum 1488. orta sunt, nulla sit vel infrequens: nam aliquoties laudatur Sallustius: eius scriptoris mentio, quem circa annum 1490. emisit Pomponius? Praesertim si reputes a Michaele Ferno tradita in Elogio Pomponii Laeti, quod Addendis ad Fabricii Bibliothecam med. et inf. lat. inseruit Io. Dominicus Mansi: *quae legeret ille semel volumina, emendatissima in omnem Italiam prodibant. nam corrigendi, et erigendi la-*

*) Etwas vom Pompon. Laetus Bandin. Tomo cod. pag. (oder vielmehr col.) 398. E schedis Naekii.

tinam linguam studiosus adeo fuit, ut non unum ille volumen profiteretur, quod idem manu sua non transferret. Ego, si quid mirandum sit, magis hoc mirer, quod paene nulla in hisce Commentariis marmorum, inscriptionum, quarum Pomponius Laetus rerum valde curiosus fuisse dicitur, commemoratio fiat. Semel numismata commemorantur, ad Aeneid. VII. 180. col. 1161. edit. Basil. 1561. *in numismatibus argenteis Ianus biceps conspicitur ex uno latere, ex altero navis Saturni, quae significat illius adventum in Italiam. Haec numismata nunc in manibus habentur.* Marmora, sed obiter, ad Aen. X. 24. c. 1471. *Moerorum. antiqua pronunciatio est pro murorum, ut poena punio, Poeni Punici, id est oe pro u. lege in marmoribus.* Sed rem conficient, nisi fallor, quae de itinere illo Scythico dicturus sum. Significat auctor Commentariorum non uno loco, sed saepius, se per Germaniam et Scythiam itinera fecisse: cuiusmodi tres locos apposuit Heynius. Addantur alii, in Georg. I. 30. col. 126. Georg. IV. 395. col. 354. et Georg. II. 454. col. 254. etsi hic quidem locus ambiguus est. Atque hi sunt loci, quibus diserte iter testatur suum. Sed alii etiam loci commoratum in terris septemtrionalibus, ut sunt Germania, Sarmatia, hominem arguere videntur. Iam hoc ego qui non intelligerem cur Heynius cadere in Pomponium Laetum negaret, quem *varia* suscepisse *itinera,* expleto studiorum cursu, eaque subministratis a parentibus viarum adiumentis commode peregisse, ac *multas terras peragrasse, multorum populorum,* quos ipse adiisset, mores vitamque enarrare solitum fuisse, et ex sua ipsorum locorum cognitione castigasse Cosmographos, quin etiam de Indico itinere cogitasse nonnumquam, e Lairii Specimine Typogr. Rom. p. 85. et e Ferno scirem, exspectandum esse rebar, ut alicunde innotesceret, an 6
ad septemtrionales usque terras itinerum suorum cursum Pomponius extendisset: quum incidi in Tiraboschium, qui de itineribus Pomponii Laeti supra omnem exspectationem optabilia ac plane hoc ipsum, quo nobis opus est, tradit, Hist. litterat. Ital. To. VI. P. II. pag. 645. nov. edit. ex Petro Marso, cuius ille orationem ante oculos habebat hac inscriptione: Petri Marsi funebris Oratio habita Romae in obitu Pomponi Leti. Etsi eam, quam nos nunc agimus controversiam, plane non attingit ibi Tiraboschius,

et omnino semel tantum p. 650. inter genuina Pomponii Laeti opera verbo numerat, sine omni dubitatione, Commentarios in Virgilium. Apponam nostram in rem Petri Marsi verba, qualia leguntur apud Tiraboschium: *Ulyssem denique Homericum imitatus est. Nam felicitatem non minimam ducens, si polytropos fieret, idest si mores multorum hominum vidisset et urbes, ad ipsum septentrionem, de quo mira quaedam et quasi supra fidem studiose legerat, acri animo conversus, Charinthiorum Hungarorum Polorum ac Russorum finibus peragratis Tartaros attigit, et ad Peucen flectens iter Scythici arcus formam in Euxino Ponto contemplatus est**) *et ad montanos Phaeonas Macedonasque spectandarum regionum aviditate divertens Aegoeas insulas prospexit et undas. Ad summam, Antonini Cesaris exemplo confectis commentariolis et itinerario, suam Romam, cuius ob iucundissimam et honoratissimam Romanorum Civium a quibus ut numen semper cultus est, consuetudinem desiderio vel maximo tenebatur, avide revisit.* Addit Tiraboschius ex eodem Marso, Pomponium, consentiente Sixto IV. profectum esse in Germaniam media hieme, ibique accepisse a Friederico III. Imperatore diploma laureae poeticae. Cf. quae de alio itinere Germanico Pomponii Zenus Diario litt. Ital. l. I. p. 391. e Gabr. Barrio, et de itinere ad Tanain, e Sabellico et ex Hermolao Barbaro, Moneta in Bailleti lib. sup. laud. pag. 126. Tiraboschius p. 648. Secundum haec manifestum est, quae in Commentariis Virgilianis de terris illis ac populis traduntur: sunt autem, ut diximus, multa, et valde partim singularia: quum scripta esse ab ipso Pomponio Laeto non possint, ab alio percepta esse ex ore Pomponii Laeti. Cum eo quod de *commentariolis et itinerario* Petrus Marsus tradit, vide quam egregie conveniat Commentariorum auctori, in Gerog. I. 59. col. 136. ubi de fibris: — *Haec antiqui scribunt, et nos in Scythia animal vidimus, et Itinerario nostro descripsimus.* Sequitur ibi satis longa atque explicata fibri descri-
7 ptio, quam ex illo ipso Itinerario desumptam esse coniicio: sive eam hac occasione ex Itinerario suo recitaverit auditoribus Pom-

*) Vgl. Plin. H. N. VI. XIII. — Sallust. Fragm. p. 1011. Cort. E schedis Naekii.

ponius, sive, qui conscripsit haec commentaria auditor, ex Itinerario Pomponii inseruerit. Illud veri similius, quum nesciamus, an umquam lucem viderit Itinerarium Pomponii. Quod Macedonas quoque et Aegaeas insulas attigisse Pomponium Petrus Marsus scribit, in mentem revocat scripta Commentariis in Georg. I. 332. c. 180. *Athos mons Macedoniae, imminens mari Aegeo, nunc dicitur mons Sanctus, in quo sunt triginta monasteria religionis Christianae.* Mitto Ugros, Ugaros, Valachos sive Volochos, alia, quae omnia spectant ad itinerum Pomponii, quam dat Marsus, adumbrationem. Italum doctorem decent et Romae quidem, nisi fallor, docentem arguunt, quae in laudem Italiae urbisque scripta sunt ad Georg. I. 57. c. 133. et hoc ad Georg. II. 84. c. 210. *Ecclesia sancti Laurentii in Lucina dicitur a virgine quadam Christiana;* et hoc in Culicem 123. *Platanus arbor est, quae aquas desiderat, longis et patulis ramis. in urbe Roma celebris est, expetiturque ad expatiantium umbram:* unde pergit ad visas sibi in Germania platanos. Iam si e praelectione Pomponii Laeti ea sunt, quae de itineribus leguntur per opus sparsa, non videtur dubium, quin etiam reliqua, si non omnia, pleraque tamen: atqui ego non video, cur non omnia: repetita sint ex eadem Pomponii praelectione. Et sane, quod vel ex paucis, quae nos adscripsimus, intelligas, sed clarius videbit, qui ipsa Commentaria adire voluerit: lenitas quaedam et quasi familiaritas sermonis cernitur in hoc opere, dicendique modus et color non tam eius, qui scribit, quam disserentis coram discipulis. Sunt igitur, ut verbo dicam, haec Commentaria praelectiones Pomponii Laeti in Virgilium coram discipulis habitae, conscriptae ab aliquo discipulorum sive auditorum, et communicatae, vel ab ipso, vel ab aliis, cum Daniele Gaitano, qui eas, inscio Pomponio, edendas curavit. *) Hoc nemo obiiciet, incertum esse, an

*) So wie es dem Pompon. mit seinen Vorlesungen über den Virgil erging, eben so ging es dem Angel. Politianus, wie er im 1. Briefe d. 6. Buches an den Beroaldus klagt. »Certiorem me,« schreibt er, »per litteras iam diu multi fecerunt, venisse istuc ad vos (Bononiam) quendam, qui nostras adnotationes venditet in Statii silvulas easque se iactet ex nostris autographis descripsisse.« Politianus scheint aber übel berichtet gewesen zu seyn; denn Be-

in Virgilium scholas habuerit Pomponius. Scriptores veteres latinos explicuisse, etsi singuli non nominantur, Pomponium scholis suis, et per se quisque coniicit, et Fernus, Iovianus Pontanus de Sermone lib. VI. fol. 247. b. ed. Aldin. Tiraboschius l. l. p. 647. tradunt: illos autem inter incredibile est non fuisse Virgilium, tum propter celebritatem poetae, tum propterea, quod curae fuisse Virgilium Pomponio, ex historia principis editionis compertum est. Animadvertendum est etiam, sic, quam fieri potest, optime, consuli famae omnium: Pomponii, quem, ubi in lucem edita videret, quae ipse quam imperfecta, quam ieiuna ac tenuia magnam par-
8 tem, denique quam indigna luce essent, quamvis scholis apta et utilia discipulis fuissent, semper sensisset, exardescere ira, et fraudem clamare, et haec sua esse negare par erat; auditoris, quisquis ille fuit, qui a fraudulentia alienus, quod ego mihi videor affirmare posse, postquam perlegi haec Commentaria, nihil sibi propositum habebat, nisi ut genuinam Pomponii praelectionem et ipsa, quantum fieri posset, Pomponii verba repraesentaret: reprehendendus in eo, quod scripta communicare cum aliis vel etiam permittere aliis ad edendum, non salutato Pomponio, ausus est; denique Danielis Gaitani, cuius eatenus bona fides fuit, qua Pomponii haec Commentaria esse credebat: sed percontari debuerat, an ea Pomponius edi vellet. At Pomponii famae etiam alia ratione consultum est, quod iam, si quae insunt in Commentariis Virgilianis, ut insunt quaedam, nimis Pomponio indigna, sive nimis aut obscure aut perverse scripta, sive non satis latine dicta, quum tamen elegantiae sermonis latini multum studuisse Pomponium constet, ea partim excusari festinatione loquentis coram discipulis magistri, partim negligentiae auditoris, qui ista conscripsit, tribui poterunt.

Post haec nihil difficultatis habet, quod auctor Commentariorum, ut Heynii verbis utar, *scripsisse se in Tacitum, Livium, Silium, aliosque passim memorat.* Posui Heynii verba, quoniam ea non ab omni parte vera sunt. Nam primo non memini, auctorem, praeter Tacitum, Livium, Silium, *alios* memorare, in quos

---

roaldus will in seiner Antwort nichts davon wissen. Ex epistola Dronkii.

scripserit; deinde idem non dicit, se *scripsisse* in Tacitum, Livium, Silium; denique hoc non saepius, quod colligas ex verbis Heynii, facit, sed, quum aliquoties Livium et Tacitum, Silium vero saepissime et per totum opus suum vocet in testimonium, *semel* tantum, quod ego memini, suam in illis positam operam commemorat, idque in exordio operis, Commentario in Culicem. En locos: in v. 128. *diximus*, de electro, *in expositione Cornelii Taciti* v. 143. — *Venus Myrtea, de qua et eius templo diximus in expositione Titi Livii, in vita Anci Martii*, v. 214. — *huius cognominis est Lethis flu. Hispaniae, de quo in commentariis Silii Italici diximus.* Ego haec quoque sic excepta ex ore Pomponii esse existimo. Quorum ea, quae ad Livium et Tacitum pertinent, planissima sunt: *expositionem* dicit, non scriptam, sed scholas coram docentis magistri. Nam sane qui in Livio elaborasse Pomponium referunt, ut Vossius de Hist. lat. loco supra laudato, non scribendo elaborasse, sed eo modo tradunt, quo in aliis scriptoribus elaboravit, id est corrigendo exemplaria; de Tacito ne hoc quidem memini. *) Verum Silium quod attinet, 9
quamquam aliunde non constat, Pomponium in Silium scripsisse: **) ambiguum est enim, quod eam in rem Drakenborchius in Praefatione sua ex Petro Marso affert: ego non repugno, si quis illud: *in commentariis Silii Italici diximus*, ita accipiendum esse dicat, ut Pomponius aliquid *scriptum* habuerit in Silium Italicum. Ut omnino etiam alios in scriptores nonnulla annotata habuisse Pomponium, ad interpretationem pertinentia, facile cre-

*) Pomp. Laet. schrieb des Tacitus vita Agricolae; dieser Codex gehörte dem Fulvius Ursinus und liegt jetzt in der Bibl. Vaticana, wo ihn für mich der Abbate Maggiorani verglichen hat. Vergl. S. VII. d. Vorrede zu meiner Ausgabe des Agricola. — Was Hr. Prof. Lange S. XVIII. d. Vorrede zu m. Ausgabe des Dialogus über den Pomponius Sabinus sagt, hätte ich berichtigen sollen. Doch weiss ich selbst nicht wohl, wo jene Worte »calamistros etc.« vorkommen. Ex epistola Dronkii.

**) Aus de Bure n. 2793. u. Laire p. 165. e. geht nicht hervor, dass Pomp. zum Silius geschrieben. Nur corrigirt hat er ihn, wahrscheinlich für G. Laur, wie Laire annimmt. Aber Laire denkt falsch an Commentar. E schedis Naekii.

dam: modo teneas, illa neque prodiisse, neque scripta fuisse eo consilio, ut ederentur. Solebant autem illo tempore viri docti, quae secum scripta in scriniis servabant, nondum parata ad edendum, vel fortasse numquam edenda, laudare tamquam perfecta atque prostantia. Domitius exempli gratia Calderinus ad Statii Sylvas de suis in Silium commentariis saepe ita loquitur, ut iures, tum iam edita fuisse: *recitavimus in commentariis Silii; in commentariis Silii copiosius de eo disputavimus; apud Silium copiosius in nostris extat commentariis*, et similia; semel nondum edita esse, sed editum iri *prope diem*, significat: at numquam ea lucem vidisse statuunt viri litterati. Igitur haec de Pomponii in Livium, Tacitum et Silium curis dicta sunto. Unum addo, ne quis, sicubi *Pomponium* viderit laudari in Commentariis Virgilianis, miretur, et, quod Monetae ad Bailletum l. l. pag. 127. accidit, Pomponium Laetum intelligendum esse censeat. *Pomponium* ubi laudat Pomponius Sabinus, quod sexies facit, in Eclog. II. 11. col. 16. in Aeneid. IV. 146. c. 808. VII. 47. c. 1144. ibid. 83. c. 1149. et 612. c. 1226. denique XI. 803. c. 1715. quater Porphyrionem ad Horatium, bis Pomponium intelligit Melam. Facile inveniet locos, qui quaerere volet.

De prima Iulii Pomponii Sabini editione non satis accurate refert Heynius p. 447. Fossio enim teste, qui eum librum tractavit diligentissime, Catal. biblioth. Magliabech. T. III. col. 95. sq. Commentaria in Virgilii Culicem et alia opuscula, et in Bucolica et Georgica prodierunt Brixiae MCCCCLXXXVII. at vero Commentarium sive Interpretatio in Aeneida ibid. MCCCCXLXXX. pro quo Fossius recte, ut videtur, MCCCCLXXXX. legendum esse coniicit. Certe Pomponius, quum fraudem querebatur Epistola ad Augustinum Maffeum, non nisi priorem Commentariorum partem, quae pertinet ad Opuscula, Bucolica et Georgica, ante oculos habuisse videtur. Quodsi alteram partem novisset, quae praefixam editoris, Danielis Gaitani, epistolam habet, cum Daniele Gaitano expostulaturus fuisset Pomponius, non illud scripsisset
10 dubitanter: *ille quisquis est, qui falsum epigramma posuit, sentiet* etc. Caeterum iam Pomponio hunc observatum ordinem fuisse, ut primo Opuscula, Bucolica et Georgica, et quidem Opuscula prius, quam Bucolica et Georgica, praelegeret atque expo-

neret, postremo adderet in Aeneidem expositionem, subinde cognoscitur ex ipsis Commentariis, quum ad Culicem sic scribitur: *dicemus in Georgicis;* ad Cirin sic: *dicemus in Bucolicis;* ad Georgica: *diximus diffusius in Ciri;* et ad Aeneidem sic: *in Culice dictum est; diximus in Culice; diximus in Ciri; diximus in Georgicis; diximus in Bucolicis.* At in editione Virgilii Basil. per Henr. Petri 1561. fol. quae nunc sola mihi Pomponii Sabini commentarios suppeditat, inversus ordo est, et ultimo loco posita sunt Opuscula cum commentariis suis. De prima Pomponii Sabini editione: nam primam esse credam, donec aliquis viderit Basileensem editionem a. 1486. quam praeivisse Brixianae coniicit Fossius: etiam propterea dixi, ut moneam, quod e Fossio et Audiffredo quoque Specim. editt. Italicar. saec. XV. pag. 157. intelligitur, in ipsa operis inscriptione non comparere *Sabini* cognomen. Commentariorum in Culicem et rel. pagina priori, Fossio referente, statim incipit: *Pomponii Grammatici Eruditissimi In Culicem Commentarium.* et Commentarii in Aeneid. post praemissam Danielis Gaitani epistolam sive praefationem, haec inscriptio est. *Pomponii Doctissimi Viri Interpretatio In Aeneide Virgilii.* Sed profertur illud cognomen in Danielis Gaitani epistola, unde excerpta quaedam leguntur apud Voss. de Histor. lat. l. l. pag. 191. b. in Burmanni praef. Virgil. et apud Audiffredum l. l. Et ad rem quidem hoc perinde est. Sive enim *Pomponii* per se nomen consideres, nemo ista aetate, qui *Pomponii* opus vulgari audiret, de alio cogitare, quam de celeberrimo illo Pomponio Laeto, poterat; sive ea spectes, quae de *Pomponio Sabino* Daniel Gaitanus praedicat, manifestum est, quod iam observavit Vossius, designari ista appellatione Pomponium Laetum. Verum mirationem facit cognomen *Sabini*, quum Pomponium, quamvis mutandorum nominum cupidissimum: si quidem, viris litteratis testantibus. ne *Pomponius* quidem verum hominis nomen fuit: *Sabini* tamen nomine usum esse non constet aliunde. Certe mihi, etsi hanc video pervulgatam esse opinionem, usurpavisse inter alia nomina etiam *Sabini* cognomen Pomponium: quo ea auctore nitatur, non liquet; ac vereor, ne ita vulgo statuatur Vossio auctore. At Vossius hoc coniectura assequutus erat. Sic 11
enim ratiocinabatur Vossius: Pomponius Sabinus, Virgilii interpres,

idem est ac Pomponius Laetus: ergo tum utebatur *Sabini* cognomine Pomponius Laetus. Addit, e coniectura: *Sabinus fortasse dici voluit, ut tegeret natales suos.* Lairius, tamquam in re certa, Specim. typogr. Rom. p. 85. — *originem suam ut dissimularet, Sabini sibi nomen fecit; atque hinc est, quod per irrisionem Sabinus cognominaretur.* Scilicet non dubito equidem: sed vellem etiam aliunde comprobatum, *Sabinum* fuisse aliquando dictum Pomponium. Heynius de Virg. editt. pag. 433. nescio unde: *Primis annis nomen Iulii Pomponii Sabini sibi imposuerat.* Ego hanc in rem nihil habeo, nisi quae ex D. Gaitani epistola proferuntur: *Sed ad Sabinum meum redeo. Is est unus, qui in praeclarissima illa ac felicissima beatissimi Pii Pontificis Secundi academia optimas e situ literas in lucem coepit asserere, — nec adhuc parcit quotidiana antiquorum Graecorum uti consuetudine,* etc. Quodsi verum est, quod ex Dan. Gaitani verbis effici videtur, *Sabinum* dictum esse sub Pio II. Pomponium, verum etiam erit, quod Heynius ait: nam quos sub Pio II. annos vixit Pomponius, *primi* dici poterunt *anni* eius: hoc est, *primi*, postquam inclaruit et docere coepit. Deinceps, quum duo tempora distinguere videatur Dan. Gaitanus, prius et posterius, coniici poterit, excepta e praelectione Pomponii et perscripta haec Commentaria esse priore tempore, quo *Sabini* utebatur cognomine Pomponius; postea delituisse per multos annos: quum autem sero in lucem protraherentur, renovatum esse a Daniele Gaitano antiquum *Sabini* cognomen, postquam dudum aliis nominibus assuevisset Pomponius. An forte Dan. Gaitanus ille ipse auditor fuit, qui scripsit Pomponii Commentarios? Videant alii. Mihi nunc de isto homine neque aliunde notum est, quod satisfaciat, neque epistola illa praesto est. Aliquid etiam hac in re ponderis habere putabam, quod Quirinus de optimor. Scriptorum editionibus pag. 174. ed. Schelhorn. scribit, notum etiam esse Iulium Pomponium *Sabinum*, qui sub Pio Secundo floruerit, Quintiliani Institutionum Scholiastam. Nam hoc statim certum videtur, esse hunc Quintiliani Scholiastam non alium, quam Pomponium Laetum, quem scripsisse in Quintilianum supra dictum est. Verum tamen, quum nemo alius hoc tradat, *Sabini* nomen praefixum esse Pomponianae Quintiliani enarrationi, nescio equidem, an illud non satis

accurate scripserit Quirinus. At bene est, quod recordor Quintilianum. Moniturus eram iam supra de vita huius scriptoris, quae poni solet in editionibus. Ea cuius sit, et unde primo de- 12
sumpta, quum in codicibus non reperiatur, ac desit etiam, Gesnero monente, in editione Iensoniana, post alios quaerit Spaldingius praef. p. XXXVII. sq. Quid si compositam a Pomponio Laeto putemus? Est illa certe hoc viro digna. Atque exstitisse scriptam a Pomponio Laeto vitam Quintiliani, supra docuimus ex Vossio. Fuit autem, nisi fallor, et vita et enarratio Quintiliani ipsa praelectionibus destinata primitus, et editio non ab ipso Pomponio parata. Id suspicor ex eo, quod Spaldingius l. l. in nota monet. Et illud saltem, quod pag. XXXVIII. perstringit Spaldingius, *Caium Caelium* dictum in vita pro *C. Caecilio*, non potuit sic dicere Pomponius. Hoc obiter. Restat, ut de nominibus absolvam, quibus appellatur Commentariorum in Virgilium auctor. Appellatur ille vulgo *Iulius Pomponius Sabinus*. In quibus quod praenomen est, *Iulius*, ubi et quando primum accesserit, equidem ignoro. Non commemorat illud in descriptione primae editionis Fossius; neque in excerptis ex Danielis Gaitani epistola apud viros doctos locis mentionem eius factam video. Caeteroquin *Iulius* fuit, nisi omnia fallunt, verum et genuinum Pomponii Laeti praenomen. *)

---

*) Ferner bemerke ich, dass er weder Julius noch Sabinus genannt wird von Marcus Antonius Majoragius in der 10. Rede (pro se in senatu Mediolanensi quum de mutatione nominis esset accusatus,) S. 266. der Ausgabe Colon. 1608. 8. Die Stelle lautet so: Quare lepide Pomponius Laetus, vir summa eruditione atque dicendi elegantia clarus, cum a Paulo Secundo Pontifice Maximo, cuius consuetudine familiariter utebatur, molli quodammodo brachio reprehenderetur, quod mutato nomine, cum antea Bernardinus diceretur, se Pomponium Laetum vocari iuberet: quid hoc, inquit, ad te, Pontifex Maxime? an si me Foeniculum appellari voluissem, id reprehenderes? Risit ad hanc responsionem Pontifex; neque illum impediendum esse censuit, quo minus suo sibi arbitrio nomen adoptaret.« Von dem Beynamen Sabinus findet sich in seinen (des Pomp. L.) Werken auch nicht die geringste Spur. Ex epistola Dronkii.

Iam hic finem imponerem disputationi nostrae, nisi quae de Iulio Pomponio Sabino quaestio est, coniuncta quodam modo cum alia, de Domitio Calderino, esset. Habemus Domitii Calderini Veronensis in Virgilii, quae dicuntur, Opuscula: et quidem eadem, quae Pomponius Sabinus tractavit, praeterquam quod Moretum non attigit Domitius, sed pro eo Aetnam habet: enarrationes vel commentarios, primum editos, Heynio teste, in editione Virgilii Veneta per Baptistam de Tortis 1483. Quod si ita est, ut caussam non habeo, cur dicam non esse ita: apparet, post mortem Domitii vidisse lucem has in Virgilium curas: decessit enim Domitius, valde iuvenis, circa annum aetatis suae tricesimum, a. 1477. ut Scipio Maffeus in Verona Illustrata P. II. col. 114. tradit cum aliis, vel 1478. ut Tiraboschius Hist. litterat. Ital. To. VI. P. III. p. 1088. nov. edit. et Fossius Catal. Bibl. Magliabech. To. I. col. 449. Et profecto non ipsum sua in Virgilium edidisse Domitium, tam hoc suadet, quod nullam additam *epistolam dedicatoriam* video, quales tamen addere operibus mos erat Domitii aetate, quam ex ipsius opellae tenuitate, si benigni esse velimus, colligetur: quae opella tamen aliquanto, quam nunc est, perfectior foret, si extrema Domitii manus accessisset. Certe quae alia me videre memini a Domitio scripta, paullo doctiora erant
13 his, quae scripsit in Virgilium. Culicis statim interpretationem non puto ad finem perductam esse a Domitio: quae, ut nunc est, desinit in versu 327. *Et iam Strymonii Rhesi victorque Dolonis.* Non praeteriturus erat sine omni observatione tantum numerum versuum. Longum circa eumdem locum etiam Pomponii Sabini silentium est, sed is tamen aliquot addit versus finem carminis animadversiones. Verum gravius illud est, quod Pomponium inter et Domitium prorsus mira, tum quod locos aliorum scriptorum attinet, quos ad interpretationem Virgilii afferunt uterque, tum in ipsa interpretatione, et in verbis adeo, quibus utuntur ad interpretandum, similitudo cernitur. Apponerem exempla, si pauca essent: at tam sunt multa, tam obvia, ut praetereant neminem. Atque hoc illud est, propter quod sermonem de Domitio Calderino intuli. Est enim ea similitudo talis, ut manifestum sit, aut Domitium suam in rem Pomponiana, aut Domitiana adhibuisse Pomponium. Igitur, ut breviter dicam quod sentio, etsi facile

aliquis coniiciat, e Domitio hausisse Pomponium, quandoquidem, annum si spectes, quo editi fuerunt, antiquiores Pomponii commentariis commentarii sunt Domitii: ego contraria ratione, quum neque Pomponium, celebratum ab omnibus et gravi aetate virum: quippe quem V. Idus Iunias a. 1498. obiisse septuaginta annos vel amplius septuaginta natum sciamus: furatum ab adolescente Domitio esse, neque ab alio interpolatos esse ex istis Domitii commentariis Pomponii commentarios credibile sit, Domitium censeo in suum usum convertisse Pomponiana. Suspicor autem in manibus Domitio, sua scribenti, aut illud ipsum praelectionum Pomponii exemplar fuisse, quod postea Daniel Gaitanus evulgavit, aut aliud simile. Illud non persequor, quod dixi incredibile esse de Pomponio: patet enim. Sed hoc tamen aliquis videat, an probabile sit, Pomponii commentarios ortos esse *post* Domitii, quam factam esse anno 1483. diximus, editionem. Sequeretur inde, intra trium annorum spatium et ortos, et perscriptos, et paratos ad edendum esse Pomponii commentarios: nam eos anno 1487. editos esse, vel edi coeptos, supra monuimus, et epistola editoris, Dan. Gaitani, annum 1486. inscriptum habet. At hoc iusto arctius spatium est. Contra ut de Domitio credam, quod dixi, multa faciunt. Sic fidem sententiae meae affert, quod perstringere aliquoties Pomponium videtur Domitius: recordor unum locum et alterum. Deinde, quae res valde memorabilis, etiam alio tempore, et alio in scriptore Domitius, quum scriberet in Martialem, quaedam mutuatus est a Pomponio. Refert Quirinus, de Brixiana litteratura P. I. p. 163. idoneo auctore, Baptista Gua- 14
rino, ex Pomponii Laeti in Martialem Commentariis profecisse Domitium. Ii Commentarii quinam fuerint, incertum est, si quidem Vossius de Histor. lat. l. l. p. 191. e bibliotheca Laurentii Pignorii non *commentarios*, sed tantum *argumenta* Pomponii Laeti *in epigrammata Martialis* commemorat. Quae Argumenta etiam Tomasinus eo libro, quem de Bibliothecis Patavinis manuscriptis edidit, significare videtur pag. 86. quum scribit, esse in Museo Laurentii Pignorii: Pomponii Laeti autographum in Quintilianum, *Martialem*, et alia eiusdem. Verum quicquid hoc rei sit, sive fecerit Commentarios in Martialem Pomponius Laetus, sive Argumenta ista in animo habuerit, quum de Commentariis loqueretur,

Guarinus: hoc certum est, quum nihil usquam a Pomponio editum in Martialem sciamus, manu scriptum fuisse, sive Pomponii manu, sive, quod magis probabile est, ab aliquo Pomponii auditore, illud, quicquid fuit, e quo suos in Martialem commentarios locupletavit Domitius. Prorsus ut idem fecit, mea sententia, in Virgilio. Omnino si quid datur humile aut liberali ingenio indignum, quod aut Domitius commisisse aut Pomponius Laetus putandus erit, ego facilius Domitium commisisse credam, cuius se vitium unicum, sed magnum sane, livoris atque obtrectationis in omnes paene doctos non praeteriturum esse, ipse familiaris Domitii, Raphael Volaterranus, scribit, quam Pomponium, in quo viro animus fuit ingenuus, fuit candor et non fucata modestia. Alienum fortasse ab hoc loco videbitur, sed magnum momentum ad cognoscendos hominum mores habet, quod actum aliquando inter Pomponium et Domitium esse ex Paullo Cortesio narrat Moneta in Bailletum loco supra laud. p. 126. Iulius Pomponius Laetus, quum ei Domitius Calderinus homo inimicus dixisset, num ex animi sententia crederet esse Deum: quidni, inquit, esse credam, quum ei nihil te odiosius esse putem? *) Acerbe, sed egregie, ut ad interrogationem unam omnium importunissimam. Scilicet dictitabant hebetiores, impium sive ἄθεον esse Pomponium Laetum, vel etiam *gentilem.* Nos in Pomponio etiam hoc laudamus, et viri esse perquam sapientis iudicamus, quod ille, ut supra vidimus, quantis tum veterum scriptorum interpretatio obnoxia difficultatibus esset, probe perspectum habuerit, et quod parum profici commentandi genere eo, in quo Domitius desudabat, sciverit: nam sane de Domitii in scriptores latinos commentariis non honorifice sensisse eum putabimus, qui suas illas in Virgilium prae-
15 lectiones, Domitianis laboribus profecto non inferiores, edi noluerat. Quamquam nec Domitium contemnimus, et aliquam in eo laudem esse concedimus, quod ait Raphael Volaterranus: primum hoc tempore Domitium commentarios edere in poetas duriusculos coepisse. **) Laudabilis primo industria hominis. Deinde

*) Das Wort des Pomp. Laetus gegen Domit. Cald. ist verwandt mit Aristoph. Equit. 32. sq. E schedis Naekii.

**) Domitii Calderini Expositio in Martialem, im Manuscript, Bandin.

ista commentaria vice cotis fungebantur, et excitabant feliciora Politiani, aliorum, ingenia. Nomen Pomponii nusquam profert ad Virgilium Domitius. Vitium est, quod in Domitii ad Culicem v. 201. observatione, quae est de equis Noctis, Diei, Solis et Lunae, recentiores quaedam editiones Virgilii, Lugdunensis Io. Crespini a. 1529. Veneta Hier. Scoti a. 1555. *Pomponii* nomen offerunt, sic: *lunae alter niger, alter albus: Pompo. autem nullos lunam habere dixit.* Quae hunc locum vehementer perturbatum exhibent, antiquiores editiones, Norimberg. 1492. Veneta Ph. Pincii 1499. Argentinensis 1502. nomen tamen illud rectius scriptum praebent, sic: *Pomp.* aut *Pom.* Intelligitur Pompeius Festus. Hoc quisque videt, legendum esse *mulos.* Quod antecedit, de equis albo et nigro, est ex latino Arateorum interprete.

Multa haec videntur esse, quae disputavimus, sed pauca sunt, quum reputamus, quae alia de Pomponii Laeti moribus et fatis inseri potuissent; quae de Academia Romana, cuius ipse princeps fuit; et quot ille quibusque modis in bonis artibus elaboraverit. Quaedam paene inviti omisimus: tam erant singularia et memoratu digna: sed omisimus tamen. Cavendum erat, ne, dum vagaremur liberius, avocarentur animi legentium a Commentariis Virgilianis. Verum unum tam saepe nobis in mentem venit, ut semel dicendum sit: atque bene dicetur hoc loco. Illud volumus, quam diversa sint a Pomponii temporibus nostra tempora, quantus nostrarum rerum splendor prae Pomponii tenuitate. Cogitet aliquis, quam destitutus externis studiorum adiumentis, Pomponius sua sibi industria omnia, quibus aleret infinitum antiquitatis amorem, comparaverit; parta ubi collocaret, incertus, donec Musis suis parvam illam in Quirinali colle domum invenit. At nos quam ampla sacraria, quam magnifica, Conditoris liberalitate, quam instructa omni doctrinae apparatu, recepe- 16

col. 623. Desselben Comment. in Juvenalem und Vertheidigung seines Comment in Martialem, im Manuscr. (aber beides ist auch revidirt) ebendas. 598. Plut. LIII. Cod. II. E schedis Naekii.

runt! Ille incerta fortuna degebat, laetus, ut nomen ferebat, quamdiu non hostes essent, quos fautores esse optimi viri decuisset: nos acquiescimus in clementia Eius, quem, ut Conditorem Academiae praedicamus esse Munificentissimum, ita etiam, quod maius est, Conservatorem ac Tutorem fore confidimus. Atque hoc est, quod Academia Rhenana, quum sentiat semper, profiteri etiam atque palam facere quavis opportunitate gestit. Talem hodie opportunitatem nacti sumus. Instat enim laetissimus dies, III. Augusti. Igitur indicimus NATALEM AUGUSTISSIMI POTENTISSIMI REGIS,

FRIDERICI GUILELMI III.

publica oratione, ut mos est, celebrandum. Habebimus autem sollertem interpretem laetitiae ac pietatis nostrae, Virum celeberrimum, eruditissimum, Collegam honoratissimum, AUGUSTUM GUILELMUM A SCHLEGEL. Adeste, quicumque aliquem vel Academiae nostrae vel bonarum litterarum amorem habetis; et Vos inprimis, adeste, quorum in hac nostra Civitate litterata partes sunt. Addetur Orationi aliud, sed gratum dignumque hoc die additamentum. Victores renunciabuntur: advertite animos, carissimi Iuvenes, qui depugnavistis in hoc certamine.

Verum est etiam nobis, quod certamina illa attinet, aliquid negotii impositum. Referendum est enim, quae nostra consuetudo, de iis, qui ante hunc annum aut coronati fuerunt aut parte praemii ornati: tum nova proponenda iuvenili diligentiae incitamenta. Ea de re haec nobiscum communicata *etc.*

IX. *)

Quae nuper a nobis ad indicendum diem festum edita est de *Iulio Pomponio Sabino* disputatio, iam tradita typographo erat, et iam cum operis conflictabamur, quum ad nos delatum est exemplar eius Commentariorum Virgilianorum editionis, qua Heynium et plerosque alios viros doctos usos esse videmus: quae editio Basileae apud Ioannem Oporinum prodiit, anno, ut cognoscitur ex Oporini epistola nuncupatoria, 1544. octonis. Ex ea, quum aliquid rursus hodie scribendum esset, epistolam Vobiscum Danielis Gaitani communicaturi eramus: sed dum in eo sumus, intelligimus, quod antea nos nescio quomodo praeterierat, omnia necessaria ex illa epistola protulisse I. M. Gesnerum ad scriptores Rei Rust. praefatione pag. XII. seqq. Igitur si cui non praesto est editio Pomponii Sabini Basileensis per Io. Oporinum, Gesnerum adeat; nos ista repetere nolumus. Sed duo tamen restant observatu digna. Primum, quod qui ex epistola Danielis Gaitani nonnulla profert, usus editione principe Brixiana, Audiffredus loco nuper laudato, alia quidem perperam scripta, ut videtur, at unum exhibet haud dubie melius, quam est in editione Oporini. Ubi collaudatur Pomponius Sabinus, sic Oporinus: — *optimas e situ literas in lucem coepit asserere, et mystica illa veterum annaliūm apophthegmata miro ingenio dilatavit:* etc. Cur *mystica?* Apud Audiffredum planius: *mirifica.* Deinde unum apponam a Gesnero praetermissum locum, qui fortasse indicium temporis, quo scripta sit Danielis epistola, habet. „Postquam Pomponii opus se absconditum servare non diutius potuisse dixit Daniel Gaitanus, sic pergit: *Neque inficiabor, me saepe ac multum addubitasse, an impressoribus traderem: in quo sola tui auctoritas, si quid librarii vitio interciderit, pro ratione mihi apud omnes obtrectatores sufficiet. Neque enim ulla inanis gloriae cupiditate me adductum, hoc fecisse quispiam existimet; siquidem nihil tam humile, quam sibi de alieno laudem comparare:*

---

*) Non. Septemb. a. 1824.

id attestante Iuvenale, Miserum est alienae incumbere famae. Adest itaque Pomponius Sabinus, etc. Suspicor scripta haec esse
II ad declinandam invidiam, postquam de incepto Danielis Gaitani, quem quidem tum nondum noverat, publice conquestus esset Pomponius: igitur scripta esse post Pomponii ad Augustinum Maffeum epistolam, et propter eam epistolam. Vides, etiam ad verba sibi respondere accusationem Pomponii et defensionem Danielis Gaitani. Pomponius ibi sic: *multos praecipitat inanis gloriae spes*. Dan. Gaitanus *nulla inanis gloriae cupiditate* se adductum hoc fecisse dicit. Itaque ista sic acta esse coniicio. Anno 1487. priorem Commentariorum partem emiserat Dan. Gaitanus, sine praefatione, non addito suo, editoris, nomine. Irascitur Pomponius, conqueritur. Tum Dan. Gaitanus alteri volumini, quod anno 1490. emissum est, praefationem addit, rationem reddit incepti sui, criminationem Pomponii repellit, sed eam praefationem anno scriptam esse 1486. fingit: neque hoc iniuria, quum illo anno priorem Commentariorum partem edendam apparavisset. Haec ego omnia ita disputo, ut cui probabile sit, Sallustium Pomponii cum epistola ad Augustinum Maffeum prodiisse circa annum 1490. id est, hoc ipso anno ineunte vel proximis ante annis: quod an verum sit, edoceri cupio ab alio. Sic ei, qui Arisii Cremonam litteratam habeat, vel si cui aliunde de rebus Danielis Gaitani constat, examinandum relinquo, an verum esse possit, quod tum mihi in mentem venit, ipsum Danielem Gaitanum auditorem Pomponii fuisse et perscripsisse Commentaria in Virgilium. Traditum lego, mortuum esse Danielem Gaitanum sive Caietanum a. 1528.

Neque de cognomine *Sabini* certiora comperi. Et omnino recte a me iudicatum est, quod pag. 11. negavi, aliquid tribuendum esse Quirino. Habet illud Quirinus e Nicolai Antonii Bibliotheca vetere Hispana lib. I. cap. XII. n. 257. Verum is ibi, quum Iulium Pomponium Sabinum esse dicit, qui in Quintilianum scripserit, nihil hoc est nisi coniectura Antonii, verissima illa quidem, si quidem ita nos quoque statuimus, eumdem esse Pomponium Sabinum, cuius in Virgilium, et Pomponium eum, cuius in Quintilianum commentarii exstant: sed hoc non dicit Antonius, tum *Sabini* nomine, quum in Quintilianum commentaretur, usum esse Pomponium. Sic idem Antonius cap. X. num. 206.

ubi de Lucano agit, Vitae Lucani, quam nuper commemoravi, scriptorem appellat *Pomponium Sabinum:* recte ad rem quidem, sed accuratius *Pomponium Infortunatum* appellavisset, quod tum nomen gerebat Pomponius.

In editione Pomponii Sabini Basileensi a. 1544. hoc valde miratus sum, quod eam *primam* esse Ioannes Oporinus perhibet. Inscriptionem enim illa hanc habet: *Iulii Pomponii Sabini Grammatici Eruditissimi, in omnia quae quidem extant, P. Vergilii* III
Maronis Opera, Commentarii, varia multarum rerum cognitione referti, nuncque primum in lucem editi. Et in epistola nuncupatoria ad D. Ludovicum Martorffum Patricium Frankfordianum, amicum suum, Oporinus scribit: *Cum itaque hunc Iulii Pomponii Sabini — Commentarium, ante menses aliquot, a D. Arnoldo Arlenio Peraxylo, viro doctiss. asserendisque ab interitu veterum monumentis nato, amico praecipuo nostro, essem nactus, eumque uti e tenebris tandem in lucem proferrem amici aliquot instarent,* et rel. *Primum* te *edere* atque *e tenebris tandem in lucem proferre* quomodo ea dicas, quae ab alio ante quinquaginta annos edita fuerint? Neque hoc negare videtur Oporinus, sed Brixianam editionem haud dubie spectat, quum in eadem epistola sic scribit: — *de hoc quidem quae dici poterant, malumus ex ea quam huic nostrae subiunximus, eius qui primus illum velut ab Orco reduxit epistola, quam nostra hac intelligi.* Danielem Gaitanum dicit. Auget dubitationem, quod, Heynio teste, post Brixianam editionem, bis vulgati sunt, ante Oporinum, Pomponii Sabini commentarii: in Virgilii editionibus Venetis L. A. Iuntae 1519. et 1536. Hac difficultate sic fortasse te expedias optime. Quod ab Arlenio se accepisse Oporinus dicit, ego non manu scriptum fuisse, sed Brixianae Pomponii Sabini editionis exemplar arbitror. Id quum valde corruptos exhiberet, sive typographi culpa sive eius, cuius manu scriptum et typographo traditum opus erat, Pomponii Sabini commentarios, Ioannes Oporinus, cui multum operae impendendum fuisset, ut tollerentur Brixiana menda, et verba Pomponii Sabini sensusque restituerentur, potuit non iniuria novum hoc opus dicere, et se primum illud in lucem proferre. Audiamus ipsum, in epistola nuncupatoria: *Supra sexcenta enim loca per librarii incuriam corrupta emendavimus, ut non tam alienam,*

quam nostram ipsius operam tibi commendare, iure optimo videri queamus. Tametsi non omnibus etiam monstris, quae se in eo nobis offerebant, conficiendis, soli esse pares potuerimus. Et sane quae pauca profert ex editione Brixiana Fossius T. III. col. 95. 96. satis ostendere videntur, esse eum librum non mediocriter mendosum. Iuntinas aut non noverat Oporinus, aut non numerabat, ut quas retinuisse primae editionis vitia videret. Caeterum Iuntinae istae, si eam, quam Heynius refert, prae se inscriptionem ferunt, primae sunt, quae expressum Iulii praenomen habent.

At ex Gesnero egregia fieri ad summam disputationis nostrae accessio potest. Scilicet iam Gesnerus l. l. non solum de Pomponii Sabini in Virgilium commentariis eodem, quo nos sta-
IV tuimus, modo sentit: *nimirum non ipse literis talia mandavit Pomponius, sed excepta a rudissimis bonarum rerum auditoribus in vulgus tandem edita sunt;* sed etiam Iulii Pomponii Fortunati, quem eumdem esse ac Sabinum intellexerat, in Columellam commentarium eo modo ortum eaque via prodiisse docet. Hoc non vidit Gesnerus, sub utroque nomine Pomponium latere Laetum. Quod de Columella demonstravit Gesnerus, idem nos de Quintiliano suspicati sumus, pag. 12. Qua de re nunc paullo dicetur explanatius. Quintiliani Vitae, quam compositam esse a Pomponio coniecimus, Spaldingius praef. p. XXXVII. not. haec verba continuo addi in editione Veneta 1494. narrat: *Sed iam ad ipsam interpretationem veniamus.* Quid hoc est, Cives? Nonne hoc cathedram reddolet? Redolet. Sic nos hodie solemus, quum bonos scriptores Vobis explicandos suscepimus, post praefationem sive introductionem, transire simili conversione ad interpretandum scriptorem. Igitur illis olim verbis Pomponium Vitae Quintiliani a se compositae adiunxisse suas in Quintilianum scholas, et hoc olim ordine omnia conscripta ab aliquo Pomponii auditore et tradita esse typographo existimo: quamquam in editione Veneta 1494. seiuncta esse Vita illa a commentario Pomponii, et alia interiecta esse, quae non sunt a Pomponio, videntur. Fuit autem, ut opinari licet, haec usitata Pomponio transitio: *ad interpretationem veniamus.* Exordio ad Columellam, postquam aliquid de hortis disputavit in universum, sic pergit Pomponius,

pag. 688. ed. Gesn. *tutela vero eorum Veneri attributa est: cuius iucundo numine auxiliante ad interpretationem veniamus:* etc. Hinc apparet, iusto timidius disputata esse, quae nuper scripsi pag. 4. Dicendum erat confidentius, nihil umquam commentarii simile scripsisse Pomponium Laetum, sed quae exstant in veteres auctores commentaria, Pomponii nomen prae se ferentia, ea esse omnia excepta e scholis eius, edita ab aliis, nunc inscio nunc etiam nolente Pomponio.

Dudum animadvertistis, Cives, quum ex philologico genere materiam sumere scribendi soleamus, operam a nobis dari, ut specie tamen inter se scripta differant et varietate Vos argumenti delectent. Verum hodie etiam genus mutavimus et ea de re scripsimus, quam nemo Vestrum, quotquot estis, a se alienam esse et philologis relinquendam dixerit. Nam de Iulio Pomponio Sabino disputatio nostra, cuius hodie scripta supplementum esse volumus, etsi eatenus philologica dici queat, quatenus ad Virgilium spectat: tamen ad Virgilium ipsum, hoc est, ad interpretationem Virgilii, non multum, ut verum fateamur, intererat, utrum a Pomponio Laeto hi commentarii, an ab alio viro docto eiusdem aetatis profecti; non multum, utrum haec scripta a Pomponio an dictata putarentur. Est potius illa, si materiam spectes, V ad historiam litterariam referenda, qui communis omnium eruditorum campus est; quaestio autem primaria, quae erat de eo, an genuinum hoc Pomponii Laeti opus esset, critica est, sed eius generis atque artis, cuius omnis disciplina exempla offert, et in qua neque Theologum, neque Iurisconsultum, neque Medicum, et quotquot sunt omnium, qui litteras profitentur, nomina, rudem esse impune licet. Vos igitur, ut alia exhibetis industriae specimina, ita hoc etiam operam dabitis, ut in arte Vos exerceatis critica.

Non praevideramus, quum primum ad scribendum accingebamur, quam funestam hoc prooemium conclusionem habiturum esset. Sed habebit tam funestam: erunt nostrae partes in luctu omnium; et fortasse gratum hoc erit magnis Manibus, si haec aliis Academia, cum qua nullo Ille, dum vivebat, vinculo, nisi

communi studiorum amore, coniunctus fuit, lugubrem iniussa lamentationem praeiverit. Funus indicimus, Cives, vel magis imaginem et memoriam funeris: nam exsequias alii celebraverunt; nos inani munere fungimur. Extulit antiqua Massilia Fridericum Augustum Wolfium. Tu adsta, pia Iuventus, et quod ipsa perspicere vix satis potes, ex nostro dolore, qui propius ab Illo aetate absumus, et quasi oculis vidimus fulmina illa iaculantem, quibus collustratus universus ambitus litterarum est, percipe, quantam res publica litterata iacturam fecerit. Neque, si quis forte Vestrum audiverit, aliquantum postremo tempore Wolfium remisisse de pristina alacritate, solatium ea observatione contineri et minui desiderium viri existimabitis. Habent hoc magni viri proprium, etiamsi consederint, armorum onere seposito, et in gloria bene parta acquiescant, ut solo nomine suo ornent orbem, augeant rem publicam, bonam caussam adiuvent, inimicos perterrefaciant. Nunc ista omnia secum praematurum fatum abstulit. Manent scripta monumenta Viri: manet gloria et rerum gestarum recordatio. Ea sit etiam Vobis, o Iuvenes, virtutis incitamentum.

X. *)

Saepe mirati sumus, et rursus hodie miramur, dum novum Vobis scholarum indicem tradimus, quam large in hac Musarum sede omnis eruditionis copiae fluant, quanta sit opulentia nostra. Quae quidem hodie etiam clarius cernitur, additis tabulis istis, e quibus cognoscere, quantum singulae horae in se eruditionis contineant, uno conspectu poteritis. Quonam putatis, si haec res ante duo saecula vel ante centum annos et quinquaginta ageretur, nostrum Indicem ambitu futurum fuisse? Deinde qui reputet, multas praeter nostram Academias esse, eadem doctorum

*) Id. Mart. a. 1825.

multitudine, vel simili, affluentes, eodem numero litteras atque artes, vel etiam alias, docentium, is sibi persuadeat necesse est, immane quantum hisce temporibus florere litteras. Quae ut laetissima persuasio erit, cavendum tamen, ne iidem prae nimia felicitate priorum temporum conditionem despiciamus fastidiosius. Et in universum quidem, quamquam lubricum est, aliquid dicere breviter ea de re, quam longioris disputationis esse facile quivis intelligit, non male facturum arbitramur, si quis diversa tempora iudicaturus ex eo, quod praestitum esse olim et praestari nunc viderit, quandoquidem scholarum atque academiarum virtus, ut arborum, e fructibus cognosci solet, sepositis magnis ingeniis et heroibus, qui etiam adversa tempora superant, et rursus sepositis iis, qui de omnibus rebus aliquid, hoc est nihil, discunt, ita statuat: maiorem nostro tempore eorum numerum esse, qui quum aliqua reliquarum rerum notitia leviter tincti sint, probabilem unius cuiusdam artis peritiam habent; at illo tempore plures exstitisse communi disciplina eruditos, et in certo quodam artium, non multarum, sed earum maxime, quae reliquarum fundamenta sunt, ambitu et cyclo bene versatos atque exercitatos. Iam de duobus utrum melius sit, et quae sint huius diversitatis caussae, ulterius quaeri poterit. Non sumus enim pertinaces temporis ante acti laudatores.

Vos, Cives, curabitis, ut sapienter utamini oblatis divitiis. Qua in re consilia Vobis nostra non esse defutura pollicemur.

XI.*)

Vetus est in Grammaticos, quorum hodie Philologi filii sunt, cavillatio, quod *in verbis haereant, et syllabas litterarumque apices rimentur*. Ea quum per iocum iactatur, et in malos philologos, multum habere leporis et iucunditatis potest. Ut alia sunt in alias disciplinas artesque iactari solita: veluti quum Medicis ob-

*) III. Cal. Septembres a. 1825.

licitur, quod interimere homines, aut Iurisconsultis caussarumque patronis, quod fraudes nectere et circumvenire improvidos machinationibus soleant. At vero serio illud iactare in universam Philologiam nemo nisi imperitus potest, vel, si iactari etiam ab erudito audias, vix intelligitur, quomodo tam inepta sententia homini placere eruditiori possit.

Et illud quidem neminem praeterit, quanta sit Grammaticae et Criticae utilitas ad omnem scientiam historicam. Scilicet quum omni tempore multa et varia de rebus historicis commenta exstiterint, quae commenta propter ipsam varietatem illam suspecta sunt, dum ex eodem fonte alius aliud, et ex eiusdem auctoris verbis unus hoc, alter illud haurit atque repetit: opus Grammatica et Critica est, ut certis regulis discas, et quid scribere antiquus auctor potuerit, et quid tu legere apud illum debeas. Verum hoc et satis notum est, et, ut accuratius explicetur, longum. Brevius dicetur de dignitate. Quam quidem non satis observatam esse multis videmus. Si enim eo maiorem artis alicuius dignitatem esse statuimus, ut recte statuimus haud dubie, quo illa vehementius ingenium humanum commoveat, et varias a Deo insitas facultates exerceat, quid excellentius, quid divinius Gram-
4 matica et Critica erit, ea maxime, ad quam imperiti et Philologiae contemtores stupent saepissime, quam *coniecturalem* vocamus. Quid, obsecro, *coniectura* habet, quo ab alia quavis inventione differat? Nimirum quae aliis in artibus ad inventiones via est: ut per dubitationem eum in locum pervenias, quo tibi constet, falsum esse quod vulgo traditur; tum ut ratiocinando efficias, quid possit verum esse: unde ulterius homo pergere, testes circumire, memoriam excutere suam, imaginari diversa et divinando ludere solet, donec repente ipsa ante animum veritas exsilit: plane eadem via et ver easdem actiones ad *coniecturam* itur. Ut nulla animi humani vis sit, quam non excitare, dum in munere suo versatur, atque exercere, Criticus debeat. Quamquam neque eo semper illa ordine, quo enumeravimus, neque conscio semper Critico fiunt. Nam interdum, ut est incredibilis animi humani celeritas, cognitio fraudis, investigatio veri, omnia, simul uno temporis momento peraguntur, et improviso quasi ex Iovis vertice Pallas cum *πανσαγίᾳ*, coniectura erumpit.

Vos igitur, Cives, si quando bonas coniecturas facere dideritis, rem et utilissimam didicisse et litterarum cultore dignissimam videbimini. Interea, sive latine scribatis sive germanice, diligentiae calamum *philologicae* assuefacietis. Nihil enim est bonarum litterarum studioso indignius, quam si scribere nesciat. Scribere autem nemo potest, nisi *rimari syllabas et apices litterum* didicerit.

XII. *)

Sero in manus vestras venit scholarum aestivarum index. Sed tamen non iusto serius. Diu enim est, quum eam Academiae nostrae apud Vos, qui iam habitavistis nobiscum, caritatem atque ex familiaritate aestimationem, et in Germania famam reverentiamque putamus esse eam, ut omnes sciant, etiamsi scholarum indicem viderint nullum, bene semper consultum esse tot magistrorum industria studiis omnium. Quod si quis fortasse Vestrum, iam exercitatus studiis academicis, aliunde ad nos accesserit, uni cuidam disciplinae operam daturus, atque eam non invenerit in hoc indice, id quod tamen non facile accidere posse existimamus: is illam seponet paullisper, et pro ea aliam, cognatam, vel ex alio genere disciplinam audiet. Speramus enim, paucos inter Vos esse, qui aut nihil sibi deesse ad doctrinam paeter unam disciplinam censeant, aut piaculum ducant, praeter necessaria discere utilia.

*) IV. Non. April. a. 1826.

XIII.*)

Quam grata apud nos sit eius temporis memoria, quo revivi-scere in Italia coeperunt litterae, et alibi diximus, et rursus hodie significabimus, quum aliquid sibi praefationis hicce index postulet. Facimusque id etiam propterea, ut, si forte aliquis Vestrum recordetur, quae alio loco hanc in rem scripsimus, caveamus, ne is ea perperam accipiat. Gloriati tum sumus, multo esse conditionem litterarum nostris temporibus lautiorem quam illis. Id verum esse scitote, si externa litterarum adiumenta numeres, et quo statu nunc sint litterae, quam aucta atque exculta post quattuor saecula et coniunctis tot virorum doctorum per totam Europam contentionibus ac viribus rerum omnium scientia, reputes. Sin florem litterarum dicas eum, quum litterarum communis est apud omnes caritas, fatendum est, illo tempore potius floruisse litteras, quam nostro, quo multi litteras, ut a se alienas vel etiam se indignas, viris doctis, tamquam singulari hominum generi, relinquunt; multi litteras ita tractant, ut magis suam ex iis utilitatem vitaeque necessitatem petere, quam ingenuo pulchri verique amore agi videantur.

Philologos quod attinet, quamquam tum eruditior quisque philologus erat quodam modo: sed loquimur de iis, qui in explicandis atque emendandis veterum monumentis data opera elaboraverunt: igitur quod interpretationem veterum scriptorum et tractationem criticam attinet, duo maxime vitia sunt, quibus in reprehensionem aetas ista incurrit: quod iusto verbosiores sunt commentarii et inanem eruditionis in rebus saepe notissimis, ut in fabulis enarrandis, in moribus ritibusque explicandis, ostentationem habent; deinde magna in arte critica exercenda temeritas atque audacia. At vero considerandum est, multa quae nobis trita sunt, et quae nullo negotio ex compendiis indicibusque discuntur, illo tempore neque trita fuisse discentibus, neque facile invenienda docentibus, sed multo cum labore ex ipsis scriptori-
4 bus antiquis eruenda. Deinde quod alterum diximus, emendandi

*) VII. Id. Sept. a. 1826.

audaciam, etiam hoc vitium non solum excusationem, sed habet, quod placere possit. Elaborabant enim illi in scriptoribus antiquis tamquam in suis, hoc est, tamquam in popularibus et civibus suis, et quod hodie aliquis haud cunctanter fecerit in edendo libro civis sui vel cognati vel amici, id sibi licere putabant in illis, ut interdum, spretis libris scriptis, resecarent superflua, adderent necessaria, reponerent meliora, quae ipsis viderentur.

Exempla ne desideretis, Cives, apponemus aliquot Pomponii Sabini locos e Commentariis in Virgilium, eosque tales, qui fefellerunt Heynium. Ad Cirin v. 12. Pomponius ita: *Omnes.) supple, tradere suadent.* Non intellexit Heynius. His verbis, *tradere suadent*, Pomponius supplendum esse versum coniiciebat, qui vulgo mancus est, sic: *Quod si mirificum genus omnes* ut desint duo pedes. Supplementum suum quomodo explicet, vide apud ipsum. Rursus ex ingenio supplevit lacunam Cir. v. 102. ubi *Tempsa* legit. Et *Tensa* cum Pomponio Domitius Calderinus. Vulgo erat: *Actaeos i. c. et candida thes* deficiente versu. Tum post annotationem ad v. 320. haec leguntur apud Pomponium: *Praescire.) diuinare.* Nusquam invenitur verbum *praescire* in toto carmine. Refero verba Pomponii ad versum 321. Quem ille sic legebat: *Quae tenuis patrio praescit suspensa capillo.* Sed haec tamen coniectura non est iusto audacior. Nam vulgo: *pressit.* Verum est quod nunc legitur, *spes sit.* Praeterea recordandum, haec omnia Pomponium auditoribus proposuisse per scholas. Quodsi Virgilium ipse edendum suscepisset, fortasse moderaturus fuisset aliquatenus coniectandi licentiam. Est etiam, ubi aliquid invenisse apud Pomponium tibi videaris, de quo ille numquam cogitavit. Errat Heynius, quum Pomponium Cir. v. 26. *Chlorim* legisse coniicit pro eo, quod ibi scriptum est, *currum.* Scilicet Basileensis Oporini, qua utebatur Heynius, et recte utebatur, quum haec optima sit Pomponii commentariorum editio, hoc tamen loco male concepta habet verba Pomponii, sic: *Zephyrus.) Ascrei et Aurorae filius. Chlorin.) nympham agri Attici, et eam praefecit floribus.* Melius Basileenses H. P. 1561. 1575. *Zephyrus.) Ascrei et Aurorae filius amauit Chlorin nympham agri Attici, et eam praefecit floribus.*

Vos valete, et amate homines Italos, litterarum restitutores.

XIV.*)

De repertis saeculo decimo quinto Catulli carminibus tres narrationes exstant. Una Matthaei Palmerii apud Andr. Schottum Observat. Human. lib. II. cap. XVI. p. 53. *anno* CIↃ.CCCC.XXV. *primum repertum esse Catullum, pessimeque acceptum in manus hominum venisse.* altera epigrammate quodam continetur, quod carminibus Catulli praepositum est in libris nonnullis scriptis et in primis editionibus Catulli. tertia Raphaelis Volaterrani est Commentarior. Urban. lib. XIIII. p. 325. ed. Basil. Frob. 1559. (fol. CXLVII. ed. Ascens. 1511.) ubi ita scribit, de Catullo loquens: *Hic liber una cum Quintiliano repertus fuit aetate nostra laciniosus mendosusque.* Harum narrationum prima et altera sine difficultate conciliari inter se poterunt; tertia, Raphaelis Volaterrani, quomodo cum epigrammate illo conciliari possit, non video. Posse conciliari credidit, ut videtur, Scaliger. Castigationum in Catullum initio: nam de eo non dubito, quin eumdem ibi Volaterranum eumdemque Volaterrani locum Scaliger intelligat, quem ego attuli. Me vero quominus in eamdem sententiam concedam, im-
4 pedit Quintiliani apud Raphaelem Volaterranum mentio, de quo nihil indicatum epigrammate isto invenio. Neque opus videtur esse, ut ista in unum omnia coniungantur testimonia: potuit enim fieri, ut eodem saeculo bis reperiretur Catullus diversis locis.**)

---

*) XIII. Cal. April. 1827.

**) Lorenz Ghiberti (Die Chronik seiner Vaterstadt vom Florentiner Lorenz Ghiberti, dem berühmtesten Bildgiesser des 15ten Jahrh., nach dem Italienischen von August Hagen, Lpzg. 1833. Erstes Bändchen) wo er ein Zusammentreffen der 3 Philologen, Guarino aus Verona, Poggio aus Florenz und Leonhard Bruni aus Arezzo, bei dem neuaufgestellten Grab-Denkmal des Johann v. Medici u. seiner Gattin (auf welchem Denkmal die latein. Inschr. in eleg. Versen von eben dem Guarino) beschreibt, lässt den Poggio erzählen, p. 273, wie er in einem Kerkerthurm des Domstifts St. Gallen Valer. Flacc. Argonaut., den Quintil., endlich, aber anderswo, wie es scheint, — den Catull. gefunden. »O, wer beschreibt meine Freude, als ich den Fund betrachte und Valerius

Nobis nunc in animo est pertractare epigramma illud, quod multum viros doctos exercuit, an forte si non solvere aenigma, saltem hoc demonstrare contingat, non posse ita solvi, ut plene satisfiat curiositati omnium.

Igitur Catulli carminibus in principe Veneta, atque hinc in Veneta 1475. et Regiensi 1481. hoc epigramma praepositum legitur:

H extichum Guarini Veronensis Oratoris Clarissi
mi In libellum Valerii Catulli eius conciuis.

a D patriam uenio longis de finibus exul
Causa mei reditus compatriota fuit:
S cilicet a calamis tribuit cui francia nomen
Q uiq; notat turbæ prætereuntis iter:
Q uo licet ingenio uestrum celebrate catullum
Q uouis sub modio clausa papirus erat. *)

Descripsimus accurate ex Veneta 1475. et Regiensi, sed eodem modo conceptum Audiffredus Fossiusque dederunt ex editione

Flaccus Argonauten entdecke! Im nämlichen Kloster fand ich auch die sämmtlichen Bücher von Quintilian in Staub und Moder. Erzählen muss ich noch, wie ich Catull's Gesänge auf einem Speicher fand. Wol merkwürdig, unterbrach ihn Brunellesco [der Baumeister], aber nicht für Unsereinen. Unterhaltet mich lieber mit den Abenteuern, mit den Gefahren Eurer Reise. Herr Guarino, Ihr seid [p. 274.] ja sogar in Constantinopel gewesen, und Euch ist daher gewiss Mancherlei aufgestossen.« Darauf erzählt G. wie er über Nacht weiss geworden, die bekannte Geschichte, etwas anders als Menagian. I. p. 47. Pag. 266. betrachten dieselben Gelehrten den Grabstein des Immanuel Chrysoloras, mit lat. Inschrift des Poggio, welche, sowie die obenerwähnte des Guar., in deutscher Uebersetzung gegeben wird. E schedis Naekii.

*) Die edit. princ. des Catull. und zwar das Exempl. des Ang. Politian. beschreibt auch Ang. M. Bandinius Catalog. Codicum Latinor. Bibliothecae Mediceae Laurentianae Tom. II. (Florentiae 1775. fol.) Plut. XXXIII. Cod. X. pag. 96. seqq. Das Epigr. des Guarinus Veronensis haben auch Cod. XI. wie es scheint, und gewiss, nach Bandini's ausdrücklicher Angabe, Cod. XII. u. XIII., ebendas. col. 99. u. 100. alle drei membran. auch Plut. XXXVI. Cod. XXIII. T. II. col. 236. E schedis Naekii.

principe Venet. 1472. Quouis versu 6. vitiose omnes, quod debet Quoius esse. Statim coniicias in editionem principem hexastichum illud devenisse ex aliquo libro scripto, atque ita est haud dubie. Exstiterunt, ex exstant etiam nunc libri Catulli scripti, qui eosdem versus in fronte habent: Guelpherbytanus membr. Nr. 283. Gud. tum Codex Saibant. 323. apud Scipionem Maffeium libello Venetiis a. 1719. edito: Dell'Antica Condizion di Verona, Ricerca Istorica, pag. 16. seq. denique Scaligerum l. l. versus illos non aliunde afferre, sed e suo libro, fidem facit insignis quaedam scripturae discrepantia, de qua infra dicetur. Titulum quod attinet carminis, in codice Saibant. idem fuit, ut colligo ex verbis Scipionis Maffeii, qui est in tribus editionibus illis; de Scaligeri libro non constat; Guelpherbytanus tantum hoc inscriptum habet, valde ineptum: INCIPIT PRIMA
5 ELEGIA CATVLLI sequebantur duo alii versus, sive lineae, itidem litteris capitalibus scriptae, quae lineae postea sive ab ipso librario sive, quod credere malim, ab alio erasae sunt, sed prior earum, quantum olim cognoscere mihi visus sum, litteris MEI incipiebat. Iam hinc latus aperitur dubitationum atque coniecturarum campus, ex parte prorsus inutilium aut manifesto falsarum, quas attingam tamen, ne quid me praeterisse inscium videatur. Sic falso opinari, si qui a Baptista Guarino factum esse illud epigramma dicunt, et viderunt dudum Apostolus Zenus in Diario Litteratorum Ital. T. XII. p. 364. Scipio Maffeius l. l. p. 17. et aliis demonstrari, si opus esset, argumentis posset. Veluti, quum haud dubie eo ipso tempore factum sit epigramma, quo repertus fuit Catulli liber, parum credibile est, posteriore demum saeculi XV. parte, qua floruit Baptista filius, Catullum inventum esse; illud credibile est, inventum esse Guarini patris aetate, qui a. 1420. et proximis annis, iam propior senectuti, sed gloriosae et supra modum valenti, publice bonas litteras docuit in urbe patria: ut ipse adesse potuerit, quum Veronam a. 1425. viseret ex longinquo exsilio Catullus. Videtis, quo consilio supra conciliari posse epigramma nostrum et Matthaei Palmerii narrationem dixerim: sunt haec certe satis probabiliter disputata. Pravam opinionem de Baptista Guarino epigrammatis auctore Fabricius maxime divulgavit Bibl. Lat. T. I.

p. 90. (Vol. I. p. 53. et Vol. II. p. 69. ed. Hamb.) praeeunte Burmanno: Laurentius Pignorius vacuus a culpa est, qui neque ea Symbolarum Epistolicarum editione, qua ego olim usus sum, Patavii a. 1729. edita, neque Patavina 1693. qua Harlesius Introd. in notit. Litterat. Rom. P. I. p. 310. seq. utitur, neque illa, quam adhibuit Lessingius, de Baptista Guarino quicquam tradidit, sed recte *Guarino Veronensi*, h. e. antiquo Guarino, patri, epigramma tribuit. Si quis tamen cum Burmanno ap. Fabric. persuadere sibi non poterit, *tam detestabiles versus* Guarinum patrem fecisse, etsi ego nihil in his versibus invenio, quod aut aetate Guarini aut Guarino, praesertim hoc non agente serio, sed obiter ludente in hominem obscurum, indignum sit, non obsto, quominus Guarino hoc epigramma suppositum ab alio homine putes, modo teneas, suppositum fuisse Guarino antiquo, non Baptistae, filio. Magis etiam inconsiderate illud factum est, quod Apostolus Zenus l. l. T. XII. p. 364. seqq. et T. XIII. p. 406. ipsum Guarinum Veronensem inventorem fuisse Catulli perhibet. Obloqnitur modeste Scipio Maffeius Verona Illustrata Parte II. 6
lib. III. p. 80. Effecit autem illud suum Zenus ex epigrammate nostro, valde contorta explicatione, quamquam unum in ea inesse perbonum monebimus; alia testimonia in rem suam nulla habet, quae tamen exspectes haud immerito, si tanto viro tribuenda esset inventio Catulli. Ut Alexandrum Guarinum, qui a. 1521. Catullum per Baptistam patrem emendatum cum expositionibus suis edidit, quum vehementer laudet Baptistam patrem suum, Catulli emendatorem, quis credat praeteriturum fuisse, si Guarinus avus inventor fuisset Catulli? Verum ille neque epigrammatis nostri mentionem facit, neque alio modo meruisse de Catullo Guarinum avum significat. Quod autem Marcum Ant. Sabellicum attinet, qui Guarino Veronensi correctionem tribuit Catulli, is aut, quae Scip. Maffeii opinio est, Guarinum antiquum cum Baptista Guarino confudit, aut, quod veri similius, e codicibus Catulli, qui descripti sunt ex archetypo codice Veronensi, quibus codicibus omnibus additum fuisse epigramma Guarini probabile est, orta nonnullis opinio erat, correctum fuisse a Guarino codicem archetypum, antequam publicaretur. Qua in opinione fortasse aliquid veri inest. En verba Sabellici, Dialog. de Latinae Linguae reparatione,

Colon. 1529. — *et quod omnium operum illius maxime gratum fuit, Catullum municipem suum situ et squalore confectum, lucemque ex diuturnis tenebris reformidantem, ita abstersit, ut sine maiore rubore in publicum exire non dubitarit.*

Omnino praeter eas virorum doctorum observationes, quas statim in meam conversas sententiam proponam, nihil quicquam veri simile scriptum in illos versus novi. Quam enim Lessingius T. I. Opp. Berol. 1771. p. 171. seqq. coniecturam protulit, versum 3. Scilicet a calamis tribuit cui Francia nomen, ita accipiendum esse necessario, ut homo iste Veronensis, Catulli inventor, nomen habuerit ab ea voce factum, quae Gallis calamum significet, hinc Bernardinum Plumatium, celebrem saeculo decimo quinto medicum et philosophum, intelligendum esse, aut aliquem ex maioribus cognatisve eius: est ea quidem nova et valde ingeniosa, et aliquid ab eo commendationis habet, quod Bernardinus Plumatius, ut Lessingius monstrat, oriundus Verona fuit, sed laborat fundamento suo, si quidem illud, coniungenda esse unam in sententiam verba Scilicet a calamis tr. cui Francia nomen, quod tamquam certum ponit Lessingius, non est certum, et versum quartum relinquit sine
7 explicatione; et, qua maxime caussa factum esse existimo, ut suam Lessingius coniecturam neque sibi ipsi neque aliis persuaserit, tum demum vera esset, si aliunde doceri, Bernardinum Plumatium fuisse inventorem Catulli, posset. Nam quod Lessingius se perturbatum esse dubiumque factum dicit scriptura codicis Guelpherbytani, qui codex a talamis habet, non a calamis, id leve est, et securus poterat de eo Lessingius esse: vitium est codicis, ut in eodem codice versu 2. redditus v. 5. cælebrate et versu 6. vitiosum illud Quouiſ et causa papiruſ legitur.

Quam meam dixi sententiam, ex duabus Laurentii Pignorii et Apostoli Zeni observationibus, tertiaque mea, sine qua illae nihil valent, conflata est. Primus Laur. Pignorius Symbolarum Epistolicar. libro I. epist. XVI. p. 57. non aliam verba tribuit cui Francia nomen interpretationem recipere vidit, quam a Francisco quodam repertum esse codicem Catulli. Operarum haud dubie peccatum est, ut iam Lessingius monuit,

quod ille versus ita distinguitur apud Pignorium: Scilicet a Calamis tribuit; cui Francia n. Hoc igitur unum est. Alterum feliciter attigerat, iamque manibus tenebat Apostolus Zenus loco supra laud. p. 364. seqq. quum rursus elabi sibi veritatem passus est, illata perversa opinatione de Guarino inventore Catulli. Itaque fabellam narrat talem. Repertum fuisse Catullum in granario Guarini Veronensis; id dicere Guarinum versu secundo: Causa mei reditus compatriota fuit. compatriotam intelligendum esse Guarinum. Tum recens inventum codicem transcriptum fuisse a Francisco quodam, portae custode. *Scilicet a calamis, tribuit cui Francia nomen, Quique notat turbae praetereuntis iter.* Cioè a dire, l'amanuense o sia copista, *a calamis*, del codice ritrovato fu uno per nome *Francesco*, *tribuit cui Francia nomen*, e'l cui ufficio era di notare e registrare il nome de' passaggieri e chiamasi il *custode* delle porte della città: il che vien' espresso nel quarto verso. Tam raros tum fuisse amanuenses, nullum ut inveniret Guarinus aptiorem, cui describendum pretiosissimum codicem daret, quam portae custodem? Deinde Guarinum sui tam obiter mentionem fecisse epigrammate suo, ei vero, qui nihil quam descripsisset codicem, tam amplum tribuisse locum? talia nemo facile sibi persuadeat. Praeterea, quod gravius est, dum alium Zenus hominem versu 2. alium v. 3. et 4. designari statuit, vim fieri epigrammati evertique sententiam manifestum est: admonere debuerat virum doctum
Scilicet particula, de uno eodemque homine sermonem esse, 8
qui v. 2. compatriota Catulli dicitur, v. 3. 4. aliis indiciis describitur. a calamis nobis scriba, notarius est, ex eo genere hominum, qui in terris illis publice assident, ut necessitati plebis, quae ibi solet illitterata esse, consulatur. At quartum versum ita legendum esse dicimus:

Quique notat cursum praetereuntis iter.

ut exhibet Scaliger, qui illud non potest nisi ex libro scripto habere. Indicatur domicilium sive usitata Francisci scribae statio, quae ea erat, ut lustraret praeteruntes cursum homines. Cursus, Corso, Cours. Vix ulla civitas Italiae est, ex iis, quae ampliores sunt, quae non habeat cursum suum; sunt etiam, quae habent, Galliae parte ea, quae spectat in meridiem:

Veronae autem suum esse, quum iam antea nihil dubitarem, certior factus sum a fratre. Nam hoc statuo iure meo, Veronae repertum esse, non alia urbe vel terra, Catullum: id quod etiam Zenus posuisse tacite videtur. Igitur Veronae Franciscus scriba Catullum repperit, latentem sub modio: unde facile colligitur, repertum fuisse in horreo, sive illud Francisci horreum fuerit, sive in aliam domum delatus Franciscus tam inexspectatum thesaurum deprehenderit. Similis fortuna Propertii fuit, cuius elegias se adolescentulo primum in lucem prodiisse, opusque oblitteratum, et longissimo aevo absumptum, corrosis et labentibus litteris, in cella vinaria sub doliis inventum apparuisse, testatur apud Alexandrum ab Alexandro Iovianus Pontanus. Guarinus Veronensis epigrammate, quod totum Veronensibus scriptum est, quum alias laudes non inveniret homini obscuro tenuique conditione, fecit quod potuit: compatriotam dixit Catulli, et nomen hominis, hoc est, ex more aetatis istius, quem nondum obsolevisse in Italia audio, praenomen, artem, denique domum sive stationem addidit. Quo ingenio vs. 5. durch dieses Genie, cum ironia dictum puto: significat, quod Catullum repperit, quae tamen magis bonae fortunae quam ingenii res erat, id unum esse, quo se homo iste ingeniosum prodiderit. Restat ut versum primum expediam, ne quis porro imponi sibi a Scaligero patiatur, qui nescio utrum ex hoc versu, an ex tertio, efficiebat, in Galliis repertum esse codicem Catulli. A quo, non declarat, neque moratur in epigrammate nostro: dicit tantum, ab homine Veronensi, quisquis ille fuit, in Galliis repertum, et paullo post: *Solus Volaterranus, quod sciam, memoria*
9 *auorum suorum e situ erutum scribit. Sed in Galliis se eum reperiise ille ipse, qui publicavit, epigrammate testatus est.* At vero longis de finibus quum dicit poeta noster, neque de Gallia neque de ulla alia terra cogitat. Reputandum est, quod ex v. 5. 6. intelligitur, non libellum Catulli, sed ipsum loqui Catullum: ut bene Scaliger editionibus Parisina 1577. et Antverpiensi 1582. animadverterat: *Inducit vero Catullum loquentem:* quae verba cur postea editione Commeliniana deleverit, caussam non perspicio. Fingitur Catullus Veronam redire, resurgens ab inferis, aut, ut alius poeta eiusdem fere aetatis de eodem Catullo, quam-

vis alia in re, Elysio redivivus ab orbe: hi sunt longi fines, hoc est exsilium Catulli.

Ultimum distichon cur tam obscurum fuerit Lessingio, frustra quaero. Quo licet ingenio celebrate dictum est, ut Horatianum Sis licet felix ubicumque mavis. Sed puto Lessingium maxime haesisse in Quovis v. 6. Ergo ignorabat, vel non meminerat, dudum hoc correctum esse a Scaligero, cuius editiones omnes recte Quoius habent: in quo ego poetam agnosco antiquitatis affectatorem. Quouis etiam apud Pignorium, qui qua editione vetere usus est, haud dubie una ex iis erat, quas nos supra commemoravimus. Quaevis infelix Zeni coniectura est, quam miror placuisse Scipioni Maffeio, Dell' antica condizion di V. p. 17. Sunt et alia a vulgata scriptura discrepantia apud Scaligerum, praeter cursum, quae tamen praeferre vulgatis non audeam: versum 1. ita scriptum exhibet: Ad patriam redeo longis a finibus exul. et versu 5. reuocate C. Taceo orthographica: sed illud fortasse non tacendum, quod a Calamis legitur apud Scaligerum, littera maiori.

Satis lepidam Vobis narrationem proposui, Cives. At, inquiet aliquis, quid tandem profecimus? Audivimus inventorem Catulli obscurum esse hominem, nemini notum: Schreiber Franz an der Corso-Ecke. Sane, atque hoc est quod supra praedicebam, non satis me facturum esse exspectationi omnium. Verum in eo, si quid video, tantum abest ut aliquid reprehensione dignum insit, ut magis hanc virtutem esse coniecturae meae existimem commendationemque explicationi meae ex eo quaeram. Exemplo utar. Lessingii coniectura, qui virum notum suaque aetate nobilem inventorem Catulli facit, ut taceam non explicatum ab eo relinqui versum epigrammatis quartum, tam diu incerta manebit, donec repertum esse a Plumatio Catullum probetur sive ex ipsius Plumatii scriptis sive aliorum testimoniis: 10
id quod futurum esse umquam et desperabat Lessingius, et nos, puto, desperamus omnes. Nostra explicatio, quum per se probabilis sit, stare in aeternum poterit, nisi quis novis fontibus apertis et inexspectatis argumentis alium inventorem monstret. Ego vero etiam propterea elaborandum in hoc argumento putavi,

ut Niebuhrio opinionem meam, quam ego quum primum Viro Illustri, sed obiter nec satis accurate, proponerem, nihil me neque approbationis neque improbationis ferre memini, iterum proponam et si fieri possit, approbem. Raphaelis Volaterrani narrationem si quis examinare volet, non negligenda erunt, quae idem lib. XXI. pag. 489. 490. ed. Basil. ad Quintilianum spectantia de Guasparino Bergomate et de Poggio, et de hoc quidem satis nota, tradit: unde computatis temporibus, si omnia vera tradiderit Raphael Volaterranus, sequetur, iam ante annum 1425. et ante concilium Constantiense repertum fuisse cum Quintiliano Catullum, sed utrumque lacerum mendosumque: donec Quintiliano Poggius, Catullo Franciscus iste auxilium invenit. Quamquam tum parum distincte Volaterranus sua aetate repertum Catullum scribit.

Vos valete et strenue rem vestram agite.

XV. *)

Quum omni librorum generi hoc accidere solet, ut dies diem doceat, et quae hodie scripseris, ut post annum melius scribere, id est plenius aut accuratius, potuisse tibi videaris, tum maxime quaedam sunt quaestiones et disputationes, quae id natura sua habent, ut non facile primo statim impetu, neque ab eo, qui primum illas aggressus fuerit, confici, atque ad probabilem perfectionis gradum adduci possint. Sic nobis ad collectionem Choerili fragmentorum, ante hos decem annos institutam, paullatim succrevit, dum aliis in rebus occupati sumus, non contemnenda novarum observationum seges, de qua ego hac opportunitate, quum repente aliquid scribendum sit, paucis referam. Sunt autem illa non contemnenda quidem, ut iam dictum est, sed multa non sunt.

---

*) XVIII. Cal. Sept. a. 1827.

Ac primo Buttmannus nobis praeclarum Choerili fragmentum apud Suidam monstravit. Quo ille meam partim laetitiam, partim indignationem, propter oculorum humanorum imbecillitatem, concitavit: non male enim mihi excusisse Suidam videbar. Igitur Suidas: *Μᾶσσον. μεῖζον. μακρότερον.*

ἐπὶ πρὸ δὲ μᾶσσον ἐπ' ἄκρον
Αἰγάλεω θυμόεντος, ἄγων μέγαν ὑετόν, ἔστη.

Non scribam *ἐπιπρὸ* in hac sede versus. Addo, eadam legi e Suida apud Favorinum, et partem loci, *ἄγων μέγαν ὑετὸν ἔστη*, recurrere apud Suidam v. *ὑετός*, ubi male vulgo *ἄγον* legitur.*) De Xerxe poetam loqui, qui spectaturus erat pugnam Salaminiam, Toupius Emend. in Suidam P. II. Vol. I. p. 398. sq. ed. Oxon. accurata explicatione docet; illud animadvertendum Buttmanno reliquit, Choerilum esse hunc poetam. *θυμόεντος* epitheton non erat cur sollicitaretur a viris doctis. *μᾶσσον*, ut solent hi poetae frusta colligere de mensa Homerica, ex unico Homeri loco Od. VIII. 203. desumpsit Choerilus. Quamquam usos esse eo vocabulo etiam alios poetas epicos ante Choerilum probabile est. Praeterea quod olim monui, usum esse Choerilum oratione figurata, hoc quoque loco comprobatur. Verum, ut dicam quod sen- 4
tio, hoc loco tam vehementer figurata est, ut modum excesserit poeta. Nam de deo hoc dici, Iove, sive qui alii pluviam immittere solent, *ἄγων μέγαν ὑετόν*, consentaneum est; at pugnam aut agmen *ὑετὸν* dici simpliciter, id paullo durius. Neque *pluvia* per se satis apta: praestaret *νέφος* aut *χειμῶνα*. Quare ego comparationem Xerxis cum aliquo deo ex eorum numero, qui pluviam faciunt, praecessisse coniicio: inde lucem capiebat audax metaphora. Caeterum de variis, quae tum circumferebantur in Graecia, narrationibus, de sella, in qua ibi consedisset Xerxes; de platano aurea, sub qua consedisse cum Xerxe Draconem, acutissimo visu hominem, Ptolemaeus Hephaest. in Photii Bibl. p. 148, 5. edit. Bekker. auctor est: de his omnibus quantum in suam rem converterit Choerilus, incertum est.

---

*) Zu dem *ἄγων μέγαν ὑετόν* des Choer. s. Nonnus XII. 60. *ἄγων ὑψούμενον ὕδωρ*, vom Tupp, bei einer Flut. Id. XXXIX. 140. *ἄγων βιοτήσιον ὕδωρ*, derselbe, bei einer Dürre. E schedis Naekii.

Deinde alterum praeclarum locum Guilelmo Dindorfio debemus, qui edendis atque emendandis veterum scriptorum operibus egregiam operam et iam navavit, et navare cum fratre pergit. Herodianus *περὶ μονήρους λέξεως* pag. 13. ubi de v. *ἀρέθουσα*, *Choerilum* laudat *ἐν ά περσικῶν*,

παρὰ δὲ κρήνας ἀρεθούσας
μυρία φῦλ' ἐδονεῖτο πολυσμήνοισι μελίσσαις.

Descriptio est regionis cuiusdam Atticae. Observandum, praeter insolenter dictum *ἀρεθούσας*, *πολύσμηνοι* epitheton, cui simile *φιλόσμηνος* Nonnus habet. Confirmat hic locus, ut etiam Dindorfius monuit, coniecturas meas, quibus non uno sed pluribus libris constitisse, et *Περσικὰ* inscriptum fuisse carmen Choerili conieci. Sed fuisse etiam alteram inscriptionem, *Περσηΐς*, Stobaei locus Vol. I. p. 435. Gaisf. evincit, in quo genuinum esse, quod primus vulgavit Gesnerus, *Χοιρίλου περσηΐδος*, tum illud fidem facit, quod de codice suo A. narrat Gaisfordius, tum ego dudum mihi persuaseram ex Arsenii Violeto, quod manu Chr. Fr. Matthaei scriptum exstat in Bibl. Reg. Dresd. Quod enim ibi Arsenius habet: *Χοιρίλου περσηΐδος Ὅρκον οὔτ' ἄδικον χρεὼν ἔμμεναι οὔτε δίκαιον*, unde tandem habet, nisi e scripto Stobaei codice? Fuit etiam, sed alio argumento, *Περσηΐς* Musaei Ephesii, teste Suida. Porro, quoniam inter inedita versamur, Choerili fragmentum primum, quod ego dederam a Victorio acceptum, nunc tandem ex ipso fonte protulit Gaisfordius ad Aristot. Rhetor. III. 14, 4. p. 448. seq. Ibi confirmatae codicis auctoritate inveniuntur coniecturae meae, quas ego quum recipere debuissem, rursus respui nescio quo stupore. Nam versu 1. *ἀοιδέων* scribendum, aut, quod nunc praetulerim, cum codice Gaisfordii *ἀοιδῆς*; et versu 4. *πῃ* aut *πῄ*. Admonuit iam de utroque Hermannus. Denique versu 4. etsi defendi potest *ἔσται*, praestat tamen atque accommodatius est, quod e codice dedit Gaisfordius, praesens.

5 Testimoniis de Choerilis addatur Festi locus v. *tam*: *quam bonus Homerus, tam malus Choerilus* (vulgo *Cherylus*) *poeta est.* Quod tamen cavendum ne quis ex aliquo scriptore petitum a Festo existimet. Ipse suam in rem Festus hoc exemplum fecit, recordatus Horatii A. Poet. 357. sqq. Et quoniam etiam de

nomine *Choerili* disputatum est, commemorari poterat *Choerilus* apud Martialem I. LXVIII. sed huic tamen nihil cum nostris Choerilis commune esse puto. Ad pag. 58. ubi de Suidae glossis: *Χοιρίλη· ἡ Ἑκάβη*, et *Χορίλη· ἡ Ἑκάβη*, addatur Euripidis uxor, *Choerile*, ut vulgo in vita Euripidis: non habeo enim cur praeferam Suidae v. *Εὐριπίδης* scripturam *Χοιρίνη*. An forte cognata haec sunt inter se? ut fortasse aliquis Comicus *Χοιρίλην* dixerit Hecubam, illudens in Choerinen, Euripidis uxorem?

Haec sufficiant. Habeo penes me unum alterumque fragmentum, quod quum sine nomine auctoris feratur, Choerilo tribuere quam alii poetae malim; habeo alia aut addenda, aut quae corrigi debeant: quae omnia persequi longum est. Sed ex hoc tamen observationum genere, quae ad illustrandum Choerilum faciunt, unum apponam, ad fragm. quartum, Nonnum XXVI. 340. sqq. qui, post Choerilum Herodotumque, exuvias equinas in galeam conformatas Aethiopibus tribuit suis. Verum ille rem, ut solet, puerilem in modum exornat atque auget.

Vos, Cives, si quid in hac praefatione inveneritis, quod Vobis iucundum sit, laetabimur. Inprimis autem tenebitis, scripta esse haec omnia, ut Vobis novum soholarum indicem commendaremus. Hunc igitur evolvetis, et quae utilia Vobis possint esse, eligetis: quae vero elegeritis, ea intentis viribus persequemini.

XVI.*)

De Theocrito, poeta bucolico, et quae fuerint poesis bucolicae primordia, tum de Bionis et maxime Moschi aetate, quaestio est a viris doctis, qui multi in hoc amoeno argumento elaboraverunt, saepius tractata, confecta atque absoluta, quod equidem sciam, a nemine. Quare mihi nunc liceat, quid ea de re sentiam, in publicum proferre, etiam vestram in gratiam, Commilito-

*) Pridie Nonas Mart. a. 1827.

nes ac Sodales, qui me nuper hoc caput explicantem audivistis, et videbamini delectari explicatione mea.

Igitur haud cunctanter iis accedo, qui Theocritum et principem esse statuunt et inventorem poesis bucolicae. Commendat eam sententiam Suidas v. *Θεόκριτος* — *Ἰστέον δὲ ὅτι τρεῖς γεγόνασι Βουκολικῶν ἐπῶν ποιηταί, Θεόκριτος οὑτοσί, Μόσχος Σικελιώτης, καὶ Βίων ὁ Σμυρναῖος, ἔκ τινος χωριδίου, καλουμένου Φλώσσης.* Idem, de Moscho: *οὗτός ἐστιν ὁ δεύτερος ποιητὴς μετὰ Θεόκριτον, τὸν τῶν Βουκολικῶν δραμάτων ποιητήν.* Utrobique *secundum* dicit, quem debuerat *tertium*: nam Bio prior fuit Moscho. Collectio Musarum bucolicarum illa, in quam epigramma exstat Artemidori Grammatici, utrum sola Theocritea, hoc est, ea fere, quae nunc sub nomine feruntur Theocriti, an praeter Theocritum complexa sit alia, dubium est: si etiam alia, non dubito quin ea Bionis fuerint Moschique carmina. Sed quo facile se ipsa commendat sententia illa, hoc est, quod de nullo poeta bucolico ante Theocritum constat. Inventor rei, nisi ea res per se talis sit, ut magnam sibi antiquitatem originemque valde remotam postulet, merito is habetur, quo nullus reperitur antiquior ac prior inventor. Iam vero has vitae pastoritiae descriptiones, quibus illa Theocriti carmina, quae proprie dicimus bucolica, continentur, quamquam eius generis color et sermo dialectusque etiam ad alia argumenta, e. g. epica, iam ab ipso, ut videtur, Theocrito adhibiti sunt; non ad priscorum hominum ingenium sensumque factas, sed aevo proprias esse, ut sunt diversae populorum aetates, in peiorem partem converso luxuriaque diffluenti, quum homines saepe aliquo abundantiae voluptatisque
4 taedio capti aliunde imaginem simplicitatis revocare et repraesentare sibi, eoque titillare suos animos student: et alii dudum, si recte memini, senserunt, et ego ita persuasum habeo, vix ut potuisse ante Theocriti saeculum excogitari talem poesin putem. Ne quis enim Sophronem Theocrito praeivisse hoc totum genus dicat, ars Sophronis, ut constat disertis veterum auctorum testimoniis, et colligere ex minutis illis fragmentis, inscriptionibusque singulorum mimorum licet, tota in moribus, non certi cuiusdam hominum ordinis, sed variorum, exprimendis, et in dialogo versabatur: ut, exemplum si quaeras, quo mimorum Sophronis na-

tura explicetur atque illustretur, nihil facile invenire queas, quo ille propius accesserit, quam comoediam. Ad hanc autem speciem, praeter carmen decimum quartum, in quo est ubi Sophronem audire tibi videaris, unum est inter omnia Theocriti carmen elaboratum, Adoniazusae.

Quae ipsi pastores ac rustici cecinere graeci, quod quando sit coeptum fieri, et ubi, inepte quaerunt grammatici, quorum de genere bucolico disputationes exstant, graeci, itemque Servius, alii, siquidem prima carminis bucolici origo tam remota est, ut omnem inquisitionem defugiat, occasiones autem, dies festi, sollemnia, quibus publice canentes pastores aut rustici audiebantur, in variis terris, et apud varia oppida vicosque, fuere variae; quae igitur multis ante Theocritum saeculis pastores tum alibi canere consueverant, tum in Sicilia, et in Sicilia fortasse aliquanto frequentius, quam aliis in terris, etsi hanc totam rem ad Siciliam referri nolim, et quod *Siculum* hic illic appellatur carmen bucolicum, magis propter Theocritum fieri, Syracusanum, quam aliis de caussis, censeo: longe maximam partem prorsus rudia, incondita, et qualia exspectares ab hominibus istiusmodi, erant; aut si forte diebus festis carmen aliquod paullo politius cecinerint, id a poeta quopiam in gratiam pastorum, ac pastorum in usum, factum fuisse probabile est. Ut sunt satis culti versus: *Δέξαι τὰν ἀγαθὰν τύχαν, δέξαι τὰν ὑγίειαν,* et qui sequitur, qui tamen quam sint vetusti, et an superent aetatem Theocriti, incertum est. At *poesis bucolica*, quae in descriptione moris pastoritii atque in imitatione carminum pastoritiorum artificiosa posita est, nulla fuit, antequam in artem redacta a poetis, qui non erant pastores, in manus veniret omnium. Atque hoc est, quod negamus factum esse ante Theocritum.

Qui ante Theocritum poetae bucolici commemorantur, vel quorum mentionem apud scriptores antiquos invenire sibi visi sunt nonnulli, omnes accurata inquisitione aut iam amoti, aut sunt amovendi. Daphnis primo, ut eos omittam, quos non sine manifesto errore huc referas, ut Diomum, quem Athenaei locus non satis recte acceptus poetam fecit bucolicum: Daphnis totus fabula est. De Stesichoro Aeliani locum Var. Hist. X. XVIII. au- 5
ctoris parum diligentis, sed tamen non temere contemnendi, ap-

ponam integrum, ut appareat aliquid inesse, si recte intelligatur, veri. Narrat Aelianus fabulam Daphnidis, notam illam, tum pergit: *ἐκ δὲ τούτου τὰ βουκολικὰ μέλη πρῶτον ᾔσθη, καὶ εἶχεν ὑπόθεσιν τὸ πάθος τὸ κατὰ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ. καὶ Στησίχορόν γε τὸν Ἱμεραῖον τῆς τοιαύτης μελοποιΐας ἀπάρξασθαι.* Summa loci, ac verum, ut credere licet, hoc est, quod dudum perceperunt viri docti: primum Stesichorum cecinisse Daphnim. Hoc erraverunt, aut ipsi, aut Aelianus, quamquam error iste non diserte inest in verbis Aeliani, inventorem carminis bucolici esse Stesichorum. Quippe aliud est, celebrem quendam *βουκόλον* inferre in poesin; aliud, poetam esse bucolicum. Sic alios etiam poetas, ubi fabula ferebat, pastores immiscuisse poematis suis, et si immiscuerunt, ea fere loquentes immiscuisse, quae pastores loquuntur Theocriti, suspicor: certe mirum, si non factum esset. Veluti Cyclopem Philoxeni quis similem fuisse rudi illi Theocriteo Cyclopi, aut saltem potuisse similem esse neget? Itaque his et similibus prolusum est quodammodo poesi bucolicae, ita tamen, ut laus novi generis inventi maneat apud Theocritum.

At veri rivales atque *ἀγωνισταὶ* contra Theocritum exsistunt hi: Lycidas Cydonius, Sicelides, h. e. Asclepiades Samius, Philetas Cous. Quos poetas bucolicos fuisse, aequales Theocrito, vel etiam ante Theocritum, et fuerunt viri docti qui statuerent, neque ego quid statui possit aliud video, nisi fides derogetur, idoneo tamen testi, Moscho Epitaph. Bionis, v. 94. seqq. Qui diserte *βωκολιαστάς* hos tres poetas, quos dixi, appellat, eosque lugere, cum Theocrito Syracusano, Bionis mortem dicit. Quid his fiet? Nescio quid existiment alii. Ego illud nunquam credam. Quid enim? De Lycida poeta quis unquam quicquam audivit? Est Lycidas, caprarius et poeta, apud Theocritum carmine septimo, sed persoaa poetica, ut aliae multae apud Theocritum; ut Lycidas Bionis, Epithal. Achill. et Deid. Asclepiadem et Philetam poetas novimus omnes; bucolicos nemo novit: nisi de Asclepiade aliquid vanae Reiskii in Meleag. carm. I. 45. 46. opinationi tribuas. Grave inprimis Theocriti ipso illo carmine septimo v. 40. testimonium est, utrumque commemorantis, et Sicelidam, qui est Asclepiades, et Philetam. Iam quid ibi Theocritus? num poetas eos fuisse bucolicos significat? Minime vero. Commemorat eos

tamquam poetas simpliciter. Neque graecis ad eum locum inter-
pretibus quicquam de Asclepiade et Phileta bucolicis in mentem
venit. Deinde, quod ex Moschi loco efficitur, mortuum Bionem
ante Theocritum esse, et aequalem Theocrito Moschum fuisse,
tum aliis de caussis parum simile veri est, tum pugnat cum lu-
culento Suidae testimonio, qui Moschum γνώριμον tradit Aristar-
chi fuisse. Iam Aristarchus regnante Ptolemaeo Philometore vi- 6
xit; Theocritum vero temporibus Ptolemaei Philadelphi floruisse
constat.

Enimvero non est iste Moschus, qui tam inaudita canit. Versus sex, quibus ista continentur, 94. et qui sequuntur, quantum librorum attinet auctoritatem, tam suspecti sunt, quam qui maxime: ut semper miratus sim tum aliorum, tum maxime Valckenarii confidentiam, qua ille bis propugnavit pro versibus levissimae auctoritatis, ad Epitaphium Bionis seorsum editum cum Iliadis libro XXII. pag. 81. et in sua Bucolicorum editione. Verum Valckenarium Scaliger, Scaligerum confidentem fecerat impudentia, non vereor enim impudentiam dicere, Mureti. Nimirum, quae saepe virorum magnanimorum sors est, ut inermes deprehendantur, et opprimantur, si quis eos malis artibus aggrediatur, Scaligero Muretus tamquam malus genius additus, et alio tempore fraudem fecit, et Moschi codicem mentitus est, qui codex aut nullus usquam fuit, aut, quum vetustissimum diceret Muretus, longe fuit recentissimus. Nunc ego novis argumentis plane non posse genuinos esse versus istos demonstro. Ergo deleantur. Evanescunt poetae bucolici Lycidas, Asclepiades, Philetas, et Moschus rursus suam in ordine temporum sedem occupat. Nam ut locum Moschus scriptum reliquerat, versus qui vulgo centesimus est, ἐν δὲ Συρακοσίοισι Θεόκριτος, aliam sententiam efficiebat, quam nunc facit receptis versibus Musuri sex. Enumeratio erat poetarum bucolicorum, hunc in modum: *Tu, Bion, facile omnes poetas superavisti, princeps carminis bucolici, quo Smyrnae excelluisti: eodem apud Syracusanos Theocritus; ego vero, tertius, discipulus tuus, heresque artis tuae, carmine Ausonio parento tibi.* Theocriti obiter ac breviter mentionem facit, et ita, ut primaria laus maneret penes Bionem, quamquam non puto tantum ausum esse Moschum, ut etiam inventionem poesis buco-

licae Bioni attribueret. Igitur posthac cum Moschus in historia litterarum graecarum locum obtinebit, quem illi assignat Suidas. Ac videant viri eruditi, an lucrum fecerimus sic posita et constituta Moschi aetate. Docent Bio et Moschus, praeclaro exemplo, aetatem illam quamvis seram atque infelicem, carmina tamen ferre politissima, versus elegantissimos, potuisse.

Denique, quae nova erit sententiae nostrae commendatio, secundaria quidem, grata tamen, docebimus, unde is, qui versus istos fecit supposuitque Moscho, quem quidem ego cum aliis Marcum Musurum esse puto, celebrem suo tempore poetam graecum, ut ex Boernero disci potest, et fortasse etiam epigrammatis in novem Lyricos, quod primus Zach. Calliergus edidit, praepositum Pindaro suo, auctorem: certe antiquum non est: e quibus igitur Musurus fontibus sua derivaverit. Laboravit autem non
7 multum: hausit enim tantum non omnia ex Theocriti carmine septimo. Primum ex eo Lycidam Cydonium, Sicelidam, Philetam, desumpsit: bucolicos fuisse, de quo nihil in carmine illo legitur, addidit de suo, ut etiam ipse suo Marte ac periculo aequalem Moscho Theocritum fecit. Deinde, quae iam observata esse Longopetraeo p. 445. ed. Schwebel. video, *πάντες ὅσοις χαπυρὸν τελέθει στόμα — ἐκ Μοισᾶν*, nam sic construi verba voluisse Musurum probabile est; et *ὃ πρὶν μειδιόωντι σὺν ὄμματι*, de Lycida, ex eodem carmine septimo Theocriti: illud ex versu 37. *καὶ γὰρ ἐγὼ Μοισᾶν χαπυρὸν στόμα*; hoc ex v. 20. *ὄμματι μειδιόωντι*, coll. v. 42. 128. Porro *Halenta* fluvium in Co insula fecit, partim propter Theocrit. carm. V. v. 123. sed magis propter carminis septimi versum 1. et propter scholia graeca ad eos locos; itidem quum *πολίταις* scripsit *Τριοπίδαις*, *Coos* intelligi voluit, a Triope, rege Coo, de quo testimonium ante oculos habebat schol. Theocrit. XVII. 68. *βωκολιασταί* vocabulum ex Theocr. V. v. 68.

Haec fere annotaveram, quum primum hanc mecum disquisitionem institui. Nuperrime, conscripturus leviter ante adumbrata, dum varias Bucolicorum editiones perlustro, an forte, quod ad rem meam faceret, novum aut neglectum a me antea, vel adeo, quod facile posse fieri existimabam, occupatas ab alio observationes meas invenirem, incidit in manus Theocritus Zachariae

Calliergi, quo egregie confirmari opinionem meam intellexi. Ac paene plenius confirmatam repperi quam expetiveram. Quam diu enim incertum per auctoritatem testium videbatur, utrum versus istos Musurus ex aliquo codice protulisset, an Moscho supposuisset ipse, poteram in sinu gaudere, meamque mihi sagacitatem gratulari, quod unus, quos tot viri eruditi aut patienter tulissent, aut studiose defendissent atque commendavissent, necessario esse spurios scirem. Nunc, postquam testimonium protulero Calliergi, nemini amplius tueri istos licebit. Zacharias enim Calliergus, qui primus hos versus, quantum nobis compertum est, vulgavit, breviter, sed perspicue, Musuri versus esse, neque id negare Musurum fraudemque facere voluisse testatur. Apponam totum locum, ut editus legitur apud Calliergum, inde a versu 93.

εἰσέτι σεῦ τὸ μέλισμα κινύρεται ἁ μιτυλάνα·
Μάρκος ὁ μουσοῦρος, ἔλεγε τοιαῦ
τά τινα λείπειν·
·Ẋ· *πάντες ὅσοις καπυρὸν τελέθει στόμα βωκολιασταὶ,*
ἐκ μοισῶν σέο πότμον ἀνακλαίουσι θανόντος·
κλαίει σικελίδας τὸ σάμιου κλέος ἐν δὲ κύδωσιν,
ὁ πρὶν μειδιόωντι σὺν ὄμματι φαιδρὸς ἰδέσθαι,
δάκρυα νῦν λυκίδας κλαίων χέει· ἔν τε πολίταις 8
τριοπίδαις ποταμῷ θρηνεῖ παρ' ἄλεντι φιλητᾶς· ·Ẋ·
ἐν δὲ συρακοσίοισι θεόκριτος· αὐτὰρ ἐγώ τοι

et quae seq. Neque editores Theocriti antiquiores, qui proxime Calliergum exceperunt, ea res latuit: repetierunt versus istos, sed prudenter addiderunt admonitionem Calliergi, Basileensis per haered. Andr. Cratandri 1541. tum, quod ex I. A. Iacobsii, viri amicissimi, Praefatione p. XXXIX. disco, Francofurtensis P. Brubach. 1545. et, quae mihi praesto est, gemina illi, Francofurtensis P. Brubach. 1553. itemque Genevenses, ea, quam describunt Harlesius Introd. Hist. L. Gr. T. I. p. 515. Bibl. Gr. Fabric. Vol. III. p. 786. Iacobsius Praef. p. XLVI. et recentior, sumptib. Ioannis de Tournes 1639. Stephanus vero sapientissime, in Poetis Graecis Principibus heroici carminis, versus Musuri in appendicem p. 487. relegavit, locum Moschi ipsum p. 273. lacunae signis notatum exhibuit, atque haec monuit in margine: *Τοὺς στίχους οἷς ὁ μουσοῦρος τὰ λείποντα ἀνεπλήρωσε, ζήτει κατὰ*

τὸ τέλος τούτων τῶν εἰδυλλίων. in editione autem minore a. 1579. adscripti ad interpretationem latinam Eobani Hessi leguntur p. 375. cum simili admonitione. At recentiores Bionis et Moschi editores, ac recentissimi, aut nullam harum editionum, quae istam exhibent admonitionem, viderunt, quod tamen vix credibile est; aut eam neglexerunt, quam unde profecta esset ignorarent; aut, quum scirent a Calliergo profectam esse, nescio quo casu noluerunt tantum ei tribuere, quantum tribuendum erat auctori antiquissimo ac locupletissimo.

XVII.*)

Quae inquirentibus in veterum monumenta philologis saepe offertur quaestio ac dubitatio, quid antiquum sit, quid recentioris aetatis, quid genuinum, quid ei, cui vulgo tribuitur, auctori abiudicandum, etsi de multis locis atque operibus magna inter viros doctos dissensio est, eritque in perpetuum, tamen in universum suas quasdam regulas habet, de quibus convenit inter omnes. Ex quibus regulis ea nunc, quae sunt maxime generalia, non docebimus Vos, Commilitones, tamquam nova: didicistis enim iam dudum, vel potius suus quemque Vestrum sensus haec docuit; sed in mentem Vobis revocabimus, ad ordinem quendam disposita. Percurremus autem varia, quibus adulterina a genuinis, vel non antiqua ab antiquis distinguuntur, indicia: non singula omnia, quod infinitum foret, sed genera eorum, novoque unum quodque genus exemplo illustrabimus.

Ea indicia, quum omnis scriptio duabus rebus constet, verbis, et quae ex verbis efficiuntur, sententiis, aut in verbis cernuntur, aut in sententiis sive argumento. Et in sententiis quidem, ut de his incipiamus, dupliciter. Primum genus illud esto, quum *in rebus* deprehenduntur tam falsa, tam contraria optimis testimoniis, ut tradi ab antiquo scriptore potuisse incredibile sit. Ex

*) Pridie Cal. Sept. a. 1828.

hoc genere erat, quod ante hos sex menses Prooemio Indicis scholarum aestivarum pertractavimus: versus sex Moscho suppositi, vel potius per errorem illati in carmen Moschi. Verum quam diu talia latere multos possint, et felicitate saepe quadam opus esse, ut tandem sive fraudem sive errorem cognoscas atque aperias, hoc ipsum exemplum docet. Nam quae versibus illis dixi inesse incredibilia, neque alios male habuerunt, neque me fortasse, qui multo sum illis doctrina atque ingenio inferior, male habuissent, nisi infixa animo meo suspicio eo, quod deesse versus istos viderem in optimis libris, fuisset. Caeterum, quod postmodo in mentem venit, coniectura, ut mihi videtur, haud inepta 4
est, in versibus Moschi iis, qui interciderunt eo loco, mentionem factam fuisse *Phlossae:* ut ex hoc Moschi testimonio ductum sit, quod Suidas v. *Θεόκριτος* scribit: *Βίων ὁ Σμυρναῖος, ἐκ τινος χωριδίου καλουμένου Φλώσσης.*

Alterum indiciorum genus eorum est, quae ex ipsa sententiarum conformatione petuntur. De his longa disputatio, cuius eam tantum partem attingam, quae omnium difficillima est. Sunt igitur argumenta quaedam, et est quaedam argumenti tractatio atque compositio, a qua se abstinuerunt antiqui. Nemo, puto, negat: verum, in quo difficultas est quam dixi posita, quum quae tractatio antiquis hominibus placuerit, quae non placuerit, non tam demonstrari queat, quam sentiri debeat, de nonnullis plena omnium consensio est, alia uni potuisse scribi ab antiquo scriptore videntur, alteri non videntur. Utar hanc in rem Epigrammate in novem Lyricos, cuius obiter mentionem feci, quum de loco disputabam Moschi. Et hoc quidem, quod ibi conieci, factum esse epigramma istud a Marco Musuro, iam tum dubitanter conieci, sed plane non debebam coniicere: memineram unius Calliergi, non memineram tot codicum scriptorum, e quibus illud nuperrimis temporibus prolatum est, apud Boeckhium. At in re ipsa, quod antiquum esse epigramma negavi, persto. Ac licebit, quum nuper Collega eruditissimus atque amicissimus contrariam huic meae sententiam professus sit, breviter quid ego sentiam declarare, non ut litigem cum illo, sed ut audiat, quae mea mecum ea de re cogitatio et ratiocinatio fuerit. Igitur primo dictio epigrammatis parum elegans vel potius rudis suspicionem mihi

iniecit, versus parum rotundi. Atque hanc caussam fuisse recordor, cur coniecturam istam meam de Musuro tam dubitanter proferrem: Musurum enim meliores fecisse versus scimus. Sed gravius etiam me commovebat tota argumenti tractatio sententiarumque conformatio, quae mihi quidem plane talis esse videtur, ut digna grammatico longe recentissimo sit, non scriptore antiquo. Comparabam quae epigrammata eodem argumento in Anthologia exstant, *ἀδέσποτα*, sed tamen antiqua: utrumque hilare atque floridum prae huius ieiunitate. Quid enim ieiunius, quid magis grammatico, sed recentissimo, dignum, quam epigramma in novem Lyricos conflare ita, ut singulis unum cuique distichon detur, in quod patriae patrisque mentionem et *dialecti* infercias? Hoc inprimis, de dialecto, prorsus Graeculi est, notitiam litterariam scribentis in usum discentium. Aliud est quum Sapphus *Αἰολίδες χάριτες*, *κιθάρᾳ Αἰολίδι* de Alcaeo, *Aeolium carmen* Horatio, *ἅ τε φωνὰ Δώριος*, de Epicharmo, dicitur. Denique, cui observationi multum tribuo, quaecumque hic poeta habet,
5 omnia apud Suidam inveniuntur, et omnino nihil aliud quam Suidam evolvisse in singulis poetis, ab eoque sumpsisse, quae commode in versum cogi possent, videtur. Ausus est etiam colligere atque elicere ex verbis Suidae ea, quae non insunt diserte; versu 9. ubi Ibyco patriam tribuit Rhegium, aut *Μεσήνην*, *Messanam*: utrumque e Suida, quamquam Suidas hoc tantum tradit, patrem eius, secundum nonnullos, fuisse *Μεσσήνιον*. Eodem refero, quod Ibyco v. 10. patrem tribuit *Eelidam*. Suidas *Phytium* dixerat. Noster, miro lusu, scilicet memor glossae graecae: *φύτιος· ἥλιος*, pro *Φυτίου* fecit *Ἡελίδα*, quod potius debuerat *Ἡλιάδα* esse. Versu 6. fortasse alium Suidae codicem ante oculos habuit: veram scripturam nominis hanc fuisse coniicio: *Εὐρύγυος*, *Εὐρυγύου*.*) At in versum 16. e Suida *Λεωπρεπέα*, in v. 19. *Δάμαντος* ex eodem, et in v. 18. eodem Suida praeeunte, *Μείδωνος* inferendum crediderim. Versus 11. de patre Anacreontis quin corruptus sit dubitari nequit. Sed apponam distichon.

---

*) *Εὐρυγύης*: Hesiod. Fr. XLV. E schedis Naekii.

Παρθενίου δὲ πατρὸς λιγυρὸς παῖς Ἡετιήου
ἦν ἄρα μελπόμενος Τήϊος Ἀνακρέων.

Aliquando coniiciebam in *Ἡετιήου* latere *ἤ* coniunctionem et nomen patris aliud, restituendum e Suida, qui plura patris nomina habet. Nunc ita corrigo utrumque versum:

Παρθενίου δὲ πατρὸς λιγυρὸς παῖς ἦν Τηΐοιο *)
Ἰάδι μελπόμενος Τήϊος Ἀνακρέων.

Codices scripti apud Boeckhium ita variant: *Ἡετηΐου*, *Ἡετίκοιο*, *Ἠτίκοιο*. *Ἰάδι* quum iam antea coniecissem: non potuit enim in uno Anacreonte *dialectus* omitti, et habet Suidas *Ἰάδι πάντα διαλέκτῳ*: postea confirmatum repperi quinque codicibus Boeckhii, in quibus non *ἦν ἄρα*, ut vulgo legitur, sed *ᾄδει*. Igitur ex *ἰάδι* factum est *αδι* vel *αιδι*, hinc *ᾄδει*. Mihi nunc epigramma, ut aliquid dicam, eo fere tempore factum videtur, quo Vita Pindari conscripta est, quae Thomae tribuitur Magistro.

Denique ex verbis sive ex sermone, cuius in poetis etiam metrum pars est, si quid non antiquum, cognoscitur. Quae semper tutissima omnium manebit demonstratio. Documento esto *Lyricum*, quod dicitur, *ad Lydiam*, apud Burmannum Anth. Lat. lib. III. ccxix. ap. Wernsdorf. Poet. Lat. Min. T. III. p. 398. Quod quum Iul. Caes. Scaliger dudum quo loco habendum esset, verbo monuisset, Iosephus autem Scaliger et Pithoeus sapienter praeterissent, recentior aetas rursus pro antiquo habere, *delicatissimum*, et *valde elegans* appellare; unus, quum olim Cornelio adscriptum fuisset Gallo, Valerio Catoni tribuere, quod etiam magis incredibile, coepit. Et sane, si quis cum viris doctis, argumento, quod *delicatum* esse concedo, carminis delenitus, neque in sen- 6
tentiis haereat, quarum tamen ad meum sensum non antiqua conformatio est, et quae insunt prava Latinitate et prorsus barbara, qualia versu 18. et 24. leguntur, aut excuset, aut tollenda esse emendatione contendat: quid ei faciamus? Nempe unum faciemus. Rationem opponemus metricam: in quam si accurate inquisitum a quoquam fuisset, dudum haud dubie inter omnes conveniret, carmen origine esse longe recentissima. Est carmen numero, si hic numerus dici queat, dactylico scriptum, sed hac

*) S. *Τηΐη* od. *Τεΐη* Timon. Athen. p. 160. A. E schedis Nackii.

conditione, vel potius hac licentia, nulla ut positionis ratio habita sit, elisio ut nunc observetur, quod versu 23. factum est, nunc negligatur, ut v. 4. 15. denique ut versus praeter dactylum non solum spondeum, sed etiam pro dactylo anapaestum, tribrachum, creticum, molossum, bacchium, itidemque pro spondeo quemvis pedem bisyllabum admittat. Audio: quid, malum, hoc metri est? Neque repugno, si quis metrum hoc esse neget. Sunt versus ad accentum facti, politici, sive rhythmi vulgares, quo de genere Santenius ad Terentianum, et nuper unum alterumque exemplum I. D. Fuss, Dissertat. de versibus homoeoteleutis, edit. alt. Nostrum carmen non memini a quoquam esse ad hanc disputationem adhibitum. Itaque rhythmi ita procedunt: *Lýdia bélla puélla cándida, Aút expolitum ébur 'Indicum, Sic me destituis iám semimórtuum.* Leges sibi poeta has scripsit, ut caesuram faceret in fine pedis secundi excepto versu 1. tum ut primus in versu pes et quartus semper essent trisyllabi: qua tamen in re cavendum est, ne quis ex his, *Albamque*, *Productum*, *Perfusas*, *Compresso*, *Candore et*, dactylos efficere pronunciando conetur: quod repugnaret usitatae pronunciationi latinae. Est ibi potius secunda syllaba acuenda, ut quasi anacrusis quaedam exsistat, hunc in modum: *Perfúsas rúbro púrpurae Tý́riae*, et sic reliqua. Quem etiam in modum accipiendus versus 9. non sic: *Pánde puélla | stéllatos óculos*, sed sic: *Pánde puélla | stellátos óculos.* Et sic, puto, versus 6. *Flávos*, *lucéntes | ut aúrum nitiáum.* Praeterea totum carmen in duas partes dividitur, quarum posterior a v. 17. aut a v. 18. incipit, et strophae describi sex possunt, quarum una quinque, reliquae versibus constabunt quatuor. Iam quam recens sit carmen, non quaeram cupidius. Repperi illud ipse in codice membran. qui inter versum 24. et 25. hunc insertum habebat tamquam novum versiculum: *Molliter ac lepide sanet.* Quae exclamatio est exsultantis inter legendum tenebrionis, adscripta in margine, postea in carmen illata ipsum.

Haec habuimus hodie. Vos utimini feliciter, et amate has litteras.

XVIII.*)

Veterum scriptorum lectionis atque interpretationis una difficultas in eo posita est, quod veteres scriptores, et quorum beneficio exemplaria ad nos antiqua pervenere, librarii, externis quibusdam intellectus adiumentis atque adminiculis aut prorsus abstinuerunt, aut multo, quam nos, parcius usi sunt. Dico interpunctionem, et varia artificia, quibus orationi nostrae lucem quaerere solemus: dum vocibus, quas distingui a reliquis volumus, litteras initiales maiores appingimus, aut voces singulas propria litterarum forma conceptas, vel alio modo notatas exhibemus. Scilicet veteres illi, qui multum operae in scribendo ponebant, recte ac perspicue scripta nullo alio egere praesidio existimabant; apud nos saepe, quo quis se negligentius vel obscurius scribere sentit, eo cupidius signa tamquam medicamenta obscuritatis arripit. Sed dicturus eram de locis aliquot Aeschyli.

Apud Aeschylum in Agamemnone Cassandra, ubi exuit atque abiicit ornatum, scipionem, et collare *μαντικόν*, inter alia praeclara, nam omnia ibi divina sunt, hoc dicit v. 1268.

ἄλλην τιν' ἄτην ἀντ' ἐμοῦ πλουτίζετε.

Ubi *ἄτην* suspectum fuit interpretibus, nisi qui me fugerit, omnibus. Coniecerunt *ἄτης*, *ἄτῃς*, *ἄταις*, quod etiam obversabatur egregio interpreti huius fabulae, qui duplici modo interpres est, quum et transtulerit eam in sermonem nostrum, et exquisitissimas translatione sua explicationes expresserit: Bereichert unheilschwanger eine andere. Equidem si *Ἄτην*, littera maiore, scriptum invenissent, neminem de vitio fuisse cogitaturum arbitror. Cassandra se ipsam *ἄτην*, *noxam*, dicit: non contendo enim *Ἄτην* scribendum esse; satis est *ἄτην*, ut supra v. 386. 1124. 1230. Soph. Antig. 529. (533.) Eurip. Androm. 103. alibi. Sed quomodo Cassandra se ipsam *ἄτην*, *noxam*, dicit? Egregie, nisi me sensus fallit. Nempe per se innocentes sunt fatidici. Verum quum haec omni tempore fatidicorum et vatum sors fuerit, raro

*) XII. Cal. April. 1829.

ut avertant mala, sed ut fidem tum demum inveniant plerumque, quum tristi eventu comprobantur effata eorum, odium quoddam coniunctum est cum munere vatis, ita ut ipse videatur *noxa* esse,
IV quia auctor quodammodo mali videtur is esse, qui primus illud sciverit atque edixerit. Id quam maxime in Cassandram cadit, cui haec fatalis erat et a deo imposita conditio, ut nunquam audiretur: quare illa quocumque pedem infert, cladem necemque affert. Vaticinabatur Troiae: perit Troia. Accedit in Graeciam, vaticinatur: interimitur Agamemno. Quis hanc non *noxam* dicat? Caeterum in verbis Aeschyli illa iam satis nota prolepsis sive anticipatio observanda est: ornatum enim suum Cassandra transferri iubet in aliam, non quae iam sit vates, sed ut assumpto eo ornatu vates et noxa fiat. Video nunc *Ἄτην* legisse H. Vossium.

Difficilior locus alter est, Agam. 1235. Eo loco Cassandra Clytaemnestram denotans, quam non dicit nomine, quodnam monstrum, inquit, vocabo illam? *viperam*, an *Scyllam*, an

> *θύουσαν ᾅδου μητέρ', ἄσπονδόν τ' ἀρὰν*
> *φίλοις πνέουσαν;*

Ibi *θύουσαν ᾅδου μητέρ'*, etsi mire dictum, satis tamen illustratum est proverbio Anglico, the devil's dam, cui etiam nos Germani consimile habemus. De postremis tantum quaeritur, an emendanda sint, et quomodo construenda. Et constructionem quidem quod attinet, id pono tamquam certum, non posse eam ita institui: Orci matrem, quae furit, et imprecationem vel, ut alii legunt, Martem amicis spirat. Nova, et a praecedentibus diversa, verbis *ἄσπονδόν τ' ἀ. φ. πνέουσαν* Clytaemnestrae appellatio continetur. Igitur *Ἀρὰν* scribo, vel scribi posse, si cui ita placeat, concedo, ut alibi *Erinnys* vocatur Helena: mihi *ἀρὰν* sufficit. Quid illam, inquit, dicam: *viperam, an Scyllam, furentem Orci matrem, furiamque implacabilem concitatam in proximos?* Variat orationem, dum primam et alteram appellationem particula *ἢ* disiungit, tertiam ponit asyndeton, et quartam particula *τέ* annectit. *ἄσπονδον* autem *ἀράν*, rectissime, h. e. nulla libatione placabilem: nam vulgo *ἀραὶ* placabiles putabantur; unde Clytaemnestra in Electra Sophoclis, visis nocturnis perterrita, libari Agamemnoni iubet, nimirum eo consilio, ut placaret *ἀρὰν*

occisi a se mariti, eodemque consilio eadem, ut est in Eumenidibus, illa tam multa obtulit Deabus, quae tuentur ratasque faciunt *ἀράς*. Euripidi Alcest. 424. (436.) Orci epitheton *ἄσπονδος* est. Deinde *φίλοις* acuendum est atque erigendum pronunciando.

Haec modeste disputata, et lenia esse locis satis impeditis remedia fatebimini. Nunc, ut etiam audaciae specimen aliquod edam, in loco impeditissimo, de Typhoeo, Prometh. 354. quem versum quum corruptum esse statuant omnes, nullus tamen ita emendavit, ut probabilis emendatio fuerit, inter *πᾶσιν ὅς* et *ἀντέστη θεοῖς* lacunam esse unius versus coniicio, hac fere sententia: qui cunctis unus insana rabie diis obstitit. Itaque hac de re alii iudicabunt, et iudicabit ille, a quo exspectamus Aeschylum, Hermannus.

XIX *)

Non male ante aliquot annos hac ipsa opportunitate, qua nunc utimur, id est, in Prooemio Indicis Scholarum academicarum, de *coniectura* dictum est, ac demonstratum, quantum quidem licebat per brevitatem, quomodo oriri coniecturae soleant. Sunt tamen loci tam desperati, nulla ut ingenii contentio, nulla virium animi, quas convocandas atque adhibendas Critico esse diximus, sufficiat. Ibi satis fecisse putabitur, qui ad eam veri similitudinem rem adduxerit, in qua consisti posse videatur. Scitis enim, ubi demonstrare quid scriptum fuerit, non licet, aliquid esse, si indices, quid potuerit scriptum esse.

Usi sumus in dissertatione nuper ad indicendum diem festum, Natalem Regis, edita, pag. 22. Callimachi Fragmento CCLI.

τίνος ἠρίον ἵστατε τοῦτο;

Id, ut ab Etymologo profertur, nullam difficultatem habet, recepta

---

*) IX. Cal. Sept. 1829.

Bentleii correctione, quam ille prius dubitanter, Animadv. ad Callim. hymnum in Iov. v. 87. postea in Fragmentorum collectione fecit confidentius, ἵστατε. apud Etymologum vulgo ἵσταται legitur. Verum quem excitavimus testem alterum, ab Etymologo mirum in modum discrepat. Apponam utrumque locum, quo simul appareat, quod non inutile observatu est, re vera testes esse duo, non, ut alibi factum est saepe, unum ex altero, vel ex eodem utrumque grammatico sua hausisse. Etymol. M. ἤρια, καὶ ἠρία· — παροξυτόνως δὲ, τοὺς τάφους, παρὰ τὴν ἔραν· τὸ γὰρ παλαιὸν ἐν τοῖς κοιλώμασι τῆς γῆς ἔθαπτον, μήτε σιδήρῳ μήτε χαλκῷ κεχρημένοι. ἢ παρὰ τὸν ἀέρα, ἤγουν τὸν ἐπικείμενον σκότον τοῖς τεθνεῶσι. Θεόκριτος· καὶ ἠρία κεκμηώτων. καὶ Καλλίμαχος· τίνος ἠρίον ἵσταται τοῦτο; Theocritum quod attinet, ego verba καὶ ἠρία κεκμηώτων aut ex deperdito Theocriti carmine, aut, quod praefero cum Orvillio, Theocriti locum ex carmine II. v. 13. esse censeo, memoriae vitio non satis accu-
IV rate exscriptum. Herodianus Hermanni p. 309. ita: Ἁμαρτάνουσιν οἱ λέγοντες ἐπὶ τῶν τάφων ἡρῷον, δέον λέγειν ἠρίον, ὡς ὁ Καλλίμαχος, παρὰ τινὸς, ἠρίον. τὰ γὰρ τούτων. ἡρῷον δὲ λέγεται ἡ τοῦ ἥρωος εἰκών, etc. Sic ibi Codex. Intellexit Hermannus Callimachi verba esse eadem quae in Etymologico v. ἠρία, atque inde emendavit, assumpta ista Bentleii correctione: recte omnino. Sed παρά qua ratione corrigendum sit, id se non intelligere fatebatur, tum quidem; neque ego an invenerit correctionem postea, compertum habeo: ipse nihil inveni, quod probabilitatem habeat, praeter unum hoc, latere in παρά verbum Callimachi, coniungendum cum sequentibus τίνος ἠρίον etc. Quae etiam Hermanni sententia fuit, ut ex eo apparet, quod locum ita distinctum exhibet: ὡς ὁ Καλλίμαχος, παρὰ τίνος ἠρίον ἵστατε τοῦτο. Nam quod aliquis in παρά carminis nomen Callimachei latere coniiciat, ea coniectura fundamento caret, quum nullum Callimachi carmen simili nomine fuerit. Perstringemus etiam alias coniecturas, vel potius coniecturarum umbras ac simulacra, qualia nasci de loco difficiliore cogitanti, sed vix nata rursus dilabi solent. Sic iusto audacius foret, transpositione adiuvare locum velle, hunc in modum, ὡς παρὰ Καλλιμάχῳ. Non magis probabilis coniectura πού pro παρά, in quod aliquis inci-

dere possit propter locum eiusdem Grammatici p. 302. *ὥς που ὁ Μένανδρος.* Subtiliorem ac doctiorem rationem hanc dixeris, si quis lacunam esse statuat, sic fere supplendam: *ὡς ὁ Καλλίμαχος, παρὰ [τὴν ἔραν]· τίνος ἠρίον* etc. At vero non solet *ἐτυμολογεῖν* hicce Grammaticus. Ut taceam non aptam esse collocationem verborum: tum enim ista, *παρὰ τὴν ἔραν*, in fine ponenda erant, post verba Callimachi, vel etiam post verba *δέον λέγειν ἠρίον.* Igitur restat ut *παρά* illud, quicquid sit, Callimachi fuisse verbum statuamus. Hoc unum est. Deinde quum credibile sit Grammaticum non lacera diversarum sententiarum membra, sed unam atque continuam sententiam apposuisse ex Callimacho, hoc statuemus alterum, corrupta voce *παρά* contineri exclamationem aliquam, vel alloquutionem, quae quidem coniuncta fuerit cum hac interrogatione: *τίνος ἠρίον ἵστατε τοῦτο;* Iam vero quae fuerit exclamatio sive alloquutio, id eo difficilius ad divinandum, quo clarius apparet, pessime habitum esse totum Callimachi locum in codice illo Augustano. Qui enim librarius pro his verbis: *ἵστατε τοῦτο*, ista prorsus sensu cassa exhibet: *τὰ γὰρ τούτων*, quantum ille fidei habet, quum *παρά* exhibet, cum manifesto vitio metrico? Patet excidisse litteras aliquot, vel syllabam, si non plures, certe unam. Quare codicem exspectandum esse meliorem, aut alium grammaticum reor: quae spes est in hac laudabili industria temporis nostri haud inanis. Mihi, dum teneo ac persequor meam coniecturam, qua ad *Hecalen* retuli fragmentum istud, haec in mentem venerunt: *πατέρες, τίνος* V
ἠρίον ἵστατε τοῦτο; apta Theseo iuveni appellatio colonorum vicinorum Hecales. vel: *ἕταροι, τίνος* etc. *ἑταῖρος*, vel *ξένος*, blanda ac familiaris appellatio eius, cuius nomen ignoramus. Vel sic, ut aliquid ludam liberius: *ἄττα γέρον, τ. ἠ. ἵ. τ. ἄττα γέρον* Callimachus Epigr. I. 3. Interiectionem quam inferam, nullam invenio satis aptam: *παπαί* enim non placet. Cumulavi varia commenta, quo apertius monstrarem nihil me habere, quod satis faciat.

XX.*)

Vehementer omnes, quotquot e cathedra quotidie ora Vestra cernimus intenta sermoni nostro, hac quotidiana consuetudine delectamur; et quorum rationes ita ferunt, ut etiam colloquendo et disputando in communibus studiis magister et iuvenes elaborent, multa cum voluptate recordamur, quoties aut Vos bonas observationes feceritis, aut ipsi aliquid novi ac boni protulerimus, quod Vobis valde placere, Vosque in assensionem rapere statim plenissimam videretur. Tale hoc est, quod nunc prolaturus sum publice: non novum illud, siquidem nova dici nequit, quam totam e codicibus non a te collatis observationem duxeris: sed tamen tunc primi monuimus, neque postea observatio nostra ab alio, quantum mihi quidem constat, occupata est. Locus autem e scriptore eo est, qui non solum philologos, sed etiam alios elegantiae amantes et delectavit semper, et delectabit in posterum.

Apud Moschum in idyllio epico, Europa delenita tauri in quo Iuppiter latebat, blanditiis ac mansuetudine, reliquas puellas, sodales suas, invitat: *age, ludamus, considamus in tauro: tam mansuetus est, tam bene moratus.* Tum v. 108.

ὣς φαμένη, νώτοισιν ἐφίζετο μειδιόωσα·
αἱ δ' ἄλλαι μέλλεσκον. ἄφαρ δ' ἀνεπήλατο ταῦρος,
ἣν θέλεν ἁρπάξας· ὠκὺς δ' ἐπὶ πόντον ἵκανεν.
ἣ δὲ μεταστρεφθεῖσα φίλας καλέεσκεν ἑταίρας,
χεῖρας ὀρεγνυμένη· ταὶ δ' οὐκ ἐδύναντο κιχάνειν.
ἀκτάων δ' ἐπιβὰς πρόσσω θέεν, ἠΰτε δελφίς.
IV *Νηρεΐδες δ' ἀνέδυσαν ὑπὲξ ἁλός· αἱ δ' ἄρα πᾶσαι*
κητείοις νώτοισιν ἐφήμεναι ἐστιχόωντο.
καὶ δ' αὐτὸς βαρύδουπος ὑπεὶρ ἁλὸς Ἐννοσίγαιος,
κῦμα κατιθύνων, etc.

Versus elegantissimi, in quibus neque ante nos haesit quisquam, nisi in rebus secundariis, neque nos haesimus, antequam prolati nuperrime codices immane quoddam vitium latere in loco tam

*) XV. Cal. April. 1830.

luculento admonuissent. Quamquam lectorem ad omnia attentum, et assuetum huic poesi, cuius hoc praecipuum studium est, in parvis elaborare, haerere potuisse etiam non admonitum putaverim. Mira est in versu 113. brevitas dicendi. Taurum non natare, sed ambulare per mare tamquam in sicco, quod facere taurum Iovem infra v. 132. et maxime v. 138. 9. mirans testatur Europa: res erat tam singularis, tam insolens, ut eam iam hoc loco, ubi primum ingreditur taurus mare, accurate enarrare poeta, non obiter indicare verbo *θέεν*, debuerit. Igitur non solum probabiles sunt, sed necessarii, quos feliciter conservarunt duo boni libri F. et N. apud Gaisfordium, versus perboni quatuor:

— *πρόσσω θέεν, ἠΰτε δελφίς,*
χηλαῖς ἀβρέκτοισιν ἐπ' εὐρέα κύματα βαίνων.
ἡ δὲ τότ' ἐρχομένοιο γαληνιάασκε θάλασσα·
κήτεα δ' ἀμφὶς ἄταλλε Διὸς προπάροιθε ποδοῖιν·
γηθόσυνος δ' ὑπὲρ οἶδμα κυβίστεε βυσσόθε δελφίς.
Νηρεΐδες δ' ἀνέδυσαν etc.

Atque sic confecta res est, ut finem facere possem, nisi nonnulla superessent haud inutilia ad observandum.

Ac primo Gaisfordium mirari licet, quod satis habuerit commemorare tam praeclarum supplementum; de se, utrum probaret versus, an non probaret, ne verbo quidem monuerit. At recipere eos in ordinem debuerat. Et debuerant, vel potuerant, viri doctissimi, Guil. Dindorfius, Meinekius. Bonos esse libros F. et N. ipse monet Gaisfordius, ubi recenset subsidia sua, et satis apparet hoc loco: sed etiam aliis locis, ut v. 50. ubi pro versu elumbi, *ἐν δ' ἦν Ζεὺς ἐπαφώμενος ἠρέμα χειρὶ θεείῃ*, quem ita quivis emendandum putavisset: *ἐν δ' ἦν Ζ. θείῃ ἐπαφώμενος ἠρέμα χειρί*, F. et N., hunc etiam magis elegantem, et haud dubie profectum a Moscho, praebent: *ἐν δ' ἦν Ζεὺς Κρονίδης ἐπαφώμενος ἠρέμα χερσί*, vel *χειρί*. F. et N. codices videntur ex iis esse, qui Moschi carmina seorsum scripta, non coniuncta cum carminibus Theocriti, continent: unde colligas multa quae vulgo apud Moschum vitiosa leguntur, tum demum illata esse, quum ab homine non satis diligenti institueretur collectio Bucolicorum illa, quam exhibent editio Romana Calliergi, aliae. Praeterea obser-

vari velim, quod in codice antiquo, quem Gaisfordius codicem F. esse putat, subscriptum erat carmini: *Μόσχου σικελιώτου Εὐρώπης στίχοι ρ ξ ς.* Verissime. Europae Moschi vulgo numerantur versus 162. Adde quatuor illos: habebis 166. Quo numero comprehendi versum carminis ultimum, quem cur indignum Moscho esse iudicaret Valckenarius, caussa erat nulla. Mihi haec tantum bona conclusio videtur:

ἡ δὲ πάρος κούρη Ζηνὸς γένετ' αὐτίκα νύμφη·
καὶ Κρονίδῃ τέκε τέκνα, καὶ αὐτίκα γίγνετο μήτηρ.

Illius, quam Valckenarius appetit, omisso versu posteriore, nimia est, neque his propria poetis, brevitas. An *γίγνετο* displicebat? At plane eodem modo idem poeta supra v. 79. *κρύψε θεόν, καὶ τρέψε δέμας, καὶ γίγνετο ταῦρος. τέκε τέκνα* scripsi e cod. N. pro vulgato *τέκνα τίκτε.*

Sunt etiam alia in versibus quos supra apposui, et in his, quos inseri post versum 113. iussi, observatione digna: ut imitatio Homeri in verbis *κήτεα δ' ἀμφὶς ἄταλλε.* Quae nunc mitto. Hoc taceri non debet, quam facile excidere versus illi quatuor potuerint. Scilicet quum versus 113. et versuum eorum, quos restituimus, quartus, eodem vocabulo, *δελφίς,* concludantur, librarius a versu 113. ad eum qui nunc vulgo 114. at re vera 118. est, aberravit. Denique ut aliquis discat, quid inter poetam antiquum, nec tamen antiquissimum, et longe recentissimum differat, Nonnum comparet, cuius longa est de illo Europae itinere narratio in libro I. inde a versu 45. usque ad v. 137. et 321. sqq. De modo autem, quo Iuppiter taurus mare traiecerit, etsi in illa verborum affluentia strepituque inani nonnulla ita sonant, acsi natantem taurum finxerit Nonnus, unus tamen locus perspicue ostendit ambulare taurum, ut apud Moschum, non natare: v. 53.

VI *διεσσυμένοιο δὲ ταύρου*
πλωτὸς ὄνυξ ἐχάραξε βατῆς ἁλὸς ἄψοφον ὕδωρ,
ἴχνεσι φειδομένοισιν· ὑπὲρ πόντοιο δὲ κούρη etc.

unde sequi videtur *νήχεται* v. 94. non esse proprie accipiendum. Cf. VIII. 254. qui locus etiam verbis similis Moschi loco:

ποθοβλήτοιο δὲ ταύρου
ἄβροχος ἀκροτάτοιο δι' ὕδατος ἔτρεχε χηλή.

Add. XLI. 240. Alii Nonni loci, quos multos de Europa habet,

aut breves sunt, neque pertinent ad hanc quaestionem, aut sunt ambigui, ut ex illis demum, quos apposui, lucem accipiant: ut XXIII. 305. 6. XXXI. 215. Placuit hoc portentum Nonno ita, ut etiam pantheras Bacchi, Panem, alios, per fluenta Hydaspis ambulantes, currentes, siccis pedibus, fingeret, et describeret multis verbis: XXIII. 125. sqq. 168. sqq. cf. XXXIX. 12. 13. Contra vide quam sapienter de equis Neptuni, quam modice, quamvis in re non minus portentosa, Homerus Iliad. XIII. Ut *κυβίστεε* de delphino Moschus, ita Nonnus III. 26. *σιγαλέης δελφῖνα κυβιστητῆρα γαλήνης.* et XXXVIII. 370. 1. *κυβιστητῆρι δὲ παλμῷ — ἕλιξ ὠρχήσατο δελφίς.* Etsi hoc posteriore loco de saltu non voluntario agitur: ut XXXIX. 338. *κυβιστητῆρες ὀλέθρου* pisces dicuntur alii, ad similitudinem loci Homerici Il. XVI. 750.

XXI. *)

De Latinorum genitivo in *ai* quaestio, si tota orthographica esset, neque praeter hoc, *ai* scripsisse priscos Romanos pro *ae*, quicquam spectaret aliud, non multum criticum in scriptoribus latinis versantem attineret: nunc unam illa partem habet, a nemine, quod sciam, accurate observatam, in quā quid sentias, multum interest multis locis. Vetus quaedam mea suspicio est, de qua hodie incipiam exponere, non placuisse antiquis poetis latinis, *i* litteram elidere in genitivo illo. Loquor de forma genitivi ea, quae bisyllaba, quod ita scribere solemus: *aï*. Antiquos autem poetas latinos consulto dico: nam quod ea forma Virgilius in toto Aeneidos opere ter utitur, vel, ut videtur, quater, id tantum abest, ut usitatam aetate Virgilii formam fuisse probet, ut magis probet iam fuisse obsoletam. Voluit eo modo Virgilius, ut saepe, aliquam operi suo dignitatem ab antiquitatis specie conciliare. Sed ne orthographicam quaestionis huius partem neglexisse videar, unum apponam, antequam ulterius progrediar, veteris grammatici locum, qui emendatione opus habet.

*) XI. Cal. Sept. 1830.

Marius Victorinus Art. Grammat. lib. I. 2460. ed. Putsch. vel pag. 19. eius editionis, ex qua expressisse Marium videtur Putschius, ap. Petrum Sanctandreanum 1584. Ae *syllabam quidam more Graecorum per* ai *scribunt, ne illud quidem custodientes, quia* [*quod* Vossius loco statim laudando] *omnes fere qui de orthographia aliquid scriptum reliquerunt, praecipiunt nomina feminina casu nominativo* a *finita, numero plurali in* ae *exire, ut* Aeliae: *eadem per* a *et* i *scripta, numerum singularem ostendere, ut* huius Aeliai: *inducti a poetis, qui* pictai vestis *scripsere: et*
IV *quod Graeci per* i *potissimum hanc syllabam scribunt propter exilitatem litterae. † η autem propter naturalem productionem iungere vocali alteri non possunt. Iota vero quae est brevis, eademque longa, aptior ad hanc structuram visa est. Quam potestatem apud nos habet et* i, *quae est longa et brevis. Vos igitur sine controversia ambiguitatis, et pluralem nominativum, et singularem genitivum per* ae *scribite: nam qui non potest dinoscere supra scriptarum vocum numeros et casum, valde est hebes.* Aliquid in hoc loco vidit G. I. Vossius de Analogia II. IV. p. 672. cuius verissima est ea in parte, quam signo † notavi, restitutio: *propter exilitatem litterae ε: η autem* et quae seq. Quae reliqua disputat Vossius, non sufficiunt. Vitium est in verbis *Quam potestatem apud nos habet et* i, *quae est longa et brevis*, quae verba ad sententiam Marii supervacanea sunt, vel potius perturbant argumentationis, quam instituit Marius, ordinem. Scribendum: *Quam potestatem apud nos habet et* e, *quae est longa et brevis.* Summa disputationis Marii haec est: male eos, qui *ai* iubeant pro *ae* scribi, Graecorum praetendere auctoritatem, *αι* scribentium: nam quod *αι* scribant Graeci, necessitate quadam fieri, quum illi neque *αε* possint neque *αη* in unam syllabam coniungere: contra apud Latinos *e* litteram posse ita coniungi cum *a* littera, ut una fiat syllaba. Igitur Marius, ut plerique, non admittebat *ai* nisi in iis poetarum locis, ubi bisyllabum est, ut in Virgiliano *pictai vestis.* De Graecis Mario repugnantia tradit Scaurus p. 2254. init. P. nescio quo argumento. Si tamen locus sanus est.

Iam elisionem quod attinet, hoc statim mirum videri debet, quod in tanto locorum numero, quibus genitivum in *aï* aut co-

dices vindicant, aut viri docti restituerunt, parvus eorum numerus est, ubi elisionem patitur *i* littera; et multo etiam minor, si illos eximas e numero, in quibus genitivus iste cum elisione virorum doctorum coniecturae, saepe perquam incertae, debetur. Non satis validum per se argumentum, fateor: sed tamen non contemnendum, si caussam addere queas, cur ab elisione sese abstinuisse poetae videantur. Ea hic ad manum est valde probabilis: insuavis fuit Latinis elisio istiusmodi. Non facile invenias similem. Veluti Virgilius *Eoae Atlantides*, *Actaeo Aracyntho,* cum hiatu maluit, quam cum elisione. Eadem est Hermanni Elem. D. M. p. 691. de loco Horatii II. XX. 13. observatio. Ex Plauto *Alcmaeo*, elisa *o* littera, annotatum habeo, Captiv. III. IV. 30. V Sed omnino pauca inveniuntur apud poetas latinos vocabulorum in duas longas vocales, vel in diphthongum et longam vocalem, exeuntium exempla, et quae illi e sermone graeco, in quo sunt multa eiusmodi, receperunt, eorum nonnunquam prosodiam immutaverunt ita, ut pro una longa vocali, vel diphthongo, substituerent brevem. Certe *gynaeceum*, correpta penultima, apud Plautum legitur. At in genitivo illo alia cogitari potest singularis causa, cur *i* litteram noluerint elidere. Quum enim Latini etiam antiquissimi non semper hac diaeresi, *aï*, usi sint, sed ibi, ubi commoditas postulabat metri, mirum, si illi quam vix lucri fecissent syllabam per diaeresin, statim perdere rursus atque obscurare per elisionem voluerint. Similis quodammodo haec disputatio observationi Hermanni est, qua ille Archilochum non *Διωνύσοι' ἄνακτος* dixisse, sed *Διωνύσου ἄνακτος*, docuit.

Quod de coniecturis dixi virorum doctorum, exemplo comprobatur Lucretii. Apud Lucretium, hoc est apud eum scriptorem, quo nemo frequentius genitivum in *aï*, usurpavit, in tanto locorum numero, si eos excluseris, in quos genitivum illum cum elisione viri docti intulerunt, coniectura plerumque parum probabili, qui sunt I. 722. 952. II. 1031. IV. 974. V. 225. 326. unus restat sane quam speciosus ad commendandam elisionem istam, III. 375. Nam III. 624. non dubium est quin sic scripserit ac pronunciaverit Lucretius: *animaïst.* et sic ibid. 428. scribendum foret, *aquaïst,* nisi ibi *est* alia de caussa delendum esset.

Eadem res in Terentio, apud quem qui inveniuntur genitivi

in *aï* cum elisione, si recte numeravi, omnes sunt ex emendatione Bentleii. Sunt autem loci hi: Andr. II. VI. 8. Heautont. V. I. 20. Hecyr. prol. I. 1. Phorm. IV. II. 7.

Sed ut ordinem sequar, omnium quos huc referas, facile antiquissimus Naevius, ita Bellum Punicum exorsus est: *Qui terrai Latiai hemones tuserunt*, si fides Calpurnio apud P. Merulam in Fragm. Ennii p. XLI. sq. Deest syllaba ad numerum saturnium una. Quam ita supplet Hermannus in Elementis doctrinae metricae p. 929.

Qui térrai Latiái hemónes contuserunt.

Malim cum Hermanno de Metris p. 405.

Qui térrai Latiái túserunt hemones.

VI h. e. *terraī Latiaī.* Credibile est Naevium corripuisse syllabam verbi *tuserunt* penultimam. Durum nobis quidem, quorum aures Virgilio, Ovidio, et heroico carminis generi assuetae, fere talia tantum norunt correpta penultima, *steterunt, tulerunt, contigerunt, exciderunt.* At veteres illi non tam arctis continebantur cancellis: corripuerunt enim penultimam in *meruerunt* Plautus Mostell. I. III. 124. in *potuerunt* Laberius bis in prologo apud Macrobium Sat. II. VII. et, quae sunt exemplo Naevii gemina, in *subegerunt, locaverunt, emerunt, invenerunt, sumpserunt*, Plautus Bacch. IV. IX. 4. Persa I. III. 80. Terentius Eunuch. prol. 20. Varro ap. Nonium p. 28, 21. et poeta non ineptus ap. Suetonium Caes. LXXX. Cf. quos laudat Burmannus in Anthol. Lat. III. LXXXIII. p. 538. verum illi non satis aetates, metra, et diversam in diversis verbis perfecti conformationem observaverunt. Ipse minime contendo veteres ubique corripuisse eam syllabam: satis docet contrarium Plautus. Sic, ut unum afferam, *contuderunt* est, producta penultima, Aulul. III. I. 4. Phaedrus IV. XIX. 16. *abierunt* ausus est, correpta penultima, in fine versus iambici. Quid Plautus? Non memini de omnibus fabulis, sed memini de multis. In his igitur Plautus, etsi *abiero, abierit*, saepe in extremo versu iambico vel trochaico habet, *abierunt* tamen ita solet collocare, ut ubique productionem praetulisse correptioni videatur. Cf. Poen. III. III. 76. Stich. I. I. 29. I. II. 80. Trin. II. IV. 134. Trucul. II. II. 30. Terent. Adelph. IV. V. 57. et Poen. V. III. 15. Rud. II. III. 28.

XXII. *)

Quod solet calamitate afflictis accidere, ut, postquam deferbuit primi doloris aestus ac vehementia, quaecumque in manum veniunt pristinae felicitatis monimenta, vix male consopitum dolorem rursus excitent, calamitatemque renovent atque conduplicent: id hoc die nos experti sumus, quo approbatum Eorum auctoritate, qui rebus nostris praesunt, Scholarum Indicem aestivarum recepimus. Eheu, duram, Cives, Rhenana hiemem superavit. Si hoc superare est, superesse spoliatum parte animae tuae. Rediit Index, sed quantum mutatus ab illo! Dum ille it, reditque, Mors crudeli manu expunxit nomen exoptatissimum Niebuhrii.

Sed quum Index loco consueto, quo Ille Vobis praeclaras sui ingenii meditationes, suaeque eruditionis thesauros exponere solebat, et nunc Historiam Romanam promiserat, exhibere Niebuhrium nequeat, exhibebit hoc loco. Et Hassii nomen exhibebit, cladis magis domesticae memoriam, si quidem hic totus noster erat: quem, ut ab omni parte affligeremur, brevi tempore Illustris Hospes sequutus est. Et illius quidem memoria ut inter nos perennis sit, curatur a peritis manibus: Niebuhrio ut haud indigno modo Universitas Rhenana parentasse videatur, operam dabimus. Nunc hoc agimus, ut partim renovato in nobis dolori satis faciamus, partim eumdem Vobiscum communicemus. Nam, ut verum fateamur, circumspicientibus nobis, quid huic Indici prooemii faceremus, quum animo desiderii illius pleno ieiuna aut sterilia essent, quae alias proludere solemus, omnia: nulla visa est causa esse, cur inania iusto dolori tegimenta quaerere, quam evolvere condita pectore, et assumere Vos in societatem desiderii nostri, iterata compellatione, mallemus.

Igitur duo maxime sunt, quae Vos rogamus, Iuvenes dile- IV.
ctissimi. Quibus rebus et decorum servabitis, et Vobismet ipsis consuletis, et illud facietis, quod, si quid aliud, gratum Manibus. Primo, ut semper pia mente persequamini, et nutriatis Vobiscum

*) III. Mart. a. 1831.

hoc, quod nunc recens est, desiderium. Deinde, ut erigatis animos ad exemplum illius, quae nunc oculis erepta est mortalium, magnitudinis. De Locris narratur Epizephyriis, quum acie instructa ad pugnam progrediebantur, semper vacuum in acie locum, in honorem Aiacis, quo illi tamquam populari suo gloriabantur, relictum esse, quem scilicet locum obtineret ac tueretur ille dudum mortuus Aiax Oilei filius. Qua parte quum aliquando irrupisset dux hostium, vel unus ex primoribus hostilis exercitus, poenas dedit umbrae Aiacis: Locrenses insignem reportaverunt victoriam. Hoc est, perturbabat ac percellebat Crotoniatas herois olim nobilissimi memoria: Locrensium animos eadem excitabat, augebat. Sic se res habet. Neque in bello solum, sed etiam in litteris, et quotquot alii virtuti humanae campi patent, qui *πρόμαχοι* fuerunt vivi, suam mortui in acie, in schola, in civitate, stationem obtinent: propugnant, docent, administrant, modo sui memores, magnique exempli aemulatione incensos, post se milites, discipulos, sectatores reliquerint.

XXIIII. *)

Quem ante hos sex menses conquerentem de morte viri magni, repetentemque ex ea morte, quae Vos possent ad virtutem incitare, audivistis, eum hodie feretis de re levi disputantem. Quae res nunc nobis non videtur levis esse, dum in recordationem viri immortalis relabimur. Recordamur enim illi, quum magna appeteret omnia, non ita parvas visas esse quaestiones orthographicas, ut nullam inde delectationem caperet.

De allitteratione sermonis latini scriptum nuper est ita, ut appareat, nisi fallimur, non sine voluptate scriptum esse **);

---

*) X. Sept. a. 1831.

**) V. Mus. Rhenan. a Niebuhrio et Brandisio ed. Vol. III. p. 324—418.

neque iniucunde aliis, ut fidem fecerunt viri, quos magni facimus, eruditissimi nobisque coniunctissimi. Et profecto operae pretium erat, quam rem aliis in linguis viri periti haud indignam observatione iudicavissent, eam etiam in latino sermone observare, et semel aperire hoc allitterationis arcanum, quod, usum si spectes, minime arcanum est, sed fontem habet arcanum, innatam homini et quasi necessariam in sonis ludendi cupiditatem. Diximus autem semel ea de re dicendum esse, semel hoc arcanum aperiendum esse, ne quis forte hoc in animo fuisse ista scribenti suspicetur, ut omnes deinde veterum scriptorum editores atque interpretes idem agere, atque allitterationes venari per litteras latinas graecasque iuberem. Nobis post scriptionem illam, ut exspectaveramus futurum esse, nova ac memorabilia, ad eam rem facientia, obvenerunt multa; nihil ita novum, ut legibus conditionibusque, quas ibi proposuimus, repugnet, aut comprehendi generibus atque classibus, quas constituimns, nequeat. Ac nonnulla ibi non neglecta, sed a sciente ac prudente, diligenter ponderata caussa, omissa sunt. Sic singulari capite de allitteratione agi poterat ea, quae in formatione verborum, et in declinatione atque coniugatione cernitur: sed inutile visum est, quum ea neque tam multa esse numero, ut vim probandi habeant, et latino sermoni cum aliis, graeco maxime, communia esse appareret. Talia dicimus: *mamma*, *pupus*, *barbarus*, *murmur*, *susurrus*, *gigno*, *sisto*, *bibo*, *titillo*, *titubo*, *sciscitor*, et reduplicationem perfecti. Nunc in una quaestione orthographica, sed ea, ut nobis videtur, valde confusa, experiemur, quid recte observata allitteratio polleat.

De vocabulo *natus*, *nata*, *natum* quaeritur, utrum apud Plautum sic, an *gnatus*, *gnata*, *gnatum* scribendum sit. Nam his statim limitibus circumscribere atque cohibere quaestionem visum est, ut in Plauto consisteremus, qui tot unus hanc in rem exempla praebet, ut legis inveniendae spem faciant; deinde, ut aliis quaerendum relinqueremus, an etiam *gnascor* placuerit antiquioribus Plauto scriptoribus, et quibus antiquioribus. Certe nemodum inventus est, quod sciam, qui Plauto *gnascetur* Amphitr. I. 2, 19. *grandior gnatu*, *tantus gnatu* etc. Aulul. II. 1, 37. Capt. V. 4, 22. Bacch. I, 2, 16. Pers. III. 1, 22. *ignatast* Poen. I. 2.

87. Pers. II. 5, 13. vel qui *gnatalem*, *gnationem*, restituendum esse pro *nascetur, natu, innatast, natali, natione,* diceret.

IV Igitur ut in illis consistamus, quae dixi, in exemplo Plauti Gronoviano, quo ego uti soleo, a. 1669. expers legis fluctuatio, et inconstantia cernitur ea, ut saepe in eadem scena, et in locis prorsus inter se consimilibus, nunc *natus*, *nata*, legatur, nunc *gnatus*, *gnata*. A Gronoviano hac quidem in re aut parum aut nihil differunt exemplaria recentiora atque recentissima; Gronovianum autem illud, quantum observavi, ab antiquioribus pendet, ut non multum differat ab editione principe. Etsi fateor non ubique a me adhibitam esse hanc principem: quid enim attinebat ea in re, in qua nec scriptus liber ullus fide ab omni parte dignus videri debeat?

Quae nobis in mentem venerunt, haec sunt.

Quod primum est, certum videtur, *gnatum*, *gnatam*, ubique scripsisse Plautum, ubi est pro *filio*, *filia*. Eam regulam, quae suam in se commendationem habet, observatam video in Terentio; eademque, ut puto, obversabatur C. L. Schneidero, ubi scribit, Plautum et Terentium his tantum formis uti, *gnatus, gnata*. Sin aliud dicere voluerit, dissentio. Sed eadem regula ista iam obversabatur Pareo a. 1619. et fortasse aliis; et in exemplo Gronoviano qui sequuntur illam loci, ingenti sunt numero; qui repugnant, pauci. Sunt autem hi: Epid. III. 2, 17. Mostell. IV. 3, 33. Men. V. 2, 71. Merc. I. 1, 50. Pseud. I. 5, 83. Pers. IV. 9, 15. Rud. V. 3 (4), 55. Trin. II. 4. 168. IV. 3 (4), 74. quibus locis *gnatam*, *gnato* etc. restituerat Pareus: recte haud dubie. Unus dubius est Pseudoli locus I. 5, 83. *Quapropter expertem amoris nati te habuerim* (vulgo, ut in ed. principe: *Quapropter te expertem amoris nati habuerim*): ubi *gnati* scribendum necessario, si est *filii*. At quaeri possit, an sit *nati* participium, iungendum cum voc. *amoris*, hac sententia: quapropter natum amorem, scil. filii, te celaverim. *natum amorem* ne quis iusto ποιητικώτερον, eoque non satis sermoni comico, servi maxime, aptum iudicet, ita saepius Plautus *natum* usurpat non proprie: *litigium natum esse* Men. V. 2, 15. *facinus quod natumst novom* Mil. II. 3, 10. cf. Amphitr. I. 1, 274. Curc. V. 3, 28. Pers. III. 3, 23. Rud. V. 2 (3), 15. ubi tamen praestare putem *venenatum*; Poen.

I. 2, 50. Trin. II. 4, 174. Filii autem *amorem* intelligi patet ex praecedentibus. Sed tum mallem hoc ordine: *nati amoris*, non *amoris nati.* Allitterationis in hoc genere nihil deprehendi praeter unum satis disertum: *tuum gnatum, et Genium meum* Capt. IV. 2, 99. De usu vocabuli ut moneam obiter, *gnatus, gnata*, hoc differt a *filio*, *filia*, quod non solet cum genitivo coniungi, sed cum pronomine, *meus* etc. vel ut suppleatur pronomen. Singularia haec sunt, aput Plautum quidem, *duo gnati Iovis* Pseud. I. 2, 66. *Antidamae gnatum* Poen. V. 2, 87.

Iam facile aliquis ad finem perductam hac una observatione quaestionem nostram existimaverit. Ita enim ratiocineris haud inepte: quum stabilitum esset usu, ut *gnatum*, *gnatam* dicerent filium, filiam, eam formam propriam esse huic significationi factam, et desiisse Romanos *g* litteram praefigere participio *natus*, *nata*, *natum.* Unde sequeretur, locis, qui sunt reliqui, Plautinis omnibus vindicandum esse hoc *natus*, *nata*, *natum.* Ut observatur in Terentio. Verum tamen aliud iubet partim debita libris, quantumvis dubiae fidei, religio; partim recte observata allitteratio. Hic enim ille locus est, in quo insignem quendam allitterationis usum esse censeo. Itaque verissima puto haec: *Genere qui* (al. *quo*) *sim gnatus* Alul. IV. 10, 48. *quo genere gnatus sis* Capt. II. 2, 45. *summo genere gnatum* ibid. 69. *summis gnati generibus* Mostell. V. 2, 20. *istoc genere gnatus* Pseud. I. 3, 122. *Quo* V *sum genere gnatus* ibid. II. 1, 16. *Quo genere gnata* Poen. prol. 110. *Eo sumus gnatae genere* ibid. V. 4, 13. *summoque genere gnatas* ib. 70. *quo genere gnatus sit* Trin. II. 2, 92. Unde eandem formam, *Quo de genere gnatust*, *summo genere gnatas*, etc. restituo his locis: Capt. II. 2, 27. Cistell. I. 1, 26. Epid. II. 1, 3. Merc. V. 4, 8. Pers. IV. 4, 93. ubi vulgo *natust, natas* etc. Dubium est in uno Persae loco, IV. 4, 47. utrum sic: *Quo genere, aut qua in patria sit nata,* ut vulgo, an *gnata.* Fortasse *nata*, quia longo intervallo distat a *genere,* et propter locos, quos infra videbimus, *natus Argis*, *Syracusis natus* etc. Alibi non minus observabili allitteratione *genere prognatum* dicit Plautus: Aulul. II. 2, 35. Capt. I. 2, 67. Epid. I. 2, 4. Poen. V. 4, 31. Deinde allitteratio tuetur hoc, quod in Truculento legitur IV. 1, 1. *Neque gnatust, neque progignetur.* Eademque de caussa in Bacchid.

IV. 3, 4. 10, 11. ita scribendum coniicio: *Malevolente ingenio gnatus, eo est ingenio gnatus,* non *natus*, ut vulgo.

Qui restant loci omnes, uno vel altero excepto, aut postulant sibi hanc scripturam, *natus*, aut nullam accurate consideranti caussam offerunt, cur malit *gnatus* scribi, quam *natus*.

Quos postulare dixi, hi sunt, in quibus vicina alia littera *n* fidem facit, allitterationem fieri in *n* littera. Hoc referimus *nato nemini, natus nemo, nemo natust:* quae congessi in dissertatione illa p. 358. ubi nemo recte *g* litteram inferret, neque intulit quispiam. Pareus non male ita reddit: kein muttermensch. Praeterea huc pertinet *qui nunquam etiam natust* Epid. III. 1, 15. unde *natus quasi nunquam siem* scribo Aulul. II. 2, 54. pro vulgato *gnatus:* nam *gnatus* cur scribatur, vix caussam invenias idoneam; *natus* fidem ab allitteratione habet, *natus nunquam, n. n.* Et *natus* erat, non *gnatus,* in libris Langii. etsi non multum tribuo his libris. Cf. Trin. II. 4, 173. 4. et, quem locum in dissertatione p. 359. apposui, IV. 2, 7. 8.

Hinc ordine persequar reliquos locos, in quibus mihi quidem nulla idonea caussa editum *gnatus*, *gnata*, videtur, ac videbitur, donec alius legem, ex qua ita sit editum, demonstraverit, aut dominari eam scripturam in libris optimis et antiquissimis docuerit.

Quot eras annos *g n a t u s* editur in Menaechmis V. 9, 56. Non video qua ratione, nisi locis similibus multis, in quibus *natus* vulgatur, *g* illud addere placuerit: *Recens natum, Quot annos nata, Plus triginta natus annis,* etc. Cistell. I. 2, 17. IV. 2, 89. Men. III. 1, 1. Mil. III. 1, 35. IV. 2, 90. et 91. Merc. III. 1, 26. V. 4, 57. Pseud. I. 3, 15. Rud. V. 3 (4), 26. Stich. I. 3, 25. Trucul. II. 6, 28. At praestat, ut nunc se res habet, ex his multis locis illum unum corrigere.

Non ex uxore *g n a t a m* *uxoris filiam* Cistell. II. 3, 60. Imperite, ut puto. ut si quis Captiv. prol. 7. *g n a t i filii duo,* et Men. prol. 18. *g n a t i filii gemini duo* scribere vellet: quod insolitum atque inconcinnum auribus futurum fuisse romanis existimo, quibus *gnatus* solebat filium sonare. Scribendum potius *Non ex uxore* *n a t a m* *u. f.* ut in eadem fabula scenaque legitur, *ex priore muliere Nata* v. 61. 2. *ex ea Nata est haec virgo*

v. 67. 8. et alibi *Humana matre natus, ex se nata* etc. Amphitr. prol. 28. Cas. prol. 46. Cist. IV. 2, 52. Epid. IV. 2, 5. V. 1, 29. Men. V. 9, 44. Mil. IV. 2, 90. Rud. II. 3, 79. III. 3, 42. Qui unus adversus hos locos omnes, et maxime adversus locum ex Milite pugnat, Persae locus II. 3, 1. *Iovi — Ope gnato,* in eo fortasse propter istam gratiarum actionis gravitatem Plauto forma plenior, magisque sonora, et nescio quam antiquitatem redolens, placuit. Deinde ab loco Militis, *quam Iu-* VI
piter ex Ope natust, et reliquis plerisque, hoc differt Persae locus, quod breviter dictum est *Ope gnato,* sine praepositione. quare prope accedit hoc exemplum ad supra prolatum *gnati Iovis.*

Ibidem *gnatus* Poen. IV. 2, 80. *Carthagini Gnatus* ibid. V. 2, 96. 7. *longe ab Athenis esse se gnatam* Pers. I. 3, 71. Mirum, quum alibi semper *natus*, *nata,* sit in hoc locorum genere: *natus Argis, Syracusis-natus,* etc. Amphitr. prol. 98. Men. II. 3, 57. V. 9, 38. Mil. III. 1, 53. Poen. V. 2, 78. Pers. I. 3, 69. IV. 4, 78. 80. 82. Rud. III. 4, 33. 34. 36. 41. Et quis ferat hanc inconstantiam in eodem loco, continuisque versibus Pers. I. 3, 69. 71. nunc *se natam,* nunc *se gnatam?* Vel cur *Carthagini Gnatus* Poen. V. 2, 96. 7. quum ibid. v. 78. praecedat *Carthagini ego sum natus?* Quaerebam, ne quis hoc a me neglectum esse putet, an vim momentumque ad rem diiudicandam haberet litterae, quae praecedit, natura et proprietas. Veluti coniici poterat, post *i* litteram in *Carthagini* placuisse *gn;* post *sum* eundem poetam maluisse *natus.* Et similiter quaerebam alibi. Sed dum accurate rem considero, dilabitur opinatio, ac despero quicquam hac via certi inventum iri. Itaque constantiam expeto. Quam in Poenulo Bothius nuper ita restituit, ut etiam altero loco v. 78. *gnatus* reponeret. atque ita esse in libris vetustis testatur.

gnatum memoras liberum Capt. III. 4, 45. at *verna natus* Amphitr. I. 1, 24. *Libera ego sum nata* Curc. V. 2, 9. *quam si forem serva nata* Rud. I. 3, 37. *Athenis esse natam liberam* ibid. III. 4, 34.

pcstquam gnatus sum Men. V. 5, 56. at *postquam natus sum* ibid. II. 3, 49. et Stich. I. 3, 2. *postquam sum natus* Amphitr. II. 1, 64.

iterum g n a t u s videor Capt. IV. 2, 111. *Iterum mihi g n a t u s videor* Poen. V. 2, 117. Non audeo attingere.

ut rem g n a t a m video Trucul. V. 70. quam scripturam commendat quod olim vulgabatur, et est in ed. principe, *gratam*. Contra *ita rem natam intellego* Cas. II. 5, 35. *ut hanc rem natam intellego* Bacch. II. 2, 40. *famam non ita, ut natast,* Pers. III. 1, 23. *E re nata* Terent. Adelph. III. 1, 8. apte ad sensum. Bentleius tamen ibi e suis codicibus edidit *E re natae:* quod saltem ex lege illa, de qua supra expositum, quam legem ipse in Terentio Bentleius sequitur, debebat *gnatae* esse.

Denique promiscue apponam locos reliquos, in quibus *natus* editur, et recte editur, me iudice, *Scelestus, natus dis inimicis* Mostell. III. 1, 36. *dis inimicis natus* Mil. II. 3, 43. *quando natust* Mostell. I. 2, 5. *Quando hic natus est* ibid. 9. Et hic, qui inprimis memorabilis: *ut sciant natum,* Pseud. II. 1, 15. recte, puto, *natum:* etsi statim sequitur *Quo sum genere gnatus.* Add. Mil. IV. 7, 9. Rud. I. 3, 5. II. 2, 15. Truc. II. 6, 25. Praeterea memorabile est, *natum* neutrum semper sic scribi, non *gnatum,* tum aliis locis nonnullis, quos supra indicavi, tum his: Amphitr. I. 3, 3. Rud. III. 4, 1. IV. 3, 53.

Haec sunt quaestionis illius lineamenta, vel fundus eius apparatusque. Quod si quis aliquando ex libris, sed iis bonis, antiquis, et qui probabilem in re orthographica prae se ferant constantiam, alia docuerit, iisque locis, de quibus modeste dubitavi, et praeterea aliis, antiquum illud *gnatum* vindicaverit, ego non aegre feram, sed laetabor. Ipse enim huius antiquitatis magis amator sum, quam osor. Nunc experiri volui, quid sine libris ipsorum locorum inter se comparatione effici posset.

XXIV.*)

Persas Aeschyli fabulam quicumque sibi pertractandam sumit, eam defugere quaestionem nequit, quae est de duplici huius fabulae editione: rem tum per se memorabilem, tum graviorem eo, quod nata est nonnullis suspicio, mutatum aliquid ab Aeschylo esse, quum iterum produceret Persas. Quodsi certis constaret testimoniis, diversos aliqua re posteriores Persas a prioribus fuisse, opportunitas facta coniecturae esset, sane quam lubricae, quid mutari ab Aeschylo in tam egregio argumento potuerit.

Nos nunc, quae nuper invenimus, vel invenire nobis visi sumus, ad hanc quaestionem pertinentia, proferemus, an ea persuadeamus aliis: nobis enim ita persuasimus, ut de summa rei nihil sit dubitationis reliquum.

Ac primum, bis actam esse hanc fabulam, Athenis, et postea Syracusis, testimoniis non multis quidem, sed quae et aliis visa sunt idonea esse, et nobis videntur idonea, traditur. Vitae Aeschyli graecae, ea parte, quam primum publicavit Robortellus, emendatiorem hoc in loco ex libro Guelferbytano Hermannus De choro Eumenidum Diss. II. p. XIII. Opusc. Vol. II. p. 150. et ex Oxoniensi Sam. Butlerus Tom. VIII. p. 161. habuit: *φασὶν ὑπὸ Ἱέρωνος ἀξιωθέντα ἀναδιδάξαι τοὺς Πέρσας ἐν Σικελίᾳ, καὶ λίαν εὐδοκιμῆσαι.* Gravissimum testimonium, si esset, quod Blomfieldius Praef. Pers. p. XXV. sq. statuit, e Dicaearcho petitum. Verum id iusto festinantius statuere videtur Blomfieldius, quod alibi similia e Dicaearcho referri recordaretur, ut quae de repetitis Ranis in Argumento Ranarum, et de Oedipo Rege fabulae Philoclis posthabito in Argumento Oedipi referuntur, collecta iam a Casaubono in Athen. Animadv. p. 414. (T. III. ed. Schweigh. p. 371.) Ionsio de Scr. H. Ph. I. 16, 1. Fortasse etiam, quod Dicaearchi supra mentionem fieri videret in eadem IV
vita Robortelliana, ubi de tertio actore agitur, p. 11. Tutius utique innitemur alteri in eadem re testimonio, Eratosthenis. Quae

*) Id. Mart. a. 1832.

etiam Hermanni l. l. videtur sententia fuisse, qui primo loco commemorat Eratosthenem, secundo alterum addit ex Vita Aeschyli; item Welckeri, Trilog. Aeschyl. p. 476. Eratosthenes autem unde suum illud habeat, an forte e Dicaearcho, non liquet. Testimonium est Eratosthenis in Scholiis ad Aristophanis Ranas v. 1055. (1060.) hoc: *δοκοῦσι δὲ οὗτοι οἱ Πέρσαι ὑπὸ τοῦ Αἰσχύλου δεδιδάχθαι ἐν Συρακούσαις, σπουδάσαντος Ἱέρωνος, ὥς φησιν Ἐρατοσθένης ἐν γ΄ περὶ κωμῳδιῶν.* Quae verba quum sint ab aliqua parte, ut statim videbimus, ambigua, hoc tamen continent haud dubium, quam Eratosthenes Syracusis factam esse, Hierone favente, Persarum editionem narraverat, eam ipsi Eratostheni *secundam* fuisse: nullo modo enim potuit Eratosthenes ignorare, quod ex veteribus didascaliis constat, primum actam esse Persas fabulam Athenis, *ἐπὶ Μένωνος*, Ol. LXXVI. 4. Ut re vera idem dixerit Eratosthenes, quod post eum, atque, ut puto, ex eo, ille in Vita Aeschyli: Aeschylum *ἀναδιδάξαι τοὺς Πέρσας ἐν Σικελίᾳ.* Atque hanc sententiam non puto displicere Passovio, qui aliter conceptam impugnaverat Melet. crit. in Aeschyli Pers. p. 4.

Igitur bis acta est haec fabula, primum Athenis, iterum Syracusis. Accedimus ad partem quaestionis alteram, ab illa priori probe discernendam: an quid Aeschylus in sua fabula, quum eam Syracusis exhiberet, mutaverit. Duas fuisse Persarum *καθέσεις*, certum videtur; quaeritur, an posterior nova fuerit prioris *διασκευή*. Res per se non improbabilis, quum variae possint excogitari caussae, cur aliquid aliter Syracusanis dicere voluerit poeta, quam dixisset Atheniensibus, sed tamen non credenda nisi certis testibus. Insunt autem eius suspicionis vestigia uno loco, sed eo valde memorabili, et magnam auctoritatem, multa antiquiorum grammaticorum nomina prae se ferente, Scholiorum Aristophanis l. l. ad versus Dionysi hos:

ἐχάρην γοῦν, ἡνίκ' ἀπηγγέλθη περὶ Δαρείου τεθνεῶτος,
ὁ χορὸς δ' εὐθὺς τὼ χεῖρ' ὡδὶ συγκρούσας εἶπεν ἰαυοῖ.

Apponam omnia. *ἐν τοῖς φερομένοις Αἰσχύλου Πέρσαις οὔτε Δαρείου θάνατος ἀπαγγέλλεται, οὔτε ὁ χορὸς τὰς χεῖρας συγκρούσας λέγει ἰαυοῖ· ὅ ἐστιν ἐπιφώνημα πρὸς τὸν Διόνυσον λεγόμενον χαρᾶς ἐπελθούσης. ἀλλὰ τὰ μὲν πράγματα ὑπόκειται*

ἐν Σούσοις· καὶ περίφοβός ἐστιν ἡ μήτηρ Ξέρξου ἐξ ὀνείρου τινός. χορὸς δὲ Περσῶν γερόντων διαλεγόμενος πρὸς αὐτήν· V *εἶτα ἄγγελος ἀπαγγέλλων τὴν περὶ Σαλαμῖνα ναυμαχίαν καὶ τὴν Ξέρξου φυγήν. Χαῖρις δέ φησι τὸ Δαρείου, ἀντὶ τοῦ Ξέρξου. σύνηθες γὰρ τοῖς ποιηταῖς ἐπὶ τῶν υἱῶν τοῖς τῶν πατέρων ὀνόμασι χρῆσθαι. πρὸς ὅν ἐστιν εἰπεῖν, ὅτι ἐν τῷ δράματι λέγεται, Ξέρξης μὲν αὐτὸς ζῇ τε καὶ βλέπει φάος. Ἡρόδικος δέ φησι διττοῦ γεγονέναι τοῦ θανάτου, καὶ τὴν τραγῳδίαν ταύτην περιέχειν τὴν ἐν Πλαταιαῖς μάχην. δοκοῦσι δὲ οὗτοι οἱ Πέρσαι ὑπὸ τοῦ Αἰσχύλου δεδιδάχθαι ἐν Συρακούσαις, σπουδάσαντος Ἱέρωνος, ὥς φησιν Ἐρατοσθένης ἐν γ' περὶ κωμῳδιῶν. Ἄλλως. Δίδυμος, ὅτι οὐ περιέχουσι θάνατον Δαρείου οἱ Πέρσαι τὸ δρᾶμα. διὸ τινὲς διττὰς θέσεις τουτέστι διδασκαλίας τῶν Περσῶν φασι· καὶ τὴν μίαν μὴ φέρεσθαι. τινὲς δὲ γράφουσι Δαρείου, τοῦ Ξέρξου. οἱ δὲ ὅτι τοῖς κυρίοις ἀντὶ πατρωνυμικῶν κέχρηνται, καὶ ὅτι ὁ Ξέρξης, οἱ δέ, ὅτι εἴδωλον Δαρείου φθέγγεται, ἐκεῖ τεθνηκότος δηλονότι.* Habes grammaticos duos, vel adeo tres, de altera Persarum editione, et *διασκευῇ*, diserte testantes: unum, Didymum, qui hoc disertissime, ex aliis; alterum, Eratosthenem, qui eundem in sensum accipi potest; denique Herodicum, qui quantumvis corruptis verbis, aliquid simile dicere videtur. Quid igitur? Nonne fidem habebimus tantis testibus? Non puto. Neque putaverunt alii. Certe Hermannus nunquam, quod sciam, quicquam, neque in dissertatione de Aeschyli Persis p. XIII. Opusc. II. p. 97. neque in diss. de versibus spuriis ap. Aeschylum p. XI. Opusc. II. p. 84. neque alibi, his grammaticorum testimoniis tribuit. Neque Seidlerus quicquam in illa docta censura. Aliquid tribuit, sed certis quibusdam conditionibus, Welckerus l. l. Ego nunc hoc ago, ut penitus convellam testimoniorum illorum auctoritatem: quae ex parte admodum facilis opera est. Scilicet de *διασκευῇ* Persarum opinio, quum neque aliunde approbari possit, neque ab his grammaticis ullo idoneo documento confirmetur, sed eo tantum consilio proferatur, ut difficultas explicetur loci Aristophanei, quem illi cum hac vulgata Persarum editione conciliari posse desperabant, sponte concidet, ubi tibi persuaseris, nihil esse in loco Aristophanis, quod cum nostris Persis conciliari nequeat. Atque id nunc omnes

ita persuasum habent, ut hanc quidem in rem non sit opus verbo.
At boni grammatici, quum non intelligerent Aristophanem, quippe
tum exstincto comicae licentiae sensu atque usu: alii, ut Chae-
ris, detorquere verba Dionysi ad similitudinem Aeschyli artificiosa
interpretatione conati sunt; alii, qui bis actam diversis locis re-
cordarentur, mutatam a poeta fuisse fabulam, quum secundum
VI exhiberetur, atque ad eam fabulae conformationem, quae non
amplius exstaret, referenda esse verba Aristophanis statuerunt
audacissimo *αὐτοσχεδιάσματι.* Id ita factum esse diserte fatetur
Didymus: *διὸ τινὲς διττὰς θέσεις τουτέστι διδασκαλίας* etc. non
dicit aliunde constare de duabus diversis *διδασκαλίαις*, sed pro-
pter Aristophanis locum nonnullos coniicere de duabus. Qui
sint illi *τινές*, incertum est. Fortasse Eratosthenes. Quamquam,
ut nihil taceam, ne hoc quidem prorsus certum est, quid senserit
Eratosthenes. Quid enim, si quod de *διασκευῇ* inest in verbis
Eratosthenis, ut ea nunc referuntur, aliorum interposita senten-
tiis, videatur tantum inesse, non insit re vera? Eratosthenes
nihil testatus fuerit nisi illud supra a me positum, bis actam esse
fabulam, Athenis, et Syracusis? Hoc est, quod supra significa-
bam, dubiae interpretationis esse testimonium Eratosthenis.

Adhuc recte, nisi fallor, processit res nostra. Neque haec quidem pro novis vendito omnia. Certe hoc, quod praecipuum, de *διασκευῇ* sententiam nihil esse nisi commentum grammaticorum, dudum, si non dixerunt, tamen senserunt, ad Aeschylum Stauleius, Abreschius, ad Aristophanem Spanhemius, Beckius. Restat unum testimonium, quod disputationem nostram evertere totam videtur, *Herodici*, haud dubie ex opere, cui titulus *Κωμῳδούμενα*: siquidem non dubitamus, quin Herodicus intelligendus sit, nobilis grammaticus, *Κρατήτειος.* In Scholiis Aristophanis ille bis tantum commemoratur: hoc loco, et altero ad Vesp. 1277. (1231.) ex emendatione, quam in prostremo opere suo, elegantissima de Avibus dissertatione p. 83. Süvernius fecit, heu carum caput, et multis de caussis nobis quoque desiderabile. Herodicus igitur, Eratosthene quidem ille recentior, sed qui et Eratosthenem ipsum, et alios legebat antiquiores Eratosthene, non solum de duplici Persarum recensione, et *διασκευῇ*, testatur, sed, quod requiri in hanc sententiam paullo ante significa-

bamus, documentum idoneum, ex ipsa Persarum fabula, non coniunctum cum illa de loco Aristophanis quaestione, profert. Ita videtur.

> *Ἡρόδικος δέ φησι διττοῦ γεγονέναι τοῦ θανάτου, καὶ τὴν τραγῳδίαν ταύτην περιέχειν τὴν ἐν Πλαταιαῖς μάχην.*

Priora manifesto corrupta sunt. Restituunt, Schützius olim *διττὸν γεγονέναι τὸ δρᾶμα*: Blomfieldius praef. p. XXV. *διττὰ γεγονέναι τὰ δράματα.* et quid potest magis veri esse simile? sic infra, e Didymo, legitur *διττὰς θέσεις τουτέστι διδασκαλίας τῶν Περσῶν.* Duo dramata, in quorum uno fuit pugnae apud Plataeas mentio, in altero non fuit. Mira res, ac paene VII
incredibilis ei, qui semel delectationem ex illo praeclaro vaticinio ceperit. et quis non cepit? Sed tamen credendum fuerit diserte affirmanti grammatico, antiquo, de fraude minime suspecto. Ut recte Welckerus, collega amicissimus, qui nihil illis reliquis grammaticis tribuit, huic tamen Herodici testimonio aliquid tribui posse censeat, l. l. p. 476. Et Welckerus quidem Herodici testimonium ita accipit, ut in Sicula Persarum recensione proelii apud Plataeas longiorem plenioremque ea, quam nunc habemus in nostris Persis, descriptionem fuisse coniiciat. Verum id ipse dubitanter, et moderate: non potuit enim a se impetrare, ut attentaret, quae sunt in nostra recensione praeclare scripta de proelio illo. Confidentius Blomfieldius in Glossario ad v. 822. (817.) alia re nulla diversas fuisse duas editiones, sed hos duos versus, qui ipsi sunt 821. 822. vulgo 816. 817. *τόσος γὰρ ἔσται πέλανος αἱματοσφαγὴς πρὸς γῇ Πλαταιῶν Δωρίδος λόγχης ὕπο*, in Sicula demum editione accessisse coniicit. *Miror profecto*, inquit, *Aeschylum tantum honoris Peloponnesiacis tribuisse: forsan aliquis suspicetur hos versus in secunda huius fabulae repraesentatione additos fuisse, in Syracusanorum gratiam.* Non quaeram, quomodo hoc cum testimonio conciliaverit Herodici. Neque obiiciam, si quid blandiri Syracusanis Aeschylus voluisset, paullo longius excurrendum fuisse in laudem Doriensium. Illud observari velim, quam haec sit indigna Aeschylo opinatio, noluisse Aeschylum, aut non ausum esse, Athenis collaudare Lacedaemonios. Sane tam magnifice illud in summa licet brevitate dictum est, *Δωρίδος λόγχης ὕπο*, nihil ut potuerit fortius atque honorificentius dici

in laudem Peloponnesiorum, Lacedaemoniorum. Verum hoc egregie fecit poeta, et convenienter historiae, ut alia. Scilicet ut Salaminiae pugnae laudem Atheniensibus manere sentiet, quicumque hanc fabulam perlegerit, ita proelii apud Plataeas gloriam Lacedaemoniis tribui par erat. Alia ratio alterius loci est, in somnio Atossae, ubi Asia et Europa, vel potius, ut mihi videtur, Graecia et Barbaria inducuntur: quamquam hic quoque probat, non tam anxie poetam Atheniensem, quam aliquis putet, vitasse, quod posset honorificum Doriensibus videri. Ibi poeta v. 183. Graeciae pro *graeca*, quam exspectes, veste *doricam* attribuit, *πέπλοισι — Δωρικοῖσιν*, ut imagines mulierum inter se quam maxime diversas proponeret; *doricus* habitus magis diversus a
VIII persico quam ionicus et atticus. Deinde non sensit Blomfieldius, multum detrahi de pulchritudine loci, et de pondere vaticinii, si illa *Plataearum* et *doricae hastae* mentio eximatur: quae mentio eo plus habet virtutis, quo est magis inexspectata. Nam mirum videri debet, quod Darius tam accurate scit futura omnia. Unde autem scit? Nimirum ex oraculo illo suo, v. 739. sqq. et 800. sqq. Quod oraculum eo consilio finxit poeta, ut vaticinantem posset Darium facere. Licet caussam addere alteram: quoniam hoc nescio quam gravitatem, et quasi sanctitatem addit calamitati, si ea praedicta fuerit a deo. ut graecorum calamitates regum saepe ab oraculis pendent. Sed illa caussa potior fuit Aeschylo: ut vaticinium praepararet Darii. Praeterea oraculum affingere Dario, prompta ac proclivis res erat, quum sua Graecis de iisdem rebus oracula essent, de proelio Salaminio, ap. Herodotum VIII. 77. de Plataeensi, apud eund. IX. 43. Bacidis utrumque, et fortasse alia: unde credibile erat, similia aliquando accepisse Darium. Et sane quae de proelio Plataeensi, suo oraculo doctus, Darius Aeschyli profert, eadem fere sunt, si summam rei spectes, quae Bacidis oraculo ap. Herodot. IX. 43. continentur: sed tamen praeter *hastam doricam,* quae nulla est apud Bacin; neque spoponderim illud notum fuisse Aeschylo.

Satis, puto, demonstravimus, quam sit difficile periculosumque, unum huic poetae versum, quem semel scripserit, extorquere e manibus, atque ad eum locum rem adduximus, in quo facile quivis servari pugnam Plataeensem, et servari quo est modo

concepta in Persis nostris, et utrique Persarum editioni, tam
Siculae quam priori, servari, modo fieri possit per Herodicum,
cupiat. Id nunc facili emendatione efficiam. Etenim, quod pace
venerandi senis dixerim, Schützii, cuius tanta sunt tum alia, tum
in Aeschylum merita, ut non invitus unam sibi eripi obiter fa-
ctam observationem patiatur: quae emendatio Herodicum illud
tam incredibile dicentem facit, num per se bona est? num faci-
lis? num ita facilis, ut pro certa habenda sit? Nescio quid alii
sentiant: mihi hoc non videtur facile, *διττὸν — τὸ δρᾶμα*, vel
διττὰ — τὰ δράματα, ex *διττοῦ — τοῦ θανάτου*. Ego lenius
ita: *Ἡρόδικος δέ φησι δίχα γεγονέναι τοῦ θανάτου, καὶ
τὴν τραγῳδίαν ταύτην περιέχειν τὴν ἐν Πλαταιαῖς μάχην.* Verba
sunt grammatici de argumento Persarum loquentis: *distat, dissi-
det a morte*, scil. Darii, *et continet haec tragoedia pugnam apud
Plataeas.* quo sententiam lucramur, non novam quidem illam,
sed notam, communemque huic cum aliis grammaticis: at quis
non vetera ac nota malit quam nova atque incredibilia? Tenen- IX
dum est autem, qui ista excerpsit ex Herodico, verba Herodici
non dare omnia, sed, ut fieri solet, potiora tantum, in breve
coacta: quamquam quae dedit pauca, satis referunt mentem He-
rodici. Fuit ille inter eos, qui non concoquebant, quod apud
Aristophanem Dionysus dicit, *ἀπηγγέλθη περὶ Δαρείου τεθνεῶτος*:
atque ut demonstraret id non quadrare in Persas Aeschyli, hi-
storica utens demonstratione, multum temporis intercedere inter
mortem Darii et argumentum fabulae Aeschyleae, qua etiam pugna
Plataeensis, proelio apud Salaminem navali uno anno posterior,
eoque a morte Darii remotior, contineatur, observabat. Operosa
sane demonstratio, qua nos tribus verbis defungeremur: *dudum
mortuus erat Darius;* deinde quod repetitam a pugna Plataeensi
rationem attinet, speciosa magis quam vera, quum statim obiici
possit, commemorari quidem in Persis eam pugnam, sed tamquam
futuram. Verum sic non raro grammatici etiam antiqui nunc
speciose disputant, nunc operose, et ut res etiam simplicissimas
eo modo doceant atque confirment, qui plurimum lectionis et
eruditionis probet: consuetudine nonnunquam inepta, sed a nobis
non severe vituperanda, qui multis absque ea egregiis deperdi-
torum scriptorum fragmentis careremus. Unum statim ad manum

est simile exemplum, ubi scholiastes Aristophanis is, a quo nos collecta scholia habemus, Chaeridis opinionem, qui in versu illo: *ἐχάρην γοῦν, ἡνίκ' ἀπηγγέλθη περὶ Δαρείου τεθνεῶτος*, patris nomine pro filii, Xerxis, nomine usum esse poetam contendebat, refutaturus, versum profert Aeschyli 299. *Ξέρξης μὲν αὐτὸς ζῇ τε καὶ φάος βλέπει.* Poterat simplicius monere verbo: *at neque Xerxes mortuus est:* nam hoc, vivere Xerxem, non iste unus versus, sed totum drama loquitur. Atque id ignorasse vel neglexisse Chaerin, paene incredibilis ignorantia sive negligentia est.

Non traditur, quomodo Herodicus illam, quam sibi moverat, difficultatem expediverit. Puto illo modo, quem supra explosimus. Ut fortasse Herodicus primus commenti de *διασκευῇ* Persarum auctor fuerit. Etsi non repugnabo vehementer, si quis Eratosthenem fuisse auctorem malit. Ita enim aliquis disputet haud absurde: quum Eratosthenes illud de Sicula Persarum editione in libris *de vetere comoedia* protulerit, ea occasione, eoque protulisse loco, quo de Ranis agebat Aristophanis. quo autem consilio? scilicet ut conciliaret Aristophanem cum Aeschylo. Sed
X tum vehementer mirabimur tantum virum, tam prudentem criticum, perperam accipere Aristophanem, et coniecturam comminisci, ad tollendam difficultatem, quae nulla esset, tam inanem potuisse. Praesertim quum non probabile sit, quod inde sequeretur, Aristophani, ista scribenti, Siculam ante oculos recensionem fuisse. quae est Welckeri p. 475. observatio. Possit tamen alius invertere rem: ambigue dictum est *οὗτοι οἱ Πέρσαι*, et potest *hos Persas*, *qui exstant*, *quos habemus*, significare. ut haec fuerit Eratosthenis sententia, non exstare illam, quam Aristophanes respexerit, priorem Persarum editionem; hoc, quod exstat, posterioris esse Siculae recensionis exemplar. Sed quicquid Eratosthenes senserit, tantum nobis videmur effecisse, nihil esse sive Eratosthenis, sive alius cuiuspiam, de *διασκευῇ* sententiae tribuendum. Nisi forte aliquando aliis comprobetur aliunde documentis, sed iis certis. Nam illud, ut omnes sentiunt, frustra hanc in rem adhibeas, quod his, ab Athenaeo lib. III. p. 86. B. et a Scholiasta Hermogenis ap. Bastium ad Greg. C. p. 241. ap. Bekkerum Anecd. III. p. 1073. ea proferuntur ex *Aeschyli Persis*, quae non leguntur in hac fabula.

Semel ad illum locum revertar, a quo capiebam initium, ex
Vita Robortelli: sic enim hanc licebit propter additamenta ad
vitam artemque Aeschyli pertinentia, varia illa et confusa, sed
valde utilia ac docta, appellare, quibus primum Robortellus Vitam
Aeschyli auxit. Quippe dicendum est, cur ab eo loco aliquid
resecuerim, quod apud Robortellum et e codice Oxoniensi apud
Butlerum additur. Robortellus sic, corrupte et cum lacuna: *φα-
σὶν ὑπὸ ἱέρωνος ἀξϊοθέτησ ἀναδιδάξαι τοὺς πέρσα ἐν σικελΐας,
καὶ λίαν ἐκ τῆς μουσικῆς ἱστορίασ, ταύτῃ καὶ ἄριστα
εἴς τραγῳδίαν αἰσχύλος κρίνεται ὅτι εἰσάγει πρόσωπα μεγάλα
καὶ ἀξϊόχρεα*, etc. In Oxoniensi, si ubique assequor Butlerum,
sic, non prorsus accurate: *φασὶν δὲ ὑπὸ Ἱέρωνος ἀναδιδάξαι
ἀξιωθέντα τοὺς Πέρσας ἐν Σικελίᾳ καὶ λίαν εὐδοκιμεῖν ἐκ τῆς
μουσικῆς ἱστορίας. Ταύτῃ καὶ ἄριστα εἰς τραγῳδίαν* et
quae seq. In his manifestum est a verbis *ταύτῃ καὶ ἄριστα* no-
vae fieri, de personis Aeschyli, disputationis initium: haec autem,
ἐκ τῆς μουσικῆς ἱστορίας, ego non cum praecedentibus coniun-
genda, sed in medio ponenda censeo: — *εὐδοκιμῆσαι. ἐκ τῆς
μουσικῆς ἱστορίας. ταύτῃ* etc. Inserit grammaticus titulum ope-
ris, ex quo aut praecedentia apposuerat, aut, quod magis proba-
bile, ex quo appositurus est quae sequuntur, de personis. Sen-
tentia tam plana, ut mirum esse debeat, si nemini ante me in
mentem venerit. Non memini tamen me legere. Hermannum XI
quidem, qui locum illum ex libro Guelferbytano, eodem fere modo
haud dubie, quo est apud Butlerum, scriptum habebat, iam tum
idem sensisse puto, quum de Eumenidibus Aeschyli scriberet.
Hoc nondum repperi, quum plura olim eo nomine opera fuerint,
ut, quos ego annotaveram obiter, quum eosdem iam Woverio
Polymath. Cap. XII. p. 135. et eruditissimo Meinekio Quaest.
Scen. III. p. 6. 7. laudatos video, Suida testante aliquoties, et
Stephano Byzantio, Dionysii Halicarnassei, eius qui sub Hadriano
vixit, *μουσικὴ ἱστορία*; alia Rufi, apud Photium Bibl. p. 103. b.
16. et 34. unde etiam intelligitur, quid titulus iste significet: hoc,
inquam, non repperi, cuius hic intelligenda sit *Μουσικὴ Ἱστορία*.
Fuit quum de Dicaearcho cogitabam, scilicet tum quidem aliquid
tribuens supra commemoratae Blomfieldii coniecturae: et *ἐκ τῆς
μουσικῆς ἱστορίας* ad praecedentia referebam. Cogitabam autem

de opere περὶ μουσικῶν ἀγώνων, cuius operis eam fere conceptam animo speciem habebam, quam adumbravit Ionsius I. 16, 1. et 3. quae eadem Reiskio ad Plutarch. Vol. X. p. 509. et Meinekio meo Q. Sc. III. p. 2. obversatur. Et omnino non puto anxie allaborandum esse, ut opus hoc ipso indice, μουσικὴ ἱστορία, monstretur. Satis generalis fuit haec appellatio, et satis usitata, ut videtur: qua grammaticus noster etiam in eo opere uti potuit, cui auctor ispe alium fecisset indicem.

Haec praefati sumus, Commilitones, more consueto, ad unam earum disciplinarum, quae tractari studiis academicis solent, pertinentia: et usum si spectes, quem ista habitura sunt, praefati sumus, quod ipsi sentimus quam maxime, paucis Vestrum: utilia, ut nobis videtur, in hac disciplina philologica elaborantibus; grata, ut speramus, iis, qui sunt a lectione Aeschyli recentes. Sed est etiam, quod Vobis verbo dictum omnibus, idque verbum a Vobis et percipi omnibus, et ponderari diligenti consideratione cupimus. Verbo, inquam: non iuvat enim morari in tam iniucunda recordatione, et satis Vos, ubi maxime opus erat, alloquuti sumus atque cohortati, ut quum unum sane grave malum impedire non potuerimus, alia tamen eaque fortasse graviora mala
XII feliciter declinasse videamur. Semel hac hieme, et primum, ex quo condita est, haec Musarum sedes eo pacem publicam turbatam tumultu vidit, cui similia in aliis Academiis exempla non desunt, excusatio deest re vera omnis. Vos nunc, etsi probe scimus, multo maximam partem manus, plerosque etiam mentes abstinuisse a turba, et qui maxime se implicuerunt culpa, infectum fieri, quod factum est, si posset, velle: sed Vos nunc omnes, antequam abeatis, quo Vos feriae proxime instantes vocant, inspicite in illud, quod factum est, revocato ad aequitatem animo; atque iterum inspicite, quum patria domoque fruemini paterna: ut quam saepe in Vobis laudavimus indolem, ut pacis amorem eius, quam in dulci paternae domus tranquillitate laeti gustaveritis, ut libertatis amorem, sed eius, quae paret legibus, ad nos referatis.

XXV.*)

Accipite quaestionis, quam ante hos quinque menses hoc ipso loco eademque opportunitate tractavimus, longioris, de *Persis* Aeschyli fabula bis acta, epimetrum breve, sed fortasse necessarium, et quod deberi a me iis, qui ista legerint priora, haud immerito aliquis dixerit. Certe quod ibi pag. V. scriptum est, *nihil* in illo celebratissimo *Ranarum* loco *esse, quod cum nostris Persis conciliari nequeat, idque nunc omnes ita persuasum habere, ut hanc quidem in rem non sit opus verbo:* id sibi perspicuum esse negat Vir perillustris, idoneus harum rerum arbiter, qui quum alio tempore coniecisset, primum Syracusis datam esse Persas fabulam, in gratiam Hieronis, nunc iocans, ut puto, consueta ipsi elegantia, petere a me solet, ut se doceam, quomodo cum Persis conciliari possit locus Aristophanis. Me tum, ne in ea re consisterem, illa, quam mihi pertractandam sumpseram, disputatio, iam satis per se longa, spatiique, quod dari his praefationibus par est, fines excedens, admonebat. Esse ista concilianda persuasum habebam cum aliis; de modo conciliandi quum diversas viderem virorum doctorum sententias, ego meum modum, qui quidem iam tum versabatur ante animum, et quem indicaveram in scholis, nunc exponam hac opportunitate.

De loco Aristophanis Ran. 1028. 9. (1060. 1. Kust.)

ἐχάρην γοῦν, ἡνίκ' ἀπηγγέλθη περὶ Δαρείου τεθνεῶτος,
ὁ χορὸς δ' εὐθὺς τὼ χεῖρ' ὡδὶ συγκρούσας εἶπεν ἰαυοῖ.

quae ibi Dionysus profert, postquam Persarum fabulae ab ipso Aeschylo facta est mentio, hae maxime circumferuntur sententiae.

Una veterum grammaticorum, quae rursus bipartita est. Quum enim illi haererent, et videri haec iis, quae traduntur in Persis, repugnare animadverterent, quod his verbis significatur in scholiis: *ἐν τοῖς φερομένοις Αἰσχύλου Πέρσαις οὔτε Δαρείου θάνατος ἀπαγγέλλεται, οὔτε ὁ χορὸς τὰς χεῖρας συγκρούσας εἶπεν ἰαυοῖ· ὅ ἐστιν ἐπιφώνημα πρὸς τὸν Διόνυσον λεγόμενον χαρᾶς*

*) XI. Cal. Septembres a. 1832.

ἐπελθούσης: alii verba Dionysi ad Xerxis cladem, de qua longa est in Persis narratio nuncii, referebant, *Darium*que dici pro Xerxe, patris nomen pro nomine filii, vel nomen pro patronymico, opinabantur. Mirum interpretandi artificium, in quo non
IV lubet morari post ea, quae nuper monuimus obiter p. IX. Hi quid statuerint de complosis manibus Chori, et exclamatione *ἰαυοῖ*, non declaratur. Aliis vero illa quae videbatur esse inter Persas, qui nunc leguntur, et Aristophanem repugnantia audacissimam coniecturam de *διασκευῇ* Persarum procreavit.

Altera sententia esto Blomfieldii, qui omnia conciliaturus, carmen, divinum illud, quo Darii umbram Chorus evocat, spectari a Dionyso existimabat, eique carmini ipsam illam exclamationem emendando vindicabat, sic: *βάσκε πάτερ* (vel, ut ipse legit, *βάσκε περῶν*,) *ἄκακε Δαρεῖ', ἰ α υ ο ῖ*, bis.

Huic similis quodammodo H. Vossii in annotationibus, quibus Aristophanis comoedias e graeco in germanicum sermonem conversas a Patre illustravit, sententia est. Is verba Dionysi ad eum referenda esse locum coniicit, ubi reversum ab inferis Darium Chorus aspicere et coram alloqui recusat, v. 694, *σέβομαι μὲν προσιδέσθαι*, etc. *ἰαυοῖ* autem non expressum in libris Aeschyli, sed ibi supplendum esse censet. *Kein* Iauō *steht dabei; aber der Chor, welchem Schreck und Ehrerbietung die Sprache geraubt, mag es unter Händeschlagen geächzt haben, als die Bestimmung für jene Anrede zurückkehrte.* Quod mihi magis ex nostrae scenae artisque usu iudicatum videtur, quam ex more antiquo. Nam sane nostri comoedi et declamatores saepissime suo Marte, scilicet ut in immensum augeant vehementiam affectus, interiectiones inserere de suo solent, eoque versus, saepe iam per se male natos, iugulant miseris modis: graecis actoribus et praescriptas accuratissime interiectiones fuisse, ipse docet codicum antiquorum aspectus, nec facile ultra id, quod poeta praescripsisset, processisse histrionem probabile est. Deinde ut *ἰαυοῖ* alienum fuisse a tragoedia putemus, observatio facit Seidleri.

Nam contra Blomfieldium Seidlerus in illa docta censura, Ephemerid. litt. Ienens. a. 1816. n. 105. in universum hoc tantum monet, miscere Comicum seria et iocos, interiectionem autem istam, tragoedia omnino indignam, per iocum Choro Aeschyleo

attribui a Comico, quo traduceret interiectionum, quae cernitur in Persis Aeschyli, insolentiam. Illud, misceri ab Aristophane iocos et seria, quod omnino verissimum, Hermannus praeiverat, de Aeschyli Persis p. XIII. Opusc. Vol. II. p. 97. *sed Bacchus, semper aliquid ineptiarum afferens, hic eo se ridendum praebet, quod, ut solent homines stolidi et inficeti, omnia confundit, et non modo alia, quam quae vera erant, sed ea etiam ridicule refert.* De loco Persarum, quem respiciat Dionysus, etsi neque Hermannus neque Seidlerus diserte dicit, tamen utrumque de eo cogitasse loco censeo, ubi evocatur Darius. Eaque iam Stanleii ad Aeschyl. Pers. 683. videtur, itemque Spanhemii ad Aristophanem, et rursus in Annot. ad Argum. Pers. et v. 653. opinio fuisse.

Denique Welckerum quam sententiam in libro de Trilogia Aeschyli p. 476. proposuerat, approbans tum quidem ex parte Iacobsio disputata in Wielandii Museo Attico, eam nunc immutavisse atque retractasse paullo post monebitur.

Ex his omnibus quae mea facio, et quae de meo, sane quam minuta, sententiis addo aliorum, haec sunt. Primo certissimum V
mihi est, multum esse in Aristophanis loco comicae licentiae. Dionysus enim partim memoriae errore, partim suae vitio observationis, quam ille, ut vulgus spectatorum, magis ad ea, quae passim singularia accidunt in tragoediis, arrectam, quam ad persequendum tragoediae alicuius per scenas et per vicissitudines dramaticas decursum exitumque exercitatam habet, falsa mirumque in modum confusa refert de fabula Aeschyli. Id statim in his cernitur, *ἡνίκ' ἀπηγγέλθη περὶ Δαρείου τεθνεῶτος*: in quibus inest non satis certa recordatio eius loci, ubi de evocando Dario agitur. Nam hunc locum ante animum versari Dionyso, vel eum, in quo adest umbra Darii, recte viri docti, quos laudavi, omnes statuunt; fuitque ea olim grammatici caeteris sapientioris coniectura, de qua in scholiis ad h. l. refertur: *οἱ δέ, ὅτι εἴδωλον Δαρείου φθέγγεται, ἐκεῖ τεθνηκότος δηλονότι.* Deinde *ἰαυοῖ laetantis* acclamationem esse, usitatam proprie inter sollemnia Bacchi, haud dubie credendum est, ut etiam Welckerus l. l. credidit, tam diserte affirmanti interpreti graeco: *ὅ ἐστιν ἐπιφώνημα πρὸς τὸν Διόνυσον λεγόμενον χαρᾶς ἐπελθούσης.* Quo recte observato nova, nisi fallor, efficitur loci huius expli-

catio, ut hoc dicat Dionysus: se gavisum esse, et gavisum etiam esse signaque edidisse laetitiae Chorum. Iam enim haec, ὁ χορὸς δ' εὐθὺς etc. non, ut nonnulli videntur accipere, utque me olim ipsum accipere memini, cum ἡνίκα coniungenda erunt, sed ita accipienda omnia:

Wohl freut' ich mich sehr, als Meldung geschah von dem abgeschiednen Darius;
Und der Chor, so schlug er zusammen die Händ' auf der Stell', und sagte juchheisa.

Quam in rem non inutile erit observasse, de quo tum me monere, locosque nonnullos afferre meministis, Commilitones, quum non una occasione manus et nunc complodant homines, et olim comploserint Graeci, hoc tamen facile usitatissimum esse, ut in laetitia atque in risu manus commemorentur complosae. Igitur haec nova est eaque immanis Dionysi aberratio atque confusio, quod Chorum videre sibi in Persis visus est manus prae laetitia complodentem, et exclamantem laetabile ἰαυοῖ. At aliquid tamen debebit in hoc errore et in hac confusione veri inesse: frigidus enim foret iocus, si ista mentiretur omnia Dionysus. Itaque circumspiciendum est, quid potuerit in fabula Aeschyli his, quae videre sibi ille visus est, simile esse. Et ἰαυοῖ quidem non moror: potuit enim Dionysus, quum semel sibi persuasisset prae laetitia complodere manus Chorum, de suo addere interiectionem laetantis. Etsi fateor valde probabilem esse supra prolatam Seidleri hac de re coniecturam. Novas et inusitatas in Persis interiectiones esse etiam Hermannus monuit, de Persis p. XVII. sunt autem maxime hae: ὀᾶ, et ἠέ, quarum haec communis Persis cum Supplicibus et Septem, illa propria Persis, etsi simile est in Supplicibus ό, ό, ό, ά, ά, ά. Sed in quo cardo rei vertitur, haud dubie manus sunt complosae. Chorus quum in aliquo Per-
VI sarum loco manus complosisset, id ridiculum Dionyso errorem peperit. Laudabam, quo non indignum tragoedia esse hunc gestum ostenderem, Quintilianum XI. 3, 123. *Nam etiam complodere manus scenicum est, et pectus caedere.* locos autem, quibus aptus atque accommodatus gestus iste videri possit, in Persis monstrabam duos: unum, v. 578. et 581. in quo ad significandum luctum Chorus uti eo gestu poterat; alterum, v. 694. At-

que hoc quidem valde placebat: ut Chorus averso a Rege vultu, complosis manibus coniunctam cum trepidatione reverentiam et quasi sacrum horrorem significaverit. Praeivit hoc quodammodo quem supra audivimus, H. Vossius. Welckerus autem, Collega coniunctissimus, plane id ipsum, de complosis eo loco manibus, dudum a se conscriptum monstravit mihi; et ab eodem est, quod *ἰανοῖ* juchheisa, vel juchhe, reddidi: quamquam hoc ille alio quodam modo accipit, quem ipsi exornandum relinquo.

Sed ut nihil taceam, videtur gestus iste etiam ad hunc locum, *βάσκε πάτερ ἄκακε Δαρειάν*, *οἶ*, aptus esse, v. 664. 672. ut Darium Chorus complosis manibus obsecret atque excitet. atque ibi si non *ἰανοῖ*, at tamen *οἶ* exclamatur. Ac nescio an sic melius quadret, quod Dionysus dicit: *ἀπηγγέλθη περὶ Δαρείου τεθνεῶτος*. Quae verba ad eum relata locum, in quo de absente Dario agunt alii, aptiora sunt, quam si referantur ad eum locum, in quo cum Dario iam praesente agitur. Debeo hanc quidem observationem Seidlero meo, cuius memoriam suavissimam nunquam depono, et monimentum amicitiae penes me habeo emendationes atque observationes in Aristophanis Ranas breves, sed quales exspectes a viro eruditissimo, exquisitas, subtiles, scriptas ab ipso mecumque communicatas ante multos annos, sed post censuram illam. Ibi igitur postquam scripturam hanc, *ἡνίκ' ἀπηγγέλθη*, quae nunc quidem etiam ab aliis recepta est pro vulgato olim *ἤκουσα*, commendavit, ita monet: *Sensus: da die Ankündigung geschah vom Schatten des Darius*; *quum diceretur, nuntiaretur, Darium esse evocandum, vel evocatum iri.* et ad versum 1029. de complosis manibus nihil, sed de *ἰανοῖ* ita: *Per iocum Choro Aeschyleo tribuitur exclamatio ἰανοῖ.*

Valete, Cives, et strenue omnes in sua quisque disciplina elaborate.

XXVI.*)

Proverbium Vobis hodie, ne sine consueto prologo hicce Index prodeat, proponemus, tum per se scitum ac memorabile, tum ut tollatur, si qua inest obscuritas, denique, ut doceamus, si fieri possit, quis primum scriptor eo proverbio usus sit.

Suidas: *Ἀρκάδας μιμούμενοι. παροιμία ἐπὶ τῶν ἑτέροις πονούντων. οἱ γὰρ Ἀρκάδες μαχιμώτατοι Ἑλλήνων γενόμενοι, ἰδίᾳ ἐνίκησαν μὲν οὐδένα· ἑτέροις δὲ συμμαχοῦντες, πολλούς. ταύτῃ δὲ τῇ παροιμίᾳ κέχρηται Πλάτων ἐν Πεισάνδρῳ. διὰ γὰρ τὸ τὰς κωμῳδίας αὐτὸς ποιῶν ἄλλοις παρέχειν διὰ πενίαν, Ἀρκάδας μιμεῖσθαι ἔφη.* Apertissima sententia. Plato Comicus quum aliis fabulas fecisset, quas illi tamquam a se scriptas ederent, mox, postquam, actis fabulis, rumor de fraude increbuit, in Pisandro, quae nota est Platonis comoedia, fatetur quod verum erat, vel, tecte significat, nescimus enim an rem totam patefecerit: Arcadas se imitari, qui sibi non vincant sed aliis soleant vincere. Quae nobis videtur ingeniosissima excusatio, vel fortasse gloriatio, modo illud cogitando suppleas, quod res postulat, placuisse, quum agerentur, ornatasque esse praemio, quas Plato aliis edendas dedisset fabulas. Scilicet quod Arcades, quum essent bellicosissimi, multum militabant pro aliis, id ita interpretatur poeta, in honorem Arcadum, acsi, fortasse generoso gloriae contemptu, Arcades aliis vincere quam sibi mallent; eoque se similem esse Arcadibus. At alii, puto quod illud in opprobrium dici Arcadum sibi persuasissent, quum Platonem non posse de semet ipso comparatione parum honorifica uti intelligerent, id efficere ex verbis Suidae conati sunt, ut Plato illud non de se, sed de alio, et quidem de Pisandro, quem poetam faciebant comicum, dixerit. Sic iam Erasmus in Adagiis, qui ita reddit Suidae locum: *Plato Pisandro scribit* illum *Arcadas imitari, quod comoedias a se conscriptas aliis edendas traderet propter inopiam.* Deinde in Suida Portus *πλάτων ἐπὶ πεισάνδρῳ* edidit, locumque totum ita detorsit

*) IV. Cal. Mart. a. 1833.

latine vertendo: *Hoc autem Prouerbio vsus est Plato* aduersus
Pisandrum. *Quod enim ipse comoedias faceret, et propter pau-
pertatem aliis eas traderet, Arcadas* ipsum *imitari dixit.* Et ἐπὶ
quidem illud Porto editio praeiverat Frobenii. Sed undecumque
sit, haud dubie ἐπὶ aut erratum est, pro ἐν, aut illatum ab eo,
qui effici hac correctione putaret, ut ad Pisandrum, quem ille
poetam coniiciebat comicum fuisse, referrentur sequentia διὰ γὰρ
τὸ τὰς κωμῳδίας αὐτὸς ποιῶν etc. Frustra ille. Sive enim ἐπὶ
legeris, sive ἐν, semper ποιῶν et παρέχειν et μιμεῖσθαι ab no-
mine Πλάτων pendent. Suidas aut Πλάτων Πεισάνδρῳ, aut
Πλάτων ἐν Πεισάνδρῳ scripsit. utrumque licet. nobis aptius huic
loco cum praepositione visum est; atque Kusterum non sine li-
brorum auctoritate, Mediolanensis, aut scripti libri, ἐν praeposi- IV
tionem edidisse credibile est. Et tuetur ἐν, haud contemnendo
testimonio, Michael Apostolius Proverb. IV. 25. Ταύτῃ κέχρηται
Πλάτων ἐν Πισάνδρῳ etc. qui Michaelis Apostolii locus hac
quidem in re Suidae est simillimus loco, sed alia quaedam magis
Eustathii in Iliad. II. 612. p. 302, 30. disputationi similia ha-
bet. Eustathium rursus exscripsit Favorinus v. Ἀρκάς. Singu-
lare in Eustathio hoc est, quod fabulae nomen Platonicae omit-
tit: — ὅθεν καὶ Πλάτων ὁ κωμικὸς διὰ τὸ τὰς κωμῳδίας φησὶν
(sic) αὐτὸς ποιῶν ἄλλοις ἐκδιδόναι διὰ πενίαν Ἀρκάδας μι-
μεῖσθαι ἔφη. Verum ita saepius Eustathius, alii, etiam antiquio-
res, quippe iam non ex ipsis veterum scriptorum operibus, sed
ex aliis locupletioribus grammaticis docti. Taceo Zenobium II.
59. Diogenianum I. 29. Lex. Bekkeri Anecd. I. p. 218. qui
Platonis nullam mentionem faciunt.

Scripta haec sunt etiam eo consilio, ut assensum merere-
mur Meinekii, dubitantis hoc de loco Quaest. Scenic. II. p. 12.
Illud non facile credam, διὰ πενίαν Platonem aliis scripsisse fa-
bulas. Ac fortasse ex illa ipsa Arcadum comparatione, quos
grammatici pro mercede saepe militasse nossent, infelix nata
coniectura est, Platonem quoque mercedis caussa fabulas scri-
psisse aliis.

Denique, etsi minime negamus mature, et fortasse multo
ante Platonem Comicum tempore, proverbium ortum de *Arcadi-
bus* esse, fortasse etiam eum in modum, quo olim de Helvetio-

rum apud exteras nationes militia proverbium pervulgatum fuit: tamen ea sententia dictum proverbium, qua a Platone dici vidimus, ipsi tribuendum Platoni censemus. Quare verba etiam proverbii ipsa, quae manifesto numerosa sunt, Platonis verba, et sic concipiendum esse proverbium: *Ἀρκάδας μιμούμενος*, ut est apud Eustathium, Zenobium, Diogenianum, reliquos, putamus; non *μιμούμενοι*, ut habetur apud Suidam. Ut hoc sit Platonis, in Pisandro fabula, et quidem aut in epirrhemate tetrametris, ut solet, scripto trochaicis, aut, si quis hoc nolit propterea quod moris non sit, de se suisque rebus poetam in epirrhematis dicere, in parabasi, quae proprie dicitur, metro scripta Eupolideo, quo quidem metro parabases, praeter Aristophanem in Nubibus, etiam Eupolis in Baptis et Plato ipse in Paedario scripsere, de semet ipso loquentis, fragmentum:

— — *Ἀρκάδας μιμούμενος.*

Quamquam apud Platonem etiam *μιμουμένου* esse potuit, vel *μιμουμένῳ*.

Caeterum recte conieci supra. *πλάτων ἐν πεισάνδρω* editum est, ut nunc video, in Mediolanensi. Frobeniana etiam aliud peccat hoc loco, praeter *ἐπὶ* illud: omittit enim *γὰρ* particulam, sic: — *κέχρηται πλάτων ἐπὶ πεισάνδρῳ, διὰ τὸ τὰς κωμῳδίας αὐτὸς ποιῶν* et quae seq. Ad Mich. Apostolium Pantinus, non satis intelligo unde, hac conformatione proverbium, *Ἀρκάδας μιμήσομαι*, profert p. 297. De illis utilissimis Arcadum auxiliis testimonium facile unum omnium disertissimum ap. Athenaeum I. p. 27. F. est, Hermippi, ubi enumerat, quid quaeque civitas praebeat in suo genere praestantissimum: *ἀνδράποδ᾽ ἐκ Φρυγίας, ἀπὸ δ᾽ Ἀρκαδίας ἐπικούρους.* Fabulae Herculis celebrabant *τοὺς ἀεὶ συστρατεύοντας* (Herculi) *τῶν Ἀρκάδων.*

XXVII.*)

Locum difficiliorem, in quo nihil ipse effeceris, quod tibi ab omni parte satis faciat, interdum in publicum proferre iuvat, ut multorum expositus industriae Oedipum inveniat suum. Talem nunc locum Pyrrhus ille Niebuhrii: nam Niebuhrii licebit Pyrrhum dicere partem Historiae Romanae eam, in qua Virum immortalem cum singulari studio ac voluptate elaborasse et ante audiveramus, et nunc, postquam ea lucem vidit, cum nostra voluptate compertum habemus: suppeditat, epigrammation breve, et quod vix dignum videatur, cui enucleando, vel potius, quoniam de sensu nulla potest dubitatio esse, restituendo Oedipum quendam expetamus, sed tamen memorabile, praesertim si vera sit, quam de eius antiquitate Niebuhrius conceperat, opinio. Verum in eo ipso dubitatio versatur nostra, quam illud sit antiquum. Exstat autem apud P. Orosium IV. 1. qui narrato quod apud Heracleam gestum est proelio ita pergit: *Sed Pyrrhus atrocitatem cladis, quam hoc bello exceperat, diis suis hominibusque testatus est, adfigens titulum in templo Tarentini Iovis, in quo haec scripsit:*

Qui ante hac invicti fuere viri, pater optime Olympi,
Hos ego in pugna vici, victusque sum ab iisdem.

Et cum a sociis increparetur, cur se victum diceret qui vicisset, respondisse fertur: Ne ego si iterum eodem modo vicero etc. Quos versus, si hi sunt versus, leguntur autem distincti, tamquam versus, in exemplari Havercampi, varietate in libris, quod sciam, nulla, nisi quod in Paris. 1510. et Coloniensi Io. Caesarii 1536. inverso verborum ordine, *Qui antehac fuere invicti* editum: Niebuhrius Historiae Rom. P. III. p. 560. ipse *antidhac* scribens, et *isdem*, et cum editore Orosii Lautio *fuvere*, expressos e graeco disticho versus saturnios esse dicit, perveteres, quippe factos ante Ennium; post Ennii aetatem neminem elegiacum distichon graecum versibus expressurum saturniis fuisse. Mihi, fateor, illi, quoties lego, toties non solum prior, sed etiam alter, non, ut

*) VIII. Cal. Sept. a. 1833.

videbatur Viro summo, facti ad imitationem versus hexametri et versus pentametri saturnii, sed uterque veri fuisse hexametri heroici videntur. Fuisse, inquam: nam sane, quod Lautius, eumque sequutus qui nuperrime fragmenta edidit Ennii, E. S. ICtus pag. 82. statuunt, versus, ut nunc leguntur, hexametros esse, sic, puto, metiendos:

Qui ántehac invicti fuére viri, pater óptime Olýmpi,
Hós ego in púgna vici, victúsque súm ab iisdem:

tales versus neque ipse facere Orosius, quem metri quantumvis imperitum, hexametri tamen modulos ex Virgilio, Lucano, quos
IV noverat, tenuisse probabile est, neque is potuit, cui versus illos Lautius et alter tribuunt, Ennius. Ut statuendum sit antiquiores Ennio versus esse atque contentam tam incultis hexametris istam aetatem fuisse, antequam ad graecae prosodiae severitatem hexametrum latinum conformasset Ennius. Quod ego tum credam, quum alia prorsus huic similia et certa exempla prolata fuerint. Ut alia taceam, utque taceam nihil in dicendi genere verbisque esse, quod tam remotae aetati hos versus vindicet, quanto magis credibile est, sic illud metiendum esse: *victúsque sum ab isdem,* elisione dura nobis quidem, sed olim minime dura, quam sic: *victúsque súm ab iisdem, sum* syllaba non elisa, et sub ictu posita.

Mea nunc quidem sententia, vel opinatio, haec est: versus fuisse Ennii in Annalibus. Quem illis aptiorem locum invenias? Deinde qui eos Orosio transmisit, quem Livium esse vera est haud dubie sententia Niebuhrii, igitur Livius versus Ennii recepit hunc in modum a se immutatos. Qua in re non tam hoc mirum, quod metro ex parte exuerit verba Ennii, quam quod tam manifesta metri vestigia reliquerit. Mirum quoddam quasi odium versuum cernitur in Livio, vel singularis prosae orationis stilique historici castitas: cuius, tot libri unum diserte atque addito nomine dictum Ennii, sed orationi intextum, detracto metro, tum alios locos nonnullos, in quibus eundem Ennium ante oculos versatum scribenti dixeris, at plenum atque integrum versum hexametrum ex vetere poesi, si recte memini, omnino nullum exhibeant. Saturnios versus non dubitavit inserere: puto, quod hos iam non haberet pro versibus. ac praeterea hos quoque ita suae orationi accommodare solet, et quasi mitigare, si licet

apto Scaligeri verbo, ubi de Marcianis carminibus unum parum feliciter tractat, uti, ut re vera iam non sint versus.

Non dicam, qui ipsius fuerint versus Ennii. Nisi singulari fortuna conservati sint. Certe mirum est, neque ab alio, quantum video, annotatum, in Historia Miscella, quae vulgo Paullo Diacono adscribitur, II. 16. p. 785. ed. I. Gruter. reliqua ex Orosio, eundemque in modum scripta, quo supra scripta ex Orosio apposuimus, at versus illos ita conceptos exhiberi:

Qui invicti ante fuere viri, pater optime Olympi,
Hos et ego in pugna vici, victusque sum ab iisdem.

Quaeritur utrum ex illis membranis Palatinis, quarum vetustatem in praefatione Gruterus praedicat, Bongarsiive codice, an forte ex ipsius Gruteri, vel alius cuiusdam coniectura. Itaque hoc primum doceri velim, quid eo loco sit in editis ante Gruterum exemplaribus: ego tantum Gruterum habeo, et qui hoc in loco a Grutero, ut puto, pendet, Muratorium. Mihi quidem hi versus non statim antiquum illud, Ennianum, sonabant. Deinde fraudis suspicionem iniecit, quod apud Orosium certa videtur scriptura esse, codicum auctoritate, *Qui antehac invicti fuere* et *Hos ego.* Neque hoc incredibile est, in Historia Miscella librarium, vel ipsum eum, qui ex Orosio auxit Historiam Miscellam, ex ingenio restituisse quos apud Orosium imperfectos videret versiculos.

Lusimus etiam epigramma, quale illud potuerit esse graecum:

Ζεῦ πάτερ, οἳ τὸ πάροιθεν ἀνίκατοι πέλον ἄνδρες,
οἱ μὲν ἐνικήθησαν, ἐνικήθην δὲ πρὸς αὐτῶν.

vel sic: *τοὺς μὲν ἐγὼ νίκησα, νενίκημαι δὲ πρὸς αὐτῶν.*

XXVIII.*)

Quae Novi Musei Rhenani Volumini primo inserta est de Dicaearcho dissertatio, eius statim titulus non plenam atque absolutam argumenti satis ampli, quod est de Dicaearcho eiusque scriptis, tractationem pollicebatur; quae autem attigimus, in iis caute, eaque qua decet modestia, quid certum nobis esset, quid minus certum, aliorumque sive industriae sive acumini relinquendum, denique quid prorsus obscurum, nobis quidem, esset, distinctum est. Illa quod attinet, quae deesse ad plenitudinem dico, id genus duplex est. Nonnulla enim omisi a me neque penitus explorata, neque vero exploranda, postquam cognovissem esse ea ab hoc filo, quod ego legebam, aliena. Alia verbo attingere satis habui, vel etiam non attigi, ut satis certa neque ulli facile dubitationi obnoxia.

Ex hoc posteriori genere unum nunc hoc loco, ubi brevis requiritur disputandi materia, explicabimus: de Dicaearcho recentiore, Lacedaemonio, grammatico, Aristarchi auditore. Eius, praeter nomen ex Suida, nullum adhuc certum vestigium inventum esse scripseram. Quo significabam, quotquot essent, sive a me reperti, sive ab aliis indicati, de *Dicaearcho* loci, quotquot testimonia, inter omnia nullum esse, quin maiori probabilitate ad illum nobilem Dicaearchum Messenium, Aristotelis discipulum, quam ad recentiorem grammaticum referretur. Excipiebam, sed cum multa dubitatione, illas *ὑποθέσεις τῶν Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους μύθων:* quas Reinesius aliquando grammatico vindicandas Dicaearcho esse opinabatur, non inepte. Non exceperam
IV autem, sed comprehenderam ista mea significatione, tum alios locos, tum maxime Apollonii Dyscoli de Pronomine p. 320. B. locum, in quo quum nuper eruditus iuvenis, A. Buttmannus, grammatici invenire Dicaearchi mentionem sibi visus sit, breviter quid hoc rei sit, videbimus.

Et nonnulla quidem hanc in rem iam occupavit doctus

---

*) Non. Mart. 1831

Buttmanni Censor in Ephemeridibus scholasticis: Allgem. Schulzeitung m. Novemb. a. 1833. primum, si ille sit grammaticus Dicaearchus, quem ibi Apollonius laudat, non sequi ex verbis Apollonii, aliquid illum scripti in Homerum edidisse; deinde nihil obstare, quominus de priore Dicaearcho, Messenio, intelligatur Apollonius, quum eum Dicaearchum haud raro in scriptis suis Homeri usum esse versibus credibile sit. Potuerant alia addi argumenta. Sic Dicaearchum istum, uno Apollonii indicio, inter grammaticos numerare Homericos, quum neque ex scholiis notum, neque Eustathio auditum hoc nomen sit, periculosum videri debet, ubi de altero nobiliore Dicaearcho cogitare licet. Neque hoc per se probabilitatem habet ullam, Aristarchum Dicaearchi, *discipuli* sui, nam discipulum Aristarchi Dicaearchum grammaticum fuisse Suidas perhibet, *cupide, ἀσμένως,* scripturam recepisse. Magis foret probabile, si *magister* Aristarchi perhiberetur Dicaearchus iste, ab Dicaearcho, magistro suo, aliquid recepisse Aristarchum.

Nos nunc, qui non dubitamus, quin Dicaearchus apud Apollonium intelligendus sit Messenius, quem ille locum Homericum laudaverit, et qua opportunitate laudare potuerit, videbimus. Nam ne hoc quidem statim certum, de quo Homeri loco sermo sit.

Disputat ibi Apollonius de pronomine *ἑός, ὅς,* quod ille, ut Prisciani XIII. 969. ea in re verbis utar, modo transitivum modo reciprocum esse docet. Illud Apollonius tum hoc loco, tum loco gemino de Syntaxi p. 149. sqq. ed. Bekker. *ἁπλῆν* dicit *ἀντωνυμίαν*, vel *ἁπλῆν μετάληψιν* sive *τὴν εἰς ἁπλῆν μετάληψιν*, vel etiam *εἰς ψιλόν, ψιλῶς, μεταλαμβάνειν;* hoc *σύνθετον ἀντωνυμίαν*, vel *σύνθετον μετάληψιν.* Igitur p. 319. de Pronom. locos Homeri percenset hos. Iliad. III. 332. 3. ubi *οἷο* reciprocum esse dicit: induit Paris thoracem fratris *sui,* Lycaonis, *τοῦ ἑαυτοῦ ἀδελφοῦ.* Odyss. III. 39. ubi rursus reciprocum *ᾧ*. Odyss. XIII. 265. ubi *ᾧ* transitivum: *ᾧ πατρί*, i. e. *αὐτοῦ τῷ πατρί.* Et sic alios, quibus nunc reciprocum esse nunc transitivum pronomen ostendit, Odyss. XV. 118. Iliad. XVI. 800. XX. 235. VI. 474. XXIV. 292. Odyss. XIII. 52. Tum ita pergit: *φασὶ δὲ καὶ τὸν Ἀρίσταρχον ἀσμένως τὴν γραφὴν τοῦ Δικαιάρχου* V

παραδέξασθαι (ex emend. Bekkeri: cod. *ἀναδέξασθαι*)· *ἐν γὰρ ἁπάσαις ἦν τὸ ἑῇ ἐν πατρίδι γαίῃ* (emend. Bekkerus: cod. *τὸ ἑὴν ἐς πατρίδα γαιῃ*), *ὑπολαβόντα τὸ ἑαυτοῦ νοεῖσθαι ἐκ τοῦ ἑῇ, δέον ψιλῶς μεταλαμβάνειν.* Quae sic a se emendata Bekkerus rectissime non ad locum, qui proxime praecedit apud Apollonium, Odyss. XIII. 52. quo in loco nihil unquam variatum esse censeo, sed ad Iliad. III. 244. referenda esse monet, collatis tum gemino Apollonii Syntax. p. 159, 1. (p. 157, 14. ed. Bekk.) loco, tum scholio Veneto ad Iliad. III. 244. quo scholio disputatio continetur, contra quam et hic et in opere de Syntaxi repugnat Apollonius, Aristarchi. Et Homerum quod attinet, cuius notissimi versus sunt de Helena fratres, Castorem et Pollucem, quaerente:

ὣς φάτο· τοὺς δ' ἤδη κατέχεν φυσίζοος αἶα
ἐν Λακεδαίμονι αὖθι, φίλῃ ἐν πατρίδι γαίῃ:

utrum a manu Homeri *φίλῃ* sit, quod Aristarcho placebat, an quod *ἐν ταῖς πλείοσιν ἐκδόσεσιν*, vel adeo *ἐν ἁπάσαις* esse, non proprium Zenodoti, testatur Apollonius, *ἑῇ*, difficile dictu est. Illud mihi non ambiguum, *ἑῇ*, si haec vera et antiqua scriptura sit, non posse, quod vult Apollonius, ad Helenam referri: non quod graece ita dici nequeat, sed Homerica sermonis simplicitas ad Castorem et Pollucem, quorum proxime praegressa est mentio, *ἑῇ* referri iubet. Atque sic, puto, *ἑῇ* accipiebat Zenodotus, non ille haerens in eo, quod *ἑῇ* insolentius dictum de pluribus. Caeterum ea est Apollonii brevitas, ut fortasse vitii iniicere suspicionem debeat. Quid enim hoc est, quod ante verba *φασὶ δὲ καὶ τὸν Ἀρίσταρχον* etc. praecedit proxime: *καὶ ἐπὶ αἰτιατικῆς τὸν ξεῖνον πέμπωμεν ἑὴν ἐς πατρίδα γαῖαν* —? Est hic, ut dixi, Homeri Odyss. XIII. 52. versus, quem eo consilio Apollonius profert, ut ostendat transitivum esse *ἑήν*. Sed quid additum *ἐπὶ αἰτιατικῆς*? Additum ab Apollonio, nisi fallor, ut distingueret duos sibi ante animum versantes inter se valde similes locos, unum Odyss. XIII. 52. in quo *ἑὴν ἐς πατρίδα γαῖαν*, alterum Iliad. III. 244. in quo *ἑῇ πατρίδι γαίῃ*. Verum id ipsum nescio an ita satis perspicue fiat. Exspectabam tale quiddam: *καὶ ἐπὶ αἰτιατικῆς· τὸν ξεῖνον πέμπωμεν ἑὴν ἐς πατρίδα γαῖαν. καὶ ἐπὶ δοτικῆς· ἑῇ ἐν πατρίδι γαίῃ. φασὶ δὲ καὶ τὸν Ἀρίσταρχον* etc.

Vel sic: *καὶ τὸ ἑῇ ἐν πατρίδι γαίῃ. καὶ ἐπὶ αἰτιατικῆς· τὸν ξεῖ-
νον πέμπωμεν ἑὴν ἐς πατρίδα γαῖαν. φασὶ δὲ καὶ* etc. Prae-
terea in verbis extremis, *ὑπολαβόντα τὸ ἑαυτοῦ νοεῖσθαι ἐκ τοῦ
ἑῇ*, etsi aliquo modo defendi queat *ἑαυτοῦ*, tamen ex scholio VI
illo Veneto haud inepte coniicias *τὸ ἑαυτῆς*. Tertium locum,
in quo *ἑῇ ἐν πατρίδι γαίῃ*, tractat Apollonius Syntax. p. 157, 24.

Aristarchus, ut vidimus, *φίλῃ* praetulerat, idque, ut nonnulli existimabant, Dicaearchi maxime auctoritate. Scilicet annotaverat Aristarchus, sic, *φίλῃ*, apud Dicaearchum scriptum legi. Quod ego non ita accipio, acsi Dicaearchus alicubi diserte eam scripturam commendaverit: sed alicubi sic scriptos versus de Castore et Polluce apposuerat. Ac fortasse assequi coniectura licet, quo libro, in qua disputationis serie, et quo consilio apposuerit. Nimirum in *Βίῳ Ἑλλάδος*, in ea fere disputatione, eoque fere consilio, quo eosdem versus apposuit Clemens Cohortat. ad gent. p. 19. A. ut ostenderet, *ἀνθρώπω τινὲ τούτω τὼ Διοσκούρω ἐπικήρω* fuisse. Quam sane in rem aptissimi versus Homeri erant, qui plane id ipsum loquuntur, nisi vim facere verbis velis. Herculis figurae descriptionem qui legerit, quam paullo post ex Dicaearcho dat Clemens, facile hanc approbatam Dicaearcho fuisse mythologicam sapientiam credet, cui Hercules, Dioscuri, et heroes alii, veri sunt homines, olim remotissima aetate illustres. Non alienum ab hac disputatione, quod nuper in mentem revocavit docto libro, de Aristarchi studiis Homericis p. 186. Lehrsius, Aristarcho observatum, Herculem Homero non fuisse immortalem.

Ad Dicaearchum revertenti in mentem venit eius temporis locique, quo primum diligentius inquirere in scripta huius viri coepi. Id fuit quum de Persis Aeschyli scripsi, in Prooemio Ind. Scholar. acad. aestiv. a. 1832. Ubi quum in Vita Aeschyli Robortell. corrigenda interpunctione emendationem feci: *φασὶν ὑπὸ Ἱέρωνος ἀξιωθέντα* (Aeschylum) *ἀναδιδάξαι τοὺς Πέρσας ἐν Σικελίᾳ καὶ λίαν εὐδοκιμῆσαι. ἐκ τῆς μουσικῆς ἱστορίας. ταύτῃ καὶ ἄριστα* etc. eam prorsus confirmari codicis Guelferbytani auctoritate docuit me Vir summus Hermannus. In eo codice verba *ἐκ τῆς μουσικῆς ἱστορίας* non solum separata ab reliquis unum per se versum efficere, sed etiam, ut inscriptionem esse appareat, colore rubro distincta esse. Hoc

nolebam Vos praeterire Commilitones philologi, et quibus aliis id dignum memoria videri possit.

XXIX.*)

De ἠδέ et ἰδέ particulis apud Homerum, qua ex lege nunc hoc, ἠδέ, nunc illud, ἰδέ, scribatur, in medio quidem versu, levis haud dubie quaestio est, sed tamen, quantumvis levis, pertinens ad emendandum Homerum quaestio. Ac fortasse non tam levis censebitur, recte pertractata, quam videatur primum intuenti. Quid enim, si haec quoque res ab accurata observatione artis Homeri metricae pendeat? Dubitatum iam esse a Grammaticis in locis non paucis, utrum ἠδέ scribendum esset, an ἰδέ, partim codices fidem faciunt, quorum crebra et fere sollemnis in locis, qui eam dubitationem admittunt, fluctuatio est, partim conservata in Scholiis indicia docent, sed illa pauca, quantum video, et ex quibus nullam certam ac plenam Grammaticorum doctrinam eruas. Quo magis nunc placet, appositis locis Homericis qui huc pertinent omnibus, experiri, an quid ipse nos Homerus doceat.

In ea re ita versabimur, ut primum ἠδὲ particulam, ubi recte vel adeo necessario scribatur, in medio versu, monstremus. Igitur relictis exemplis his, ubi quintum in versu pedem obtinet ἠδέ, quorum permagna multitudo est; deinde his, ubi aut in primo pede, aut in secundo, quorum par fere numerus, non tantus, quantus illorum in pede quinto, sed tamen et ipse satis magnus; denique his, quae non multa sunt, ubi ἠδέ vel ἠδ' in confinio quarti pedis et quinti ponitur, ut *κεφαλὴν ἠδ' εὐρέας ὤμους* et *ἔχειν, ἠδ' ὅστις ὀπυίοι*, vel *μάχης ἠδὲ πτολέμοιο:* his igitur relictis, non quod nihil dignum observatione vel obnoxium dubitationi offerant, sed ut certis quibusdam finibus contineamus disputationem nostram: in medio versu recte vulgo,

---

*) V. Cal. Sept. 1834.

hoc est, apud Wolfium, *ἠδέ* scribitur his locis qui sequuntur. In Iliade:

II. 152. *ἅπτεσθαι νηῶν, ἠδ' ἑλκέμεν εἰς ἅλα δῖαν,*
500. *οἵ τ' Ἐλεῶν' εἶχον ἠδ' Ὕλην καὶ Πετεῶνα,*
504. *οἵ τε Πλάταιαν ἔχον, ἠδ' οἳ Γλίσαντ' ἐνέμοντο,*
539. *οἵ τε Κάρυστον ἔχον, ἠδ' οἳ Στύρα ναιετάασκον·*
574. *Πελλήνην τ' εἶχον, ἠδ' Αἴγιον ἀμφενέμοντο,*
585. *οἵ τε Λάαν εἶχον, ἠδ' Οἴτυλον ἀμφενέμοντο·*
634. *οἵ τε Ζάκυνθον ἔχον, ἠδ' οἳ Σάμον ἀμφενέμοντο·*
635. *οἵ τ' ἤπειρον ἔχον, ἠδ' ἀντιπέραι' ἐνέμοντο·*
683. *οἵ τ' εἶχον Φθίην ἠδ' Ἑλλάδα καλλιγύναικα·*
III. 248. *κήρυξ Ἰδαῖος ἠδὲ χρύσεια κύπελλα·*
IV. 258. *ἠμὲν ἐνὶ πτολέμῳ, ἠδ' ἀλλοίῳ ἐπὶ ἔργῳ,*
VIII. 349. *Γοργοῦς ὄμματ' ἔχων ἠδὲ βροτολοιγοῦ Ἄρηος.* IV
560. *τόσσα μεσηγὺ νεῶν ἠδὲ Ξάνθοιο ῥοάων,*
IX. 151. *Φηράς τε ζαθέας ἠδ' Ἄνθειαν βαθύλειμον,*
293. idem versus.
X. 363. *ὡς τὸν Τυδείδης ἠδὲ πτολίπορθος Ὀδυσσεύς,*
XIII. 771. *Ἀσιάδης τ' Ἀδάμας, ἠδ' Ἄσιος, Ὑρτάκου υἱός;*
XIV. 199. *δαμνᾷ ἀθανάτους ἠδὲ θνητοὺς ἀνθρώπους.*
XVIII. 116. *Ζεὺς ἐθέλῃ τελέσαι, ἠδ' ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι.*
XX. 39. *Φοῖβος ἀκερσεκόμης ἠδ' Ἄρτεμις ἰοχέαιρα.*
202. *ἠμὲν κερτομίας ἠδ' αἴσυλα μυθήσασθαι.*
320. *ἶξε δ' ὅθ' Αἰνείας ἠδ' ὁ κλυτὸς ἦεν Ἀχιλλεύς.*
433. idem versus qui 202.
XXII. 234. *γνωτῶν οὓς Ἑκάβη ἠδὲ Πρίαμος τέκε παῖδας·*
366. idem versus qui XVIII. 116.
XXIII. 208. *ἀλλ' Ἀχιλεὺς Βορέην ἠδὲ Ζέφυρον κελαδεινὸν*
XXIV. 574. *ἥρως Αὐτομέδων ἠδ' Ἄλκιμος, οὕς ῥα μάλιστα —*

Ex Odyssea numeros ponere versuum satis habeo: IV. 702. et V. 20. VIII. 578. IX. 110. 367. X. 22. XI. 402. XV. 93. 334. XVII. 295. XVIII. 262. XIX. 460. XXI. 252. XXII. 238. XXIV. 112. (idem versus qui XI. 402.) 314. H. Apoll. 155. Merc. 107. 248. Cer. 11.

Quibus locis omnibus recte *ἠδέ* scribi, sic tantum contendo, ut *ἰδέ* substituendum pro *ἠδέ* particula esse negem. Quippe in

his neque libri *ἰδέ* particulam commendant, neque alia res suadet, ut inferatur *ἰδέ*, et longe plerique manifesto respuunt ea forma particulam. Non dico omni illos omnes dubitatione exemtos esse. Veluti non prorsus sonant Homericum illud Odyss. VIII. 578. XV. 334.

ἰδέ particula ita certam unique affixam loco sedem habet in versu Homerico, ut mirationem faciant, utque notandi sint, qui aliter collocatam praebent versus hi: Iliad. XIV. 175. XVIII. 589. ubi *ἰδέ* in quinto pede; et hi, Iliad. II. 511. Od. III. 10. Il. XIX. 285. Od. XVIII. 161. h. Ven. 165. ubi *ἰδέ* in medio quidem versu, sed totum in pede tertio, ponitur. Et in illo quidem versu, Odyss. III. 10. *οἱ δ' ἰθὺς κατάγοντο, ἰδ' ἱστία νηὸς ἐΐσης στεῖλαν ἀείραντες*, ad quem de dissensu Aristarchi et Herodiani traditur, quorum unus *κατάγοντ' ἠδ'*, alter malebat *κατάγοιτο ἰδ'*, haud mirer, si alius neque hoc verum esse neque illud, sed *καί* inferendum esse dicat, ex Odyss. IV. 578. 781. VIII. 52. Sed tamen differt aliquid inter hos versus et illum.

Usitate, et ut nihil dubites de scriptura, *ἰδέ* his scribitur locis, Iliadis:

III.	194.	*εὐρύτερος δ' ὤμοισιν ἰδὲ στέρνοισιν ἰδέσθαι.*
V.	3.	*Ἀργείοισι γένοιτο, ἰδὲ κλέος ἐσθλὸν ἄροιτο.*
	171.	*Πάνδαρε ποῦ τοι τόξον ἰδὲ πτερόεντες ὀϊστοί,*
VI.	4.	*μεσσηγὺς Σιμόεντος ἰδὲ Ξάνθοιο ῥοάων.*
IX.	658.	*Πάτροκλος δ' ἑτάροισιν ἰδὲ δμωῇσι κέλευσεν,*
X.	573.	*ἐσβάντες, κνήμας τε ἰδὲ λόφον, ἀμφί τε μηρούς.*
XI.	15.	*Ἀτρείδης δ' ἐβόησεν, ἰδὲ ζώννυσθαι ἄνωγεν*
XIII.	432.	*κάλλεϊ καὶ ἔργοισιν ἰδὲ φρεσί·*
XIV.	165.	*χεύῃ ἐπὶ βλεφάροισιν ἰδὲ φρεσὶ πευκαλίμῃσιν.*
	348.	*λωτόν θ' ἑρσήεντα ἰδὲ κρόκον ἠδ' ὑάκινθον,*
XXIV.	166.	*θυγατέρες δ' ἀνὰ δώματ' ἰδὲ νυοὶ ὠδύροντο,*
	634.	*Ἦ ῥ', Ἀχιλεὺς δ' ἑτάροισιν ἰδὲ δμωῇσι κέλευσεν.*

Odysseae:

I.	112.	*νίζον καὶ προτίθεντο, ἰδὲ κρέα πολλὰ δατεῦντο.*
IX.	186.	*μακρῇσίν τε πίτυσσιν ἰδὲ δρυσὶν ὑψικόμοισιν.*
XI.	337.	*εἶδός τε μέγεθός τε ἰδὲ φρένας ἔνδον ἐΐσας;*
	431.	*ἀσπάσιος παίδεσσιν ἰδὲ δμώεσσιν ἐμοῖσιν*

626. Ἑρμείας δέ μ' ἔπεμψεν ἰδὲ γλαυκῶπις Ἀθήνη.
XVIII. 249. idem versus qui XI. 337.
XXII. 341. μεσσηγὺς κρητῆρος ἰδὲ θρόνου ἀργυροήλου·
XXIII. 289. τόφρα δ' ἄρ' Εὐρυνόμη τε ἰδὲ τροφὸς ἔντυεν εὐνὴν
h. Cer. 151. δήμου τε προὔχουσιν, ἰδὲ κρήδεμνα πόληος
190. τὴν δ' αἰδώς τε σέβας τε ἰδὲ χλωρὸν δέος εἷλεν·

Hic quoque quam certam dico scripturam, nolim ita accipi, ac si ab omni parte certam dicam. Sic de Odyss. I. 112. docte dubitationem movit Buttmannus. Hoc volo, non posse his in locis ἠδέ substitui pro ἰδέ particula, quam ubique magno, ut videtur, consensu libri tueantur, et in multis imperiose postulet versus.

Accedimus ad locos dubios, in Iliade:

II. 697. ἀγχίαλόν τ' Ἀντρῶν' ἠδὲ Πτελεὸν λεχεποίην·
IV. 147. εὐφυέες, κνῆμαί τ' ἠδὲ σφύρα κάλ' ὑπένερθεν.
382. οἱ δ' ἐπεὶ οὖν ᾤχοντ', ἠδὲ πρὸ ὁδοῦ ἐγένοντο,
VI. 469. ταρβήσας χαλκόν τ' ἠδὲ λόφον ἱππιοχαίτην,
VIII. 162. ἕδρῃ τε κρέασίν τ' ἠδὲ πλείοις δεπάεσσιν·
XII. 311. idem versus.
XVII. 534. Ἕκτωρ Αἰνείας τ' ἠδὲ Χρομίος θεοειδής·
XXI. 351. καίετο δὲ λωτός τ' ἠδὲ θρύον ἠδὲ κύπειρον,
XXII. 469. ἄμπυκα, κεκρύφαλόν τ' ἠδὲ πλεκτὴν ἀναδέσμην,
et Odyss IV. 604. πυροί τε ζειαί τ' ἠδ' εὐρυφυὲς κρῖ λευκόν.

Sic vulgo, etiam apud Wolfium. Vehementer dubito an non recte. Nam primum quis hanc ferat in Homero inconstantiam? nunc ut dixerit: Ἀργείοισι γένοιτο, ἰδὲ κλέος ἐσθλὸν ἄροιτο, nunc ut sic: οἱ δ' ἐπεὶ οὖν ᾤχοντ', ἠδὲ πρὸ ὁδοῦ ἐγένοντο. nunc: ἑσβάντες, κνήμας τε ἰδὲ λόφον, nunc sic: εὐφυέες, κνῆμαί τ' ἠδὲ σφύρα, et sic: ταρβήσας χαλκόν τ' ἠδὲ λόφον. nunc: εἶδός τε μέγεθός τε ἰδὲ φρένας ἔνδον ἐΐσας, nunc sic: VI ἕδρῃ τε κρέασίν τ' ἠδὲ πλείοις δεπάεσσιν. Est sane sua Homero inconstantia, qua ille aut a se ipse aut, quum non ab una manu haec profecta sint omnia, unus poeta recedit ab altero: quae observatio fortasse ad unum alterumve eorum versuum adhibenda est, quos supra notavi tamquam singulares. At ea in re, de qua nunc agitur, neque antiquissimum poetam derogasse

legi formaeque, quam aptam versui invenisset, neque alios quod usitatum viderent, deseruisse temere et sine caussa, credibile est. Quare constantiam expetendam esse critico censemus, laudamusque ab hac quidem parte Heynium, qui quum in exemplis, quae ultimo loco apposui, approbet hanc scripturam ἠδέ, etiam in prioribus exemplis Iliad. V. 3. X. 573. XIV. 348. ἠδέ legi et τ' ἠδέ, sublato hiatu, volebat.

Ego ut contraria ratione hos, quos ultimo loco commemoravi, Iliad. II. 697. IV. 147. et qui sequuntur, emendandos, et rescribendum ἰδέ in omnibus censeam, has caussas habeo. Primo quod sic hilariores fiunt numeri caesura illata trochaica. Deinde poetam, quum per se liberum esset, τε ἰδέ scribere aut τ' ἠδέ, illud praetulisse probabile est, ἠδέ autem particulam iis reservasse opportunitatibus, ubi versum pangenti commodum vel necessarium ἠδέ, inhabile ἰδέ. Quod genus supra vidimus, Iliad. II. 152. 500. etc. Qui male habebat Heynium, hiatus in τε ἰδέ magis appetendus est quam repudiandus, quum is sit non suspectorum hiatus huius exemplorum numerus, qui persuadeat, sollemnem Homero hiatum ante ἰδέ particulam fuisse. Quo pertinet Hermanni ad Orpheum p. 812. 813. disputatio et satis probabilis de digammo littera suspicio. Denique libros quod attinet, nullum puto esse inter exempla, quae ego emendanda esse dico, quin codices, etiam bonos et accurate scriptos, adstipulantes emendationi habeat. Est ubi optimi consentire in hac scriptura, τε ἰδέ, videntur. De uno nihil eiusmodi annotatum video, Iliad. XVII. 534. at facile unum exemplum sequetur reliqua, etiam invitis libris. Iliad. II. 697. utrumque licet, sed suavius Ἀντρῶνα ἰδὲ Πτ. In Odyss. IV. 604. si τε ἰδ' emendandum est, ut videtur emendandum esse, geminum exemplum supra commemoratis Iliad. II. 511. Odyss. III. 10. erit.

Tanto apparatu opus fuit, ut unam communirem parvam emendationem. Sentitis enim, Commilitones, vos, qui recentes a communi mecum lectione Homeri estis, scripta haec esse propter Homeri versum, qui est Iliad. XXII. 469. Quem versum ita conceptum vobis recitabam: ἄμπυκα, κεκρύφαλόν τε ἰδὲ πλεκτὴν ἀναδέσμην: confirmabamque eam scripturam scholio Ven. A. ad v. 470. Id enim ad versum 469. retrahendum

est, ita scriptum: ϑ'· ἐκ πλήρους ὁ τέ σύνδεσμος, κεκρυφαλόν τε (non κρήδεμνόν τε). οὕτως ἅπασαι.

Faveat Deus studiis vestris, quotquot estis, Iuvenes carissimi.

XXX. *)

Quam utilis sit ad interpretis vel etiam critici officium scriptorum idem dicentium inter se comparatio, et locorum, quos ex antiquiore scriptore recentior imitando expresserit, diligens observatio, et multi, ex quo primum inventa philologia est, alii feliciter docuerunt ac docent, et nos hodie magni cuiusdam imitatoris exemplis, tum aliis obiter, tum maxime uno, non certo illo, sed valde memorabili, si recte coniecerim, ostendemus. Is imitator Nonnus est, quem magnum dico, quoniam multus est in imitando, non magnum poetam. Enumerare imitationes Nonni, scriptoresque, quos imitatus est, omnes nemo, quod sciam, usque ad hunc diem instituit, neque ego hoc nunc ago. Initium colligendi P. Cunaeus fecit, ut ex Homero, Callimacho, Apollonio, Theocrito. Qui expressa ex Apollonio, in prioribus quidem Nonni libris, annotaverit diligentius, Moserum memini, in censura Nonni Graefiani Annal. litt. Heidelberg. a. 1827. N. 44. 45. Nuperrime autem Hermannus in sua Baccharum editione accurate comprobavit atque exsequutus est, quod scribit ad initium eius fabulae: *Nonnus, in Penthei fabula diligens imitator Euripidis.* Ad Moschi Europam annotata habeo quae imitationem arguant, Nonni unum alterumque. Sic v. 130. tantum a Meinekio ex optimis libris restitutum est τόσσην ἀνενείκατο φωνήν, pro τοίην: debuerat etiam sine libris, ex imitatoribus, Nonno, aliis, quos indicat Hermannus de dictione Orphei p. 822. Verum haec imitatio est partium et

---

*) Cal. Mart. 1835. — Innumeris haec scriptiuncula, uti etiam quae sub n. XXXII sequitur, in eo, quo auctor utebatur, exemplari, additamentis fere obtecta est. Ed.

locorum singulorum. Duo sunt, quos Nonnus perpetuo imitatus est, Homerus et Callimachus.

Homeri quot non solum vocabula, sed hemistichia, versus leviter mutatos, locos sua quadam arte variatos Nonnus habeat, non attinet exponere. Neque quicquam comparandis inter se Homero et imitatore Homeri Nonno discas, vel iuvenes doceas, nisi hoc, raro purpurae Homericae cum contexto alia tela opere ita convenire, ut iucunda sit coniunctio, vel, ut verbis utar Cunaei, sicubi ad contendendum cum veteribus se componat, in eo certamine Nonnum, malo quodam fato suo, plerumque vinci. Alia res in Callimacho, cuius sermonem mirifice illustrat imitatio Nonni. Nam Homeri sermo, satis in universum notus omnibus, celebra-
II tus imitatione poetarum multorum, ne dicam omnium, non eget, ut cognoscatur ac percipiatur, Nonni, seri poetae, auxilio. Callimachi, quum exquisitus sit atque artificiosus, neque multa exstent scripta Callimachi, accurate observata Nonni imitatio acuit sensum nostrum, facitque ut clarius dignoscas, quae sit Callimachei sermonis proprietas. Deinde Homeri quanta fuerit apud omnes, qui sequuti sunt, auctoritas, et quam vim exercuerit in excolendum sermonem Graecorum poeticum, minime latet; at Callimachi imitatores probe noscere operae pretium est, quo sua docto poetae dignitas suusque in historia litterarum graecarum locus assignetur.

Cernitur autem Nonni cum Callimacho similitudo in vocabulis et hemistichiis particulisque versuum et locis. Est etiam metrica quaedam similitudo tum in eo, quod utrique dactylorum volubilitas placuit, et, quod alibi observatum, coniunctum cum amore dactyli, caesura trochaica in medio versu; tum in eleganti severitate. Quamquam Nonnum severiorem etiam Callimacho esse constat. Vocabulorum appellatione comprehendo vocabulorum formas quasdam et quosdam dicendi modos. Admisceo ex Nonni Paraphrasi Evangelii Ioannei et sectatoribus Nonni nonnulla, non illa his poetis cum Nonno communia, quae multa sunt, sed magis singularia, ex Dionysiacorum opere non annotata a me, vel raro aut nusquam obvia in Dionysiacis. Omitto medios inter Callimachum et Nonnum poetas, ut Apollonium, Nicandrum, alios, quibus quae sunt cum Callimacho itemque Nonno communia, ea

Nonnum pleraque non ab his, sed a priori auctore, Callimacho, didicisse probabile est. ἀεϱτάζειν. — ἀσίγητος. — βαϱύγουνος. — διδυματόκος vel διδυμητόκος III. 388. XXXI. 23. XLII. 508. XLVIII. 425. 858. Ioannes Gaz. 393. (II. 34.) cf. πολεμητόκος ap. Nonnum XL. 86. ῥοητόκος ap. Ioannem Gaz. 669. (II. 311.) — δωμήσας, ἐδωμήσαντο, Nonnus, Coluthus, Paullus, ab Hermanno de dict. Orphei p. 821. indicati: cuius vocabuli, ut taceam Apollonium, Lycophronem, apud ipsum Callimachum h. in Iov. 9. vestigium quoddam superest. et certum exemplum h. in Dian. 249. — ἐνδόμυχος. — καὶ οὐ. — κυκλοῦσθαι: Hermannus de dictione Orphei p. 816. — ἀπεμάξατο XXXIII. 202. XLVI. 18. XLVIII. 229. et fortasse saepius: ut Callimachus epigrammate in Aratum. — νόθος significatione non propria. — νωθϱός. — ὁδίτης in periphrasi, quam praeivisse his poetis et Callimacho videri potest Sophocles Philoct. 147. ut ὑγϱὸς ὁδίτης, πεζὸν ὁδίτην, χεϱσαῖον ὁδίτην al. et infra commemorandum νωθϱὸς ὁδίτης. Simile alterum est, quod et ipsum usque ad taedium frequentatur ab Nonno, ἀλήτης. — ὁμέστιος, itemque συνέστιος. — ὁμούϱιος. — ὄμπνιος. — οὐχ ἕνα XI. 347. XXII. 379. XXV. 472. XXVIII. 184. 185. XL. 54. Paullus Silent. Ἐκφϱ. τ. μ. ἐ. II. 8. Ἀμβ. 150. In Homericis, ni fallor, semel, h. Merc. 284. — ῥυηφενής. — ἀσάμβαλος saepissime. — ἀπεσείσατο XI. 217. XXV. 514. XXVIII. 214. XXXV. 166. XXXVIII. 405. et fortasse alibi; at in XI. 217. ἰῶν ἀπεσείσατο νώτων, Nonno non tam Callimachi usus (Callim. Frag. CCXLV.) obversari videtur quam Apollonii locus ille I. 129. de quo v. Schaeferus in Apollon. Rhod. Vol. II. praef. p. XIII. sq. — συνέμποϱος ubique, et semel XXVII. 337. factum fortasse ab Nonno ὁμέμποϱοι. — ὑμέτεϱος *tuus*, et sic ἡμέτεϱος: quamquam ad quos revoces Nonnum, loci Callimachi h. in Del. 204. 227. aliam explicationem admittunt. — ὑφαίνειν de aedificatione, Evang. Ioann. II. 20. XIV. 2. est etiam in Dionysiacis, nisi fallor: cf. XXXVII. 108. Paull. Sil. Ἐκφϱ. τ. μ. ἐ. II. 232. — Et haec quidem saepissime leguntur apud Nonnum, nonnulla innumeris III locis, hoc est, quos enumerare piget. Semel usurpata, vel ter, quater, haec: ἀμάϱτυϱος XLVIII. 786. et in Evangelio Ioannis aliquoties. — ἀϱιήκοος Evang. Io. X. 16. ea significatione qua usurpatur ab Apollonio IV. 1707. — βιόπλαγκτος III. 356. βιο-

πλανῆς Evang. Io. XIII. 29. XV. 19. XX. 23. — *γεωμόρος* XLI. 24. XLII. 282. — *ἐμπείραμος* XXXIX. 181. 182. — *ἐξέτι κείνου* XII. 361. — *εὐαγής*, *εὐαγέως*, in Evang. Io. saepe, et Paul. Sil. *'Αμβ.* 17. non est apud Homerum, nisi in hymno Cereris, *εὐαγέως* bis. — *μελαμψήφιδα* XXVI. 236. — *μύωψ* VIII. 57. 143. XI. 191. XLII. 177. Tryphiodor. Coluth. — *ὤλοψε* locis indicatis a Ruhnkenio ad Callim. h. Dian. 77. ubi quod affertur ex Orionis Etymologico (quocum cf. Cod. Reg. Paris. 2630. in Append. Orionis ed. Sturz. et Etymol. Gud. p. 426, 19.) fragmentum Callimachi, *ὠλόψατο χαίτας*, aut ad Antipatrum Sidonium XCIX. 5. (Anth. Palat. I. p. 377.) referendum, aut re vera Callimachi fragmentum est: quidni enim duo, Callimachus et Antipater, idem dixerint? — *ὅσον ὅσσον* Paullus Sil. Epigr. VII. 5. (Anth. Palat. I. p. 161.) ut simplex *ὅσον* cum negatione, *οὐδ' ὅσον*, *οὐδ' ὅσσον*, usurpat Callimachus in hym. Apoll. et saepius Apollonius. Sed aptior ad Paullum Philetas est Fragm. p. 37. ed. Bach. Duplicatum *ὅσον ὅσσον* cum additamento, *ὅσον ὅσον στίλην*, *ὅσον ὅσσον στιγμή*, Aristoph. Vesp. 213. Leonidas Tarent. LXX. 3. (*οὐδ' ὅσον ἀττάραγον* Callim. Epigr.) cf. Wakefield. Silv. crit. P. V. p. 146. — *περιηγής* Paullus Sil. *'Αμβ.* 27. 29. 129. 230. — *σώζεο* IV. 182.. 186. XV. 412. XLVI. 199. sq. 346. puto e Callim. h. Del. 150. cf. Paullus Sil. Epigr. XXXIX. 1. (Anth. Palat. I. p. 156. — *φερέζωος* XII. 6. Evang. Io. V. 25. XVI. 27. Ioannes Gaz. 392. (II. 33.) — *χαρίσιος* Paullus Sil. *'Εκφρ. τ. μ. ἐ.* I. 208. 215. — *χορίτιδες*, vel *χορήτιδες*, XVI. 126. quem locum recte ad Callim. h. Dian. admovit Ruhnkenius: manifesto enim hoc ante oculos habuit Nonnus. Add. I. 504. XLVI. 158. et trita multo usu elegantia: *χορίτιδες 'Ορχομενοῖο* XXXI. 205. XXXIV. 37. XLI. 227. XLVII. 459. XLVIII. 281. et XXIV. 261. cf. XLI. 149. XLII. 465. 6. Recordor Euphorionis: *'Ορχομενὸν Χαρίτεσσιν ἀφαρέσιν ὀρχηθέντα.* — *χοροστασίη* XXVII. 173. XXX. 121. XLV. 57. XLVI. 165. Paullus Sil. *'Εκφρ. τ. μ. ἐ.* II. 474. Non contendo haec omnia solum Callimachum dixisse, vel neminem ante Callimachum: verum quum apud Callimachum inveniantur omnia, ab hoc potius Nonnus habere omnia quam ab alio censendus est. Sunt rursus alia apud Nonnum sectatoresque eius, Callimacho cum Homero vel Hesiodo communia, sed apud hos

rara, quae utrum ipse sibi Nonnus ex Homero Hesiodove erue-
rit, an frequentiora iam usu Callimachi, non tam Homeri Hesio-
dique quam Callimachi auctoritate usurpaverit, dubium. *ἀμάω,*
ἤμησε, significatione non propria. — *αἰτίζειν.* — *ἀναίνεσθαι.* —
ἀοίδιμος Tryphiod. 126. — *ἀπευθής.* — *ἄρκιος.* — *διφῶσα*
semel XLVIII. 592. ex emendatione; *διφήτορι* Evang. Io. XX. 3.
XXI. 7. — *ἐπίβαθρον-α* IV. 258. XIII. 457. XLI. 117. e Callim.
h. Del. 22. ut puto. — *ἤμελλε.* — *ἴθμα.* — *καλιή.* — *λιπόων-*
τος XVI. 32. — *νήχυτος* Tryphiod. 229. Musaeus 247. — *παλιμ-*
πετές III. 30. Evang. Io. XXI. 3. at *παλιμπετέες* Evang. Io. VII.
34. IX. 27. — *παλινάγρετος* multis locis et modis. — *περιδέξιος*
XXVIII. 74. 148. XXXVI. 86. Evang. Io. XIII. 14. Ioann. Gaz. I.
71. — *περίτροχος.* — *σέο, σεῖο, σέθεν,* itemque *ἕο,* pro posses-
sivis pronominibus. — *ἔστιχε* cum compositis, ubique. — *ἐστρεύ-*
γετο XXVI. 113. XXXIII. 281. verum prius illud magis ad imita-
tiones locorum pertinet: v. Callim. h. Cer. 68. — *τέγος* XXXV.
12. 95. Tryphiod. 547. 580. Paull. Sil. *Ἐκφρ. τ. μ. ἐ.* II. 110.
252. *Ἀμβ.* 84. — *τμήγειν, τμηγέντα,* cum compositis. — *ἐφη-* IV
μίξαντο, ἐφήμισαν et *ἐπεφήμισαν.* — *φιλόξεινος.* Et rursus alia,
pleraque multum frequentata Nonno, apud Callimachum nunc qui-
dem non obvia, ac nullo nisi uno alterove Homeri, Hesiodi ex-
emplo, vel tantum exemplis poetarum eius scholae, cuius caput
est Callimachus, vel etiam nullo certo testimonio antiquo compro-
banda, sed dignissima etiam Callimacho, et quae Nonno fortasse
Callimachus praeiverat, non illi: *ἀγέστρατος* XIII, 36. XXV. 268.
XXVI. 15. XXVII. 227. XXVIII. 28. XXIX. 283. XXXV. 342.
XXXIX. 128. num omnia ex uno Hesiodi exemplo? — *ἀθεεί, οὐκ*
ἀθεεί, VII. 178. XXII. 383. incertum utrum ex uno Homeri loco, an
ex frequentiore poetarum recentiorum (ut Moschi Europ. 148.) usu.
— *ἀλλοπρόσαλλος* apud Homerum Martis epitheton, ab Nonno
varie iactatum, ut utar verbis non de hoc vocabulo, sed de aliis,
Ruhnkenii, multis locis. — *ἐλάχεια* apud Homerum vix ter, apud
Nonnum decies. — *ἐχενηΐς* XIII. 114. fortasse ex Aeschylo:
quoniam in eadem re ac fabula et Aeschylus habet vocem et
Nonnus. Sed tamen quis neget alium vocis propiorem auctorem
adfuisse Nonno? Ut Euphorionem (Lobeck. de morte B. p. 13. sq.),
vel Callimachum. Non dedignabatur hoc Callimachus, locupletari

ex Aeschylo. Vocabula sunt apud Callimachum Aeschylea ἄνη, ὄζοι, σπαρνόν. Non certa imitatio: Callim. h. Del. 139. h. Cer. 88. Fragm. CXIX. 1. coll. Aesch. Choeph. 167. Prom. 1024. Agam. 1071. et Choeph. 492. ἐγγενής piscis, Nonnus XXI. 45. XXXVI. 368. — ἠερόφοιτος. — θαλύσια κομάων, δηϊοτῆτος, et sim. III. 346. V. 3. XVII. 157. XXV. 42. 198. 316. XXVIII. 300. XXX. 6. XXXI. 18. XLII. 300. XLVII. 493. XLVIII. 224. est etiam Cereris epitheton θαλυσιάς XIX. 86. XL. 347. cf. XII. 103. — ἵλαθι, ἱλήκεις, ἱλήκοι, eo usu, cuius exempla nuper apposui alibi, quibus addendum X. 314. Ζεῦ πάτερ, ἱλήκοις. — νήπυστον XI. 199. — περίπυστον III. 257. XIII. 64. XXVII. 113. Evang. Io. IV. 44. Coluth. 75. Musaeus 92.

Hemistichia et membra versuum apud Nonnum Callimachea Ruhnkenii diligentia in Epistola critica II. congessit: non omnia, sed quantum satis, ut appareat, quod ille primus accurate docuit, Callimachi Nonnum imitatorem esse. Ego ut non perhibeo plenum esse vocabulorum Callimacheorum indicem, quem dedi, ita hic collectis a Ruhnkenio addam quae statim ad manum sunt. Tenendum autem, quod satis semel declaratum, non tam furta haec esse Nonni quam doctrinae specimina, et quasi gemmas, quibus ille distinguere atque ornare orationem suam voluit; nonnulla fortasse non conscium sibi imitationis admisisse imbutum more Callimachi poetam. Ad Callimachi h. in Dianam v. 11. καὶ ἐς γόνυ μέχρι χιτῶνα ζώννυσθαι λεγνωτόν, quae ex Nonno adhibet Ruhnkenius satis Callimacho similia, πέπλα-ἐπιγουνίδος ἄχρι φορῆναι, ἐπιγουνίδος ἄχρι χιτῶνα, tamen propius accedunt ad Apollonium III. 874. 5. ἂν δὲ χιτῶνας λεπταλέους λευκῆς ἐπιγουνίδος ἄχρις ἄειρον. Rursus Paullus Silent. Epigr. VII. 9. (Anth. Palat. I. p. 161.) κούρη δ' ἀργυφέης ἐπιγουνίδος ἄχρι χιτῶνα ζωσαμένη Φοίβης εἶδος ἀπεπλάσατο. — Ad Callim. h. Dian. 155. τί δέ κεν πρόκες ἠδὲ λαγωοὶ ῥέξειαν, quum hoc annotaverit Ruhnkenius Nonni, τί σοὶ ῥέξουσι νομῆες, eodem iure poterat illa: XVII. 181. XXII. 110. XXXIV. 64. XLII. 234. XLVII. 565. nec longe distat ex Coma Berenices: *Quid facient crines.* — Ἀσωπὸς βαρύγουνος ex hymno in Del. 78. non uno loco, quem Ruhnkenius laudat, dictum Nonno, sed tribus, XIII. 220. XXVII. 275. XLVII. 532. Praeterea XXIII. 232. sic:

ἄζεο, μὴ βαρύγουνος, ὅπως Ἀσωπός, ἀκούσῃς. Plus, ni fallor, tali in re quatuor exempla probant, quam unum: arguit cupiditatem imitandi aut assuetam uni maxime scriptori memoriam repetitio. — *εἴπατε Μοῦσαι* ex h. Del. 82. frequentata Nonno forma dicendi: XXI. 73. XXV. 18. XXXII. 184. XLI. 11. et leviter mutatum pro opportunitate loci, *εἴπατε πέτραι — εἴπατε Νύμφαι* V. 459. 460. *εἴπατε Μοῖραι* XL. 170. *εἴπατε Νύμφαι* XLII. 62. Quod si quis obiiciat, non tam exquisitum esse *εἴπατε Μοῦσαι*, quin ipse excogitare Nonnus sine Callimacho potuerit, respondebimus, quod vere scribit ad Tryphiodorum p. 41. Wernickius, Nonnum esse talem Callimachi imitatorem, ut ex eius carminibus non solum exquisitiores voces locutionesque, sed omnes fere quasque cupidissime arreptas in usum suum converterit. Placet autem sibi hic homo irrequieta mobilitate subsiliens ac resultans multo apostrophes usu: quo et alia pertinent multa, et hae perpetuae quasi formulae: *ἵλαθι, ἱλήκοις*, vel *ἱλήκοι*, de quo supra; *ἴσχεο φωνή* I. 135. XXIX. 141. XLVI. 204. XLVII. 370. Paull. Sil. *Ἐκφρ. τ. μ. ἐ.* II. 340. et hoc *εἴπατε Μοῦσαι, Νύμφαι.* Est etiam in Callimacho quaedam simulata magis quam vera atque ingenua alacritas: quamquam illud semel dictum *εἴπατε Μοῦσαι*, quod Homerum praeivisse constat, non reprehenderim. — *τέκνον, ἀναγκαίη μεγάλη θεός* Nonnus X. 90. ex h. in Del. 122. *Λητοῖ, ἀναγκαίη μεγάλη θεός.* observatum Cunaeo p. 103. — *Νέμεσις δὲ τόσην ἐφθέγξατο φωνήν* XXXVII. 423. expressum, quicquid corrupto *ἐφθέγξατο* substituatur, e Callim. h. Cer. 57. *Νέμεσις δὲ κακὰν ἐγράψατο φωνάν.* observatum Cunaeo p. 154. — *τὰ πρῶτα θεμείλια πῆξατο νηοῦ* Paullus Silent. *Ἐκφρ. τ. μ. ἐ.* I. 136. e recordatione Callimachi h. in Apoll. 58. *τὰ πρῶτα θεμείλια Φοῖβος ἔπηξε.* — *ἀλλά, μάκαρ, δύνασαι γάρ* idem Paullus ibid. 91. fortasse obversante Callimacho h. Del. 226. *ἀλλά, φίλη, δύνασαι γάρ* etc. — *δάκρυα-ἀδακρύτοισιν ἐγείρων* Nonnus XXII. 394. fortasse e Callimachi Fragm. CCLXXIII. *τί δάκρυον εὗδον ἐγείρεις.* — *Δελφὸς ἀνήρ* IX. 263. fortasse e Callimacho, Fragm. CCCCL. *Δελφὸς ἀνὴρ ἐμὸς ἱεροεργός. Δελφὸς ἀνήρ* Tryphiodor. 643. — *νωθρὸς ὁδίτης* e Callim. Fragm. CCLXXV. Nonnus locis a Ruhnkenio et a me citatis. Add. Ioannes Gazaeus v. 388. (II. 29.) *βραδύγουνος ἐσύρετο νωθρὸς*

ὁδίτης, ubi magis usitatum, etiam Ioanni Gazaeo, quem vid. v. 570. (II. 212.), βαρύγουνος foret: sed fortasse semel βραδύγουνος placuit: cf. I. 252. — χοροστάδος ἦμαρ ἑορτῆς Evang. Ioann. VII. 37. e Callim. Fragm. CCLXXX. — Callimachi esso, et ad Scyllam, non ad Comaetho, spectare illud, unde alio adscito fragmento Callimachi fecimus: Σκύλλα γυνὴ κατακᾶσα καὶ οὐ ψυθὲς οὔνομ' ἔχουσα πορφυρέην ἤμησεν ἄπο κρέκα, certius videbitur, postquam audiveris Nonnum XXV. 161. sqq. illud imitantem ac dilatantem ita: Σ κ ύ λ λ α γὰρ ὑπνώοντος ἀκερσεκόμοιο τοκῆος ἥλικα π ο ρ φ υ ρ έ η ς ἀπεκείρατο β ό τ ρ υ ν ἐθείρης, - - - βόστρυχον ἀ μ ή σ α σ α πολισσούχοιο καρήνου. — Sic Valckenarius coniecturae in Callim. Lav. P. 93. suae: πάχεσιν ἀμφοτέροισι φίλον περὶ παῖδα λαβοῖσα pro vulg. ἁ μὲν ἐπ' ἀμφοτέραισι, potuerat aliquanto maiorem speciem conciliare Nonno XXXVII. 587. collato: πήχεσιν ἀμφοτέροισι μεσαίτατον ἄνδρα κομίζων. Item alteri, quam in h. Del. 180. fecit, speciem ex eo, quod voce γηπόνος Nonnus XLII. 280. XLVIII. 677. utitur: quamquam idem saepius γειοπόνος. Sed neutram coniecturam veram puto.

Tandem eo perventum est, quo volebam. Quae enim adhuc disputata sunt, ad operam λεξικογράφον pertinentia, illam utilissimam, quae in historiam sermonis inquirit et temporum nexum scriptorumque investigat, tum in Callimacho elaboranti Nonnoque, ut speramus, haud inutilia, praeparationem quasi esse volui lubricae cuiusdam coniecturae meae.

VI Comae Berenices unum distichon instauravimus, sed ludendo, et hoc tantum consilio, ut nihil poneremus, quod non scribere Callimachus potuerit: ἐς δυσμὴν νωθροῖο παροίτερος εἶμι Βοώτεω, ὅς μόλις ὀψὲ βαθὺν δύετ' ἐς Ὠκεανόν. Ibi iam laudavimus Apollonium ὀψὲ - μόλις dicentem. Nunc add. μόγις ὀψέ Nonni XXXVIII. 227. Cf. Epigr. in στήλας ἀθλητ. IV. 2. Quod alterum ex latino:

Ut Triviam furtim sub Latmia saxa relegans
Dulcis amor gyro devocet aerio,

Ianus Dousa F. graecum fecit:

ὡς ποτὶ Λάτμιον ἄντρον ἔρως γλυκὺς ἠερόφοιτον
κρυπταδίως κατάγοι Ἄρτεμιν οὐρανόθεν,

vehementer approbatum Valckenario in Callim. Eleg. Fragm. p. 49. et 65. ex parte egregium est, ipsoque dignum Callimacho. De versu hexametro loquor. In pentametro etsi duo haec, *οὐρανόθεν* et *κατάγειν* verbum, feliciter inventa esse a Dousa censeo, tamen et alia parte laborat, ut facile quivis ipse animadvertet, et Valckenarium, qui obversari sibi, quicquid fere Lunae Endymionisque amores spectet apud veteres, scribit, *Ἄρτεμις* offendere debuerat, cuius alienum ab hac fabula nomen est. At offenderat fortasse, sed noluit capere singula. Ego quantum locorum collectum habeo, habeo autem permultos, a Sapphone inde, quae primum, quantum nobis quidem constat, celebravisse hos amores videtur, usque ad Nonnum, Nonnoque recentiores, neque apud poetas solum, si forte recentissimos quosdam exceperis, ut Mythographum A. Maii I. 229. quamquam ne in hoc quidem certa res est, hoc constanter observari invenio, ut cum Endymione Graeci *Σελήνην*, *Μήνην*, Romani *Lunam*, *Triviam*, aut *Phoebi sororem*, sive, quamquam non habeo exemplum huiusmodi, *Phoeben*, rem habuisse dicant, non ut *Dianam*, *Ἄρτεμιν*. Et antiquiores quidem cur hoc observaverint, non est obscurum. Recentiores vero, ut Romani, quum iam commixtae atque in unum coniunctae essent Diana, Lucina, Trivia, Luna, etsi philosophicam doctrinam agnoscunt hic illic, ut diserte facit carmine ad Dianam Catullus, in singulis tamen fabulis, ut in fabula Endymionis, non ausi sunt aperte refragari vetustis auctoribus Graecis, sed *Lunam* committere cum Endymione pergunt, aut ubi novant aliquid, ambiguis nominibus, quale est *Trivia* apud Catullum in Coma Berenices, vel *Phoebi soror*, ut Propertius, utuntur, non *Dianae* nomine. Cf. Seneca Hippolyto v. 309. ubi incertum est, utrum antiquam illam Lunam, antiqui Solis e prisca Hesiodi aliorumque doctrina sororem, an, quod malim, sororem Phoebi, Romanorum dei, cogitet. Itaque vix aliud reliquum, quod scripserit Callimachus, nisi aut *Μήνην*, aut, quam in rem *κρύβδα* adverbio, vel *λάθρα* correpta ultima, ut est in Homerico hymno Cereris, opus erit, *Σεληναίην*. Forma hac *Σεληναίη*, ut unum commemorem, Nonnus XXXIII. 35. utitur hac ipsa in fabula. Quae placent in Dousa, et digna ipso adeo Callimacho videntur, haec sunt. Primum elegantissima in universum oratio, versus rotundissimus,

ὡς ποτὶ Λάτμιον ἄντρον ἔρως γλυκὺς ἠερόφοιτον. Comparent tirones, ut percipiant venustatem, infelicem Salvinii conatum, et meliorem paullo Scaligeri. ἐπὶ Λάτμιον ἄντρον Nonnus VII. 238. nihil enim ibi magis probabile quam ἄντρον. κατὰ Λάτμιον ἄντρον, aliter flexa sententia, Apollonius IV. 57. ἀπ' Οὐλύμπω δὲ μολοῖσα Λάτμιον ἀννάπος ἦλθε, Theocritus XX. 38. 9. Deinde
VII Nonni locum habeo, quem expressum esse ex loco Callimachi tali, qualem conformavit magna ex parte Ianus Dousa, admodum speciosa coniectura est. XXXVI. 344. sqq.

ἀλλὰ σοφοὺς Βραχμῆνας ἀτευχέας εἰς σὲ κορύσσω·
γυμνοὶ γὰρ γεγάασι· θεοκλήτοις δ' ἐπαοιδαῖς
πολλάκις ἠερόφοιτον, ὁμοίιον ἄζυγι ταύρῳ,
οὐρανόθεν κατάγοντες, ἐφαρμάξαντο Σελήνην.—

Similis verborum coniunctio, ἀστερόφοιτον - οὐρανόθεν, XXIII. 298. 9. ubi coelo minatur Oceanus: καὶ ἀστερόφοιτον ἐρύσσω νόστιμον οὐρανόθεν — Ἠριδανόν. Neque alienus Quinti Smyrnaei locus de Endymione, X. 129. κατήλυθε δῖα Σελήνη οὐρανόθεν· δριμὺς γὰρ ἄγεν πόθος ἠϊθέοιο etc. Verborum κατάγειν et καθαιρεῖν, καθελεῖν, de quibus breviter significatum in novo Museo Rhenano Vol. I. p. 488. haec memorabilis differentia est, quod κατάγειν proprium esse vocabulum videtur, et accurate dici, ubi de Luna Dea agitur, ut in Endymionis fabula; καθαιρεῖν, καθελεῖν, ubi de orbe lunae detrahendo, quod factitabant veneficae. Quamquam hoc quicquid est discriminis, non semper observatur: nam apud Lucianum Deorum dial. XII. ita Venus Amori: τὴν Σελήνην δὲ καθαιρεῖς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ; et contra κατάγειν dicunt in illo Thessalarum artificio Lucianus Dial. meretr. I. p. 201. Vol. VIII. Plutarchus de Pythiae orac. p. 400. B. Schol. Apollon. Rhod. illa olim vulgata, in III. 533. Hesychius in καθελεῖν σελήνην. et haud dubie alii.

Sed quoniam de Callimachi loco ex imitatione Nonni redintegrando coniecturam meam et esse incertam et fore in perpetuum incertam sentio, ut conclusionem in re certa faciam, emendatione beabo Nonnum, quam scio approbatum iri Graefio nostro, in uno loco qui est de Endymione: habet enim locos de Endymione permultos. XIII. 553 sqq. de Cauno Care narratur, qui tum nondum amaverit Byblidem sororem: οὐδὲ —

Ζηνὶ συναπτομένην ἐμελίζετο σύγγονον Ἥρην,
Λάτμιον ἀμφὶ βόαυλον ἀκοιμήτοιο Σελήνης,
ὀλβίζων ὑπ' ἔρωτι μεμηλότα γείτονι πέτρῃ
νυμφίον Ἐνδυμίωνα ποθοβλήτοιο Σελήνης.

Ubi nemo haesit in versu 554. ac poterit satis dignum Nonno videri Λάτμιον ἀμφὶ βόαυλον ἀκοιμήτοιο Σελήνης, etiam iis, qui assueti Nonno. Nam ἀκοιμήτοιο Σελήνης frequentatum Nonno hemistichium est: XLI. 94. XLIV. 221. et fortasse alibi; *stabulum* autem *Latmium*, etsi proprie Endymionis fuit, tamen non inepte *Lunae* vocabitur stabulum, quum eidem poetae IV. 196. Λατμιάς audiat Luna. At intolerabile est tam brevi intervallo repetitum ἀκοιμήτοιο Σελήνης, ποθοβλήτοιο Σελήνης. Ac frustra in defensionem adhiberentur talia, qualia sunt IV. 221. 2. XLIV. 190. 1. 2. 217. 8. XLVI. 102. 4. 170. 1. 2. XLVII. 2. 3. Itaque ferrem Λάτμιον ἀμφὶ βόαυλον ἀκοιμήτοιο θεαίνης. Sed aliud latet vitium. Diu est quum emendavi:

Λάτμιον ἀμφὶ βόαυλον ἀκοιμήτοιο νομῆος.

Ex ipso Nonno VII. 239. ubi est: εἰς λέχος Ἐνδυμίωνος, ἀκοιμήτοιο νομῆος. Et I. 332. μὴ λέχος Ἐνδυμίωνος ἰδεῖν σπεύδουσα νομῆος. Est autem hic optimus ac tutissimus modus emendandi, emendare scriptorem ex se ipso: maxime in Nonno, qui solet iterare sua. Sic statim ποθοβλήτοιο Σελήνης non solum hoc loco VIII
libri XIII. sed etiam IV. 225. XXXII. 21. dixit, et audacius ποθοβλήτῳ παρὰ πέτρῃ, in eadem fabula, XXXIII. 34. ut taceam ποθοβλήτῳ παρὰ πηγῇ XLII. 122. et exempla vocis ποθοβλήτος, itemque ἀκοίμητος, alia. Quae sit corruptionis, Σελήνης ex νομῆος, caussa, patet inspicienti locum. Praeterea considerandum est, quod scribit Graefius praef. Vol. II. p. XIII. sq. saepe peccatum esse apud Nonnum in extremis versuum vocabulis. Restat ut videamus, quid sit in binis locis, VII. 239. et altero a me emendato, ἀκοιμήτοιο νομῆος. Quod in priori loco corruptum viro cuidam docto, ut disco e Graefio, visum est, quippe contrarium *vulgatae traditioni*. Igitur ἀκοίμητος Nonno Endymion est fortasse quia est in amore occupatus. Sane Nonnus Lunam non semel, ut alii narrant, descendisse ad Endymionem, sed continuatum et quasi perpetuum Lunae cum Endymione contubernium nocturnum fingere videtur, e. g. XLVII. 282. sqq. ubi

ita loquitur, acsi per totam noctem, vel per magnam noctis partem, cum Endymione cubare Luna soleat. Aut, quod praefero, indicare epitheto *ἀκοίμητος* voluit, quid sub ea fabula veri lateret. Scilicet multo ante Nonnum tempore explicatio fabulae huius inventa fuerat: primum Endymionem astronomiae operam dedisse, lunamque observasse. Itaque hanc Nonnus explicationem respiciens, callide, ut videbatur ipsi, fabulam cum explicatione fabulae miscuit, concubitum Lunae commemorans, et *νομῆα* appellans Endymionem, ut facit antiqua fabula, sed *ἀκοίμητον*, quo significaret fuisse indefessum astronomum lunaeque observatorem. Ac semel idem aperte publicare ac prodere arcana fabularum, proque fabula explicationem dare fabulae ausus est, XLI. 379. sq. ubi inter inventores rerum artiumque recensetur Endymion.

Tantum de Nonno. Quem poetam Vos, Iuvenes, Philologos alloquor, post Homerum, Hesiodum, Apollonium, Quintum legetis. Legetis autem semel. At Homerum centies, vel potius nunquam deponetis Homerum.

XXXI. *)

Duas hodie, quum aliquid subitaria opera scribendum sit, coniecturas meas tum aliis proponam, tum Commilitonibus, qui nunc sunt, vel qui fuere Commilitones, in animum revocabo. Si tamen futurum est, ut hae pagellae ultra terminos agri Bonnensis evolent. Unam in Tragicum, alteram in Comicum.

Persarum locus est v. 655. sq. de Dario:

θεομήστωρ δ' ἐκικλήσκετο Πέρσαις, θεομήστωρ δ'
ἔσκεν, ἐπεὶ στρατὸν εὖ ἐποδώκει. ἠέ.

In quo hoc pono tamquam certum, monstrum vocabuli esse quod vulgatur, *ἐποδώκει*, vel etiam *ἐπωδώκει*: sive illud a nescio quo verbo, de quo tamen Scholiastes A. cogitasse videtur, *ποδωκέω*, sive ab *ἐφοδόω* derives. De ionismo ut verbo moneam, frustra

*) IV. Cal. Sept. 1835. Proximum programma, de Hecale agens, alio comparebit loco. Ed.

sunt, qui talia adhibent, ἔσχεν, ἐπέσπε. Quibus ita potius utendum erat, ut disceres, si unum licuerit, non licuisse propterea alterum. Veluti ἐπέσπε licebat dici, quum nunquam ἕσπον dictum fuerit cum spiritu aspero; ἐπωδώκει cur placuerit Aeschylo pro ἐφωδώκει, nullam idoneam caussam excogites. Mitto alia. Suidae glossa, qua Lobeckius ad Soph. Aiac. v. 805. utitur, non solum apud Kusterum Portumque (qui eam recte explicat), sed etiam in Mediolanensi et apud Gaisfordium, ita concepta est: Ἐφωδήγει· ἐποδήγει δέ. Sola Basileensis (Aldina non est ad manum) cum vitio: Ἐφωδόγει. ἐποδήγει δέ. Quare huic glossae vix quicquam commune cum Aeschylo. Nisi forte aliquis ἐφωδήγει veterem esse loci Aeschylei correctionem statuat. Et sane versus quod postulat pro isto vitioso ἐποδώκει, versu strophico docente, qui quidem ut non omni dubitatione exemtus, ita hac in parte tutus videtur, tale est: ⏑ — — ⏓. Id praesto lenissima emendatione:

ἔσχεν, ἐπεὶ στρατὸν εὖ πόδ' ὠδώκει.

Orta corruptio ex confusis in unum syllabis οδ ωδ; tum augmen- IV
tum accessit, postquam ποδώκει pro verbo haberi coeptum esset. Accusativum duplicem illum quod attinet, de duobus locis, in quibus πόδα similiter positum videtur, unum Eurip. Hecub. 812. (793. Herm.) recte aliam in sententiam interpretati sunt A. Matthiae et Hermannus; alter Soph. Oed. Col. 113. facit ad Aeschylum: praefero enim ibi explicationem vulgarem, quam ante Hermannus quoque sequebatur, ei, quam nuper ad locum Euripidis excogitavit Hermannus. Verum inventi illius mei si qua laus est, ea maximam partem ad eundem Hermannum pertinet; cuius mihi obversabatur emendatio olim proposita: ἔσχεν, ἐπεὶ στρατὸν εὖ ποθ' ὠδώκει.

In Avibus Poeta, ille mercenarius, Pisthetaerum tamquam aliquem Hieronem salutat verbis Pindaricis: σὺ δὲ πάτερ κτίστορ Αἴτνας, ζαθέων ἱερῶν ὁμώνυμε. tum haec v. 928. sq.

δὸς ἐμὶν ὅ τι περ
τεᾷ κεφαλᾷ θέλεις
πρόφρων δόμεν ἐμὶν τεΐν.

Ibi frustra se torquent, qui quaerunt quid significet τεΐν. Nihil illud significat, h. e. nihil quod ad sententiam loci faciat. Con-

sistendum est in eo, quod Scholiastes animadvertit, qui tamen an rem penitus perspexerit, incertum est: rideri Dorismum. Id ut disertius faceret Comicus, utque fortius inculcaret auribus Atheniensium insolentem sonum, et ἐμίν repetiit, quod satis semel dictum videri poterat, et addidit sensu prorsus destitutum τεΐν. Miror quod non idem tertiam personam addiderit ἵν. Et haec quidem observatio, quod interdum accidit, nescio utrum mea sit an alius. Seidlerum memini, quum una illas suaves recordanti Halas habitaremus, de Avibus unum alterumque, quas tum explicabat, mecum communicare. Quid communicaverit, non memini. Declarabo rem exemplo atque imitatione. Hoc dicit Aristophanes, si tamen dialectum comparari cum soloecismo licet: gieb *mich*, was du mit deinem haupte (Homericum κατανεῦσαι) geneigt geben willst *mich, dich!* Hoc totum ludicrum erat, sed ex eo genere, eiusque licentiae, quae saepe fefellit interpretes Aristophanis, et quam vix assequaris, nisi tecum afferas aliquam eorum, quae nunc vulgo iactantur ab iocantibus, peritiam, aptumque ad percipiendas facetias etiam vulgares sensum.

XXXII.*)

Indicem in Gregorii Nazianzeni Carmina exhibeo prorsus similem ei, quem ante unum annum et dimidium in Nonnum conscripsi ac publicavi. Scilicet accidit elaboranti in Callimacho, et maxime in uno carmine Callimachi, quod accidere solet accurate in una quadam re elaborantibus: ut multae occurrant scribentemque morentur secundariae quaestiones, in quibus quae ipse didiceris, inveneris, effeceris, etiamsi iam inventa atque effecta vel propter longitudinem suam excludenda sint ac separanda a quaestione primaria, per se tamen scitu digna videntur, et digna quae alia occasione proferantur. Et mihi fere necessarium fuit,

*) XVIII. Cal. Sept. 1836.

publicare talia, ne quis forte, quum Nonnum perpetuo, Gregorium haud raro adhibeam ad Callimachum, quo id iure faciam quove consilio, quaerat, et vix quicquam posse his, maxime Gregorio, commune cum illo antiquo poeta Cyrenaeo esse dicat. Esse enim commune aliquid, ita quidem, ut ad Callimachum tamquam ad fontem multa Gregorii referenda sint, simpliciter affirmanti, vel unum alterumve exemplum monstranti non credet, exempla proferenti magno numero fortasse credet. Praeterea gaudebo, si excitavero meo florilegio Gregoriano iuvenes Theologos, ut aliquem saltem gustum sumant ex his poematis, quae si non sunt, ut olim vocabantur, *pulcherrima*, et si ne hoc quidem certum est, an *τὰ ἐς τὴν ποίησιν δεξιός* appellari poeta, vel quatenus *facundissimus*, quam ei laudem Casaubonus impertit, debeat: tamen, ut sunt, aliquid retinent antiquae ac vix multis saeculis exstinguendae proprietatis graecae.

Igitur quae praedicavimus de Apollinare, eo cuius circumfertur Metaphrasis Psalmorum metrica, et quae uberius de Nonno, eadem in Gregorium Theologum, qui Nazianzenus dicitur, cadunt omnia. Nam et Homerum saepe imitatur Gregorius, et sermonem habet vocabulis, quae Callimachea dicas, tinctum ac distinctum, et imitationis eius, quae ad locos Callimachi singulos pertinet, non tam multa quam Nonnus, sed magis aperta, quam sunt apud Apollinarem, vestigia. Mitto quibus locis Homerum imitatus est. A quo etiam artificium didicit epanastrophae sive *ἐπαναλήψεως*: Carm. II. 561. 2. *ὃς ποθέει ποθέοντα, καὶ εἰσορόωντα δέδορκεν, εἰσορόωντα δέδορκε, καὶ ἀντιάει προσιόντι.* Carm. XLV. 44. 5. *τοῦ δ' ἀντιάσαιμι ἔγωγε· τοῦ δ' ἐγὼ ἀντιάσαιμι, καὶ ὃς φίλος ἐστὶν ἔμοιγε.* et fortasse alibi. Unum proferam. Ab Homero acceptum frequentat *εἴποτ' ἔην γε, εἴ ποτ' ἔην:* Carm. I. 434. XLIX, 119. Epigr. (Anthol. Palat. T. I.) 130. 189. Cuius idem imitationem habet alteram sane haud felicem, ad meum quidem sensum, in qua praeter Homerum Meleagrum noto versu, *Ἦν* II
καλὸς Ἡράκλειτος, ὅτ' ἦν ποτέ, vel alium similem locum (Dicaearchus in *B. Ἑλλάδος: ἡ οὖν Ἑλλὰς ἐν Θετταλίᾳ ἦν, ὅτε ποτὲ ἦν, οὐκ ἐν τῇ Ἀττικῇ*), observatum Gregorio esse dixeris, *ἦν ὅτ' ἔην:* Carm. XI. 29. *ἦν ὅτε ἦν. νῦν αὖτε θεοῦ κτέαρ* etc. ibid. 72. *ἦν ὅτε ἦν. νῦν αὖτε γελοίϊον,* etc. LXI. 231. 2. *τεὴ δὲ γλῶσσ' ἀδάμα-*

στος ἦν ὅτ' ἔην, νῦν αὖτε δαμάζεο. Haud dubie ex posteriore loco corrigendum est *ἦν ὅτ' ἔην* in prioribus: cf. Iacobs. in Epigr. 143. et 178. p. 436. 441. Aliud genus est: Carm. II. 58. XI. 184. LIV. 153. Carm. arcan. VII. 55. Carm. iamb. p. 179. C. (edit. quae dicitur Coloniensis) quod carmen est etiam inter Epigrammata Anthologiae Palatinae *Χριστιανικά*, 92. tum in Carm. ab. Iac. Tollio edit. I. 595. XIX. 1. et Epigr. 178. Quae omnia eo modo dicta sunt, quem doctrina illustravit Schaeferi in L. Bos. p. 543. seq. Ut, quod exemplum facile nobilissimum: *Ἦν ὅτε μυρία φῦλα κατὰ χθόνα [πουλυβότειραν] πλαζόμενα [στείβεσκε] βαθυστέρνου πλάτος αἴης.* Verum Gregorius placet sibi in hac conformatione, ut post *ὅτε* rursus aliud inferatur *ἦν* sive *ἔην*. *ἦν δ' ὅτε Μωαβίταις νηὸς μέγας οὐ βατὸς ἦεν* Carm. XI. 184. cf. 182. et *ἦ δ' ὅτε ζάπλουτος ἦν. Ἦν ὅτε ἦν (ὅτ' ἔην) ἀτίνακτος ἐγὼ τάφος.* Rursus alia ratio est Epigr. 143. ubi *ἦν ὅτε ἦν (ὅτ' ἔην)* simpliciter vice fungi adverbii *olim* videtur: cf. Carm. de vita sua vs. 9. et 412. et Carm. ed. Toll. X. 4. Quibus Hesiodum imitatur, praeter Carm. iamb. p. 210. D. vs. 398. *ὀπηδὸν εἶναι τὴν ἀρετὴν τῶν χρημάτων*, quod ipse Gregorius falso attribuit Homero, alterum hoc indicavit Iac. Billius: Carm. LXIII. 121. 2. *δειπνολόχην, — δαλὸν ἀειφλεγέα*, ex Opp. 702. 3. Add. a me observata obiter: Carm. I. 43. *σφέτερον μόρον ἀμφαγαπῶντες*, et L. 142. *ἑὸν μόρον ἀμφαγαπῶσι.* cf. Tryphiodor. 138. Carm. II. 66. *Ἤτοι μὲν πρώτιστα φάος γένεθ'.* Carm. LIV. 55. *ψεύδεά θ' αἱμυλίους τε λόγους.* Carm. arcan. VII. 42. *λακέρυζα κορώνη.* quamquam hoc quidem ex Hesiodo iam alii: sed Gregorio primum auctorem obversari probabile est. Carm. LI. 71. *τό σε φράζεσθαι ἄνωγα*, incertum utrum ex Homeri (Od. XX. 43. al.) an ex Hesiodi Opp. 365. recordatione. Addam alia nonnulla promiscue ex poetis ducta aliis. Carm. XI. 84. *ἔτι χνοάοντες ἴουλον*, sive e Cynegeticorum scriptore IV. 347. sive ex Apollonio II. 43. et 779. sive hoc facile inveniendum sua sollertia suppeditavit Gregorio. cf. Epigr. *ἀδεσπ.* DCXCV. 1. Anth. Pal. T. II. Append. p. 854. Eandem rem breviter dicit, *ἀρτίχνοοι* Carm. ed. Toll. I. 626. *νεόχνοον* Epigr. 165. Carm. XLVII. 166. *ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων*, sive ex Anthologia (Automedon III. 2. A. Pal. T. I. p. 119.) sive aliunde; cf. Ilgen. ad Hermesian.

v. 62. p. 309. Carm. LXII. 28. ἴσον ἀραχναίοις νήμασιν, ex Antipatro Sid. XXI. 6. A. Pal. T. I. p. 251. Carm. arcan. VII. 37. ἐτώσια μοχθίζοντες, e recordatione Theocriti, ut videtur, I. 38. VII. 48. Carm. iamb. p. 203. B. e restitutione Billii, ubi vulg. ἐπὶ σκότους, et Orat. XIX. T. I. Opp. p. 302. D. ὀπισθόπους δίκη, ex Pindaro, ut perhibetur: quod tamen aegre credimus uni Eliae Cretensi. Simile βραδύπους Δίκη Epigr. 246. et 247. Carm. iamb. p. 205. A. κἂν σοι τὰ Γύγου τοῦ πολυχρύσου παρῇ, sive ex noto Archilochi loco sive ex Alphei epigrammate. si autem ex illo, id quod credo, non necesse est ut ex ipso Archilochi libro hauserit: sententiae eiusmodi per multa saecula circumferuntur, perque libros multos. Alia aut ex fonte deperdito, vel cuius ego saltem non statim memor fui, aut sunt ab ipso Theologo non male inventa, enunciata probabiliter: ut Carm. II. 535. φερέοικον ὑπ' ἄχθεϊ ὀστρακόεντι ἕλκουσαν μογερῶς ὑγρὸν δέμας ἴχνεσι νωθροῖς. testudinem, ut puto. Hesiodus φερέοικον cochleam, quam *domiportam* vetus poeta latinus. φερέοικος aliter ap. Nonnum III. 365. IV. 33. III. 592. ὧν δ' οὔατα πίστιν III
ἔδωκαν, ex proverbio multis usitato, cuius olim ope Fragmentum Callimachi CCCCLI. restitui. L. 143. δυσμενέων κεφαλαῖς οὗτος βίος ἀντήσειε: commune multis tam Graecis quam Romanis flexumque variis modis schema, nam σχῆμα appellat Eustathius, cuius quasi fundus est Homer. Il. VI. 127. Veluti eo etiam pertinent Callim. h. Iov. 69. Dian. 136. Verum Gregorius proxime accedit ad Nicandrum Ther. 186. ἐχθρῶν που τέρα κεῖνα καρήασιν ἐμπελάσειαν. et Dionysium P. 600. δυσμενέων τοι παῖδες — κείνοις ἀντήσειαν. Proverbium *gutta cavat lapidem*, et alterum sive proverbium sive imaginem, *rosa in spinis*, tractavi alibi. Sed *rosa in spinis* in multis est locis Gregorii, quos non attinet apponere. Sic idem delectatur repetita a magnete: μάγνησσαν λίθον vel etiam μάγνητα appellat: imagine. Denique memorabiles mihi videntur loci hi: XLIX. 143. ὡς νόθον, εὐγενέος Ῥήνου κριθέντα (putaverim κρινθέντα) ῥεέθροις, et LXIII. 221. Κελτοὶ μὲν κρίνουσι γόνον Ῥήνοιο ῥεέθροις. Quaerebam, an ex Anthologia, ubi ea de re inter Σύμμικτα ἡρωϊκὰ ἀδέσποτα Anal. Br. T. III. p. 150. (Anth. Pal. T. II. p. 42.) carmen exstat undecim versuum. Nunc mihi carmen hoc posterius Gregorio

videtur, assignandum ei aetati sectaeque, cui Hermannus in illa nunquam satis laudanda dissertatione Orph. p. 690. alia quaedam ex *Συμμίκτοις* illis adscripsit. Gregorius autem cui de tot testibus notitiam eius rei debeat, nemo docuerit: multis enim notam fuisse ostendunt Billius T. II. Opp. Greg. p. 1381. Casaubonus ad Strab. III. p. 165. (p. 250. Almel.) Iacobsius Animadv. in Anth. Gr. Vol. III. P. I. p. 285. idemque in Anth. Palat. Not. crit. p. 479. sq. Addo Nonnum XXIII. 94. 5. XLVI. 54. sqq. Quid si Gregorius Iuliano debeat? Nonnus vero sive Iuliano sive antiquiori cuipiam: nam e Gregorio didicisse eum, quem ipsum maiori cum diligentia incubuisse in veteres doctrinae fontes omnia ostendunt, non est veri simile. Eadem res est in loco de cicadis Atheniensium, XLIX. 130. *Κεκροπίδαι* (habent) *τέττιγα πλόκων ὕπερ υἱέα γαίης γηγενέες.* Quanto Nonnus XIII. 199. ornatius: *καὶ πολὺς, ἀγγέλλων προτέρην αὐτόχθονα φύτλην, χρύσεος εὐπλέκτῃσι κόμαις ἐσφίγγετο τέττιξ.* Et alio ex fonte haud dubie, non Gregorio.

Sequitur index vocabulorum, quibus Gregorius utitur, Callimacheorum. Quo simul Hymnos comprehendi Synesii, et Epigrammata *χριστιανικά* Anthologiae Palat. T. I. etsi nonnullis horum stili laudem iam rursus cultioris stilo Gregorii tribuendam esse censeo. Praeterea quod hic quoque nomen aliquoties comparebit Nonni, de quo satis semel actum esse videri poterat scriptione illa, ego nunc hac occasione utendum putavi, ut nonnulla omissa ibi docta Nonni vocabula proferrem obiter. Quae uncis [ ] inclusi, non sunt Callimachea: certe, ut nunc est, non reperiuntur in reliquiis Callimachi, sed potuerunt esse apud eum, et sunt apud poetas, quorum idem stilus est, cupiditas elegantiarum eadem, alios, ut Euphorionem, Nonnum; partim etiam apud Homerum, sed apud hunc rara, ut de his quidem valeat, quod statim ad voc. *ἀοίδιμος* moniturus sum. Igitur vocabulorum Callimacheorum, dignorumve Callimacho, index Gregorianus hic esto. *ἄεισμα*: Gregorius Carm. II. 633. V. 20. XIV. 85. LXI. 132. Epigr. 9. 113. et 236. *ᾆσμα, ᾄσματα*, etiam saepius, ut Carm. III. 321. XIV. 67. alibi. — *ἀγγελιώταις* Epigr. *χριστιαν.* 39, 1. Nonnus semel XIII. 36. Musaeus v. 7. et 237. cf. Ioannes Gaz. II. 13. — *ἀερτάζουσι* Epigr. *χριστ.* 10, 57. — [*ἀϊδονῆος* Gregor.

Carm. ed. Toll. XIII. 8. Nonnus XXX. 172. e correct. Graef.] — ἀλιτρός Gregorius saepissime. Nonnus in Evangelio Ioann. — [ἀλλοπρόσαλλος: Synesius h. III. νόμους ἀλλοπροσάλλους. Epigr. χριστιαν. (Agathiae) 34, 5.] — ἀμπώτιδι Gregorius Carm. iamb. IV p. 239. D. Rarum in poesi ἄμπωτις vocabulum, si recte memini: ut mirer, quod eo Callimachus h. 130. usus sit. Fortasse Pindari auctoritate. Post Callimachum Dionysius P. v. 203. Agathias prooem. Anthol. 91. Gregorius autem fortasse non Callimachi, sed eiusmodi scriptorum, quos ad Callimachum Spanhemius laudat, suaeque aetatis auctoritate. — [ἀναίμακτος de epulis, sacrificiis non cruentis: Carm. XI. 1. XII. 1. Epigr. 49. Synesius h. III. init. Nonnus XVII. 62. ἀναιμάκτους δὲ θυηλάς Leonid. Al. XIX. 3. Paullus Sil. Ἐκφρ. τ. μ. ἐ. I. 63. II. 267.] — ἀοίδιμος: Homericum, sed rarum apud Homerum, unde illud si frequentatur a recentioribus, ut usurpatur tum ab aliis tum a Gregorio saepissime (et Epigr. χριστιαν. 15, 2. 98, 4. et πανaοίδιμον 9, 1.), factum id esse non tam Homeri auctoritate quam aliis intercedentibus atque commendantibus, et quidem iis, quorum hic mos fuit atque hocce studium, eruere ex Homero aliisque ac divulgare quae apud eos poetas rariora, et fortasse Callimacho maxime intercedente, coniicias. Quo argumento et ἀγγελιώτης a me relatum est in hunc ordinem, et ἀλιτρός, ἀλλοπρόσαλλος, et referentur alia nonnulla Homerica. ἀοιδίμων est inter λέξεις ἐκ τοῦ Θεολόγου in Crameri Anecd. Gr. Vol. II. p. 476, 1. et ἀμπώτιδες p. 477, 8. an ex Orationibus Gregorii? — ἀπεσείσατο Carm. XXXIX. 3. LXIII. 314. Synesius h. III. Ante Callimachum et Apollonium Epimenides: ἀπεσείσατο (Luna) θῆρα λέοντα. — [ἀπὸ τῆλε, vel aliter ἄπο τῆλε: Carm. II. 639. III. 575. XI. 15. XLV. 50. LI. 94. LIV. 112. Carm. arcan. I. 8. in quibus ea exempla nihil singulare habent, ubi recte ἄπο τῆλε (ad modum Homeri: τῆλε δ' ἀπὸ κρατὸς χέε δέσματα) scribitur: illa magis singularia, ubi unius instar vocabuli ἀπὸ τῆλε, vel, ut in Epigr. 182. (et apud Antipatrum Anth. Pal. T. I. p. 500. 637, 3.) editum, ἀποτῆλε. ἄπο τηλόθι et ἀπὸ τηλοῦ (cf. Hom. Od. IX. 117.): Carm. III. 91. XLIX. 142. Carm. arcan. VIII. 75.] — βάσκανος, βασκανίη. — [γηπόνος: Carm. III. 468. quod est, ni fallor, aliquanto magis exquisitum quam γεωπόνος, γειοπόνος.]

— [δακέθυμον XI. 25.] — δηναιός: Carm. LV. 2. Epigr. 33. Paull. Sil. Ἐκφρ. τ. μ. ἐ. II. 518. Tryphiod. 525. — διηνεκής, διανεκές, de carmine: I. extr. XIX. extr. XXIX. 12. (XLIX. 184.) Carm. ed. Toll. XIV. 10. — διφήσαντες Carm. XLIX. 70. διφώμενος Carm. iamb. p. 203. C. διφήτορες Epigr. 230. Et διφήτορες Oppian. Hal. II. 435. Nonnus διφώωσα XLVIII. 592. ex emendatione; διφήτορι Evang. Io. XX. 3. XXI. 7. Praeterea sunt composita: ἀνεδιφήσατε apud Cratinum in Archilochis, ἐρεβοδιφῶσιν apud Aristophanem, et quae Iacobsius in Anth. Pal. T. III. Addend. p. LXXV. denique θεοδιφεῖς apud Synesium hymno IV. — δωμήτορα Carm. LXI. 67. (at δόμησε Carm. LXV. p. 154, D.) δώμηθεν Synesius h. III. δωμήσατο Epigr. χριστ. 10, 38. — εἰκαίης Carm. LII. 14. — ἔμπα δέ: Carm. VI. 43. Epigr. 18. et 21. ἔμπα γε μήν saepius. — ἔμπαλι Carm. XXXVIII. 60. LIV. 120. Apud Callimachum tantum πάλι. utrumque frequentatum recentioribus, ut in Anthologia, Manethoni, aliis. etiam Synesio. — ἐμπέραμον Epigr. χριστ. 28, 2. — ἔξέτι κείνου Carm. LXIII. 133. — [ἐριηχής LXI. 22. LXIV. 21. (sive Epigr. 5.) et Epigr. 15. cf. ibi Iacobs. Not. crit. p. 415.] — εὐαγής, εὐαγέως, apud Gregorium saepissime. et apud Synesium. — [ἐχενηΐς Carm. III. 229.] — [ἠερόφοιτος cum similibus compositis multum usurpatum recentioribus, ut Nonno, apud Gregorium non est: sed est οὐρεσιφοίτης II, 289. οὐρεσιφοίτων XVI. 43. et οὐρανοφοίτης III. 655. alibi, sensu χριστιανικῷ. νυκτίφοιτον ὀρφνάν Synesius h. II.] — ἠλέματος: apud Gregorium non repperi. ἀλεμάτας Synesius h. III. Alios, et antiquiores, inter quos Callimachus, nuper indicavit Hermannus in Scholis Theocriteis Opusc. Vol. V. p. 97. seq. Crinagoram XXXIII. 6. Casaubonus in Lectt. Theocrit. Cap. XVI. Propiores Synesio: Claudianus Epigr. II. Agathias LXXVI. 6. Paullus Sil. XLV. 4. — ἠμεδαπός. — [ἠπεδανός Carm. XVII. 12. XLIX. 29. 55.] — [θαλύσια LV. 37.] — θυμαλγέα II. 475. sed hoc totum Homericum, θυμαλγέα μῦθον. — ἴθματα. — καλιή apud Gregorium semper de nido qui proprie dicitur; altera significatione, γειτόνων-καλιῆς, apud Synesium h. I. Nonnum XVII. 39. — κανθός Carm. I. 332. Synesius h. III. κανθῶν λιβάσιν. — κάραν, et κάρας accus. plur. saepe in Christo patiente, veluti sic v. 2338. οὔ νὴ σὴν κάραν. cf. 283. 672. 850.

1122. 1146. 1478. 1841. praeterea semel Carm. iamb. p. 177. B. *εἰς γῆν ἀποστράφηθι, καὶ κάραν πατοῦ.* Alibi usitate *κάρη, τό*, ut Carm. I. 307. LXI. 37. et sic accipiendum haud dubie *κάρη* in Carm. ed. Toll. XIV. 16. An igitur *κάρη* in versibus heroicis, *κάραν* in iambis maluit? De vero Gregorio loquor. At nec alter sibi constitit, dramatis istius scriptor, qui quominus pro vero Gregorio habeatur, vel per se sola prohibet conformatio versuum, quos nusquam alibi tam constanter detestabiles fecit Gregorius: revertitur enim ad sanam rationem antiquam in hac phrasi, *ὦ θεῖον κάρα*, v. 1114. 1234. 2029. Singularia sunt *κάρη δύο* Carm. II. 546. et *καρός* genit. (an ex Homerico *ἐν καρὸς αἴσῃ*?) Christ. pat. 1215. Complebo hac opportunitate de voce *ἡ κάρη* disputationem meam, quae est in Hecales Cap. IV. Lycophronem v. 436. 981. consulto omiseram: de quo sentio cum Bachmanno. Non ita, non hac in re ab usu tragoediae recessurus erat Lycophro. Mirum est, sed minime dubium, apud Quintum XI. 58. *κάρη δ' ἀπάτερθε κυλινδομένη πεφόρητο.* mirum autem propterea, quod praeter eum locum Quintus ubique usitatum epicis *κάρη* neutrum tenet: ut statim XI. 119. 488. Praeterea XIII. 241. memorabile est *κάρη* neutrum, cui subditum v. 244. *ἡ δὲ (κάρη* sive *κεφαλή) μέγα μύζουσα.* De Theognide dubitationem movit Buttmannus Gramm. gr. mai. II. p. 405. sq. De Sibyll. XII. 63. infra monebitur verbo. Nonnus ex noto Homeri loco saepe *κρᾶτα* dicit, ut *κρᾶτα παρακλίνας, κρᾶτα κυβιστητῆρα.* Tryphiod. 602. *κάρησιν* [*κάσις*: Carm. XXXVIII. 21. LI. 79. LIV. 61. Epigr. 98. 151. Cf. Hermann. de dictione Orphei p. 825.] — [*λαγών, λαγόνες*, quum primitus ac proprie *ilia* et gremium significaret *matris*, postea transferri ad alia coeptum est, ut est apud Leonidam Alex. XI. Anth. Pal. T. I. p. 293. *λαγόνεσσι φαρέτρης*, apud Gregorium Carm. XIV. 14. *λόχμης - ἐν λαγόσιν*, Epigr. *χριστ.* 84. *πυκτίου ἐν λαγόνεσσι*, cf. Nonn. XX. 141. et hoc maxime tempore, in quo nunc occupati sumus, viscera et profunditatem significat terrae, maris, aeris. aeris: Gregor. Carm. XLVII. 161. LXI. 293. *ἠέρος ἐν λαγόνεσσι.* Synesius h. III. *κόσμου λαγόνας*, h. IV. *αἴθρας λαγόσι.* terrae: in his, *βυθίων λαγόνων, πεδοσκαφέων λαγόνων, χθονίων λαγόνων*, apud Nonnum IV. 259. XXVI. 112. XXXIX. 151. Evang. Io. IV. 13. 15. XII. 34. Ioannem Ga-

zaeum II. 8. maris: Ev. Io. XXI. 10. sed maxime terrae viscera, quatenus ea recipiunt mortuos: Gregor. Carm. iamb. p. 180. A. Epigr. 197. Inscr. Boeckh. Vol. I. p. 563. (Osann. Syll. II. 48.) Anth. Pal. T. II. p. 611. 31. Append. p. 793. 104. Cf. Nonnus IV. 435. XIII. 103. XLVIII. 400. Est etiam τροπικῶς dictum in Callim. Fr. CLXXXV. λαγόνεσσιν, sed alio modo.] — λιπόωντα Gregor. Carm. II. 613. λιπώσης Carm. iamb. p. 182. D. χάριν λιπῶσαν Synes. h. II. — λίχνος Carm. I. 437. et loco paullo post laudando. et ex Euripide in Christo pat. 864. 2129. — μεθυπλῆγας Carm. iamb. p. 236. C. — [μηκεδανός: Synes. h. III. apud Nonnum saepissime, sed de tempore rarius: XIV. 209. XXXII. 213. et mire dictum XXXV. 329. Tryphiod. 50. Fortasse etiam
VI Gregorius.] — νέποδες pisces: Carm. III. 18. alibi. et Synesius h. III. et Nonnus aliquoties tam in Dionysiacis quam in Evang. Ioann. et Paullus Sil. — νήϊδες Carm. XI. 87. Nonnus in his tantum dictionibus: νῆϊς ἐρώτων et νῆϊς Ἔρωτος, νῆϊς ἐέρσης XVII. 128. νήϊδι μύθῳ Ev. Io. VIII. 15. — νόθος significatione non propria. — [νωθές Carm. de vita sua p. 13. C.] — νωθρός: Carm. II. 536. III. 227. VII. 21. Carm. ed. Toll. I. 651. — νώσατο Carm. arcan. IV. 20. — ὁμέστιος. — πάννυχον et παννύχιον, adverbium: Christ. pat. 122. ὡς πάννυχον κρίνουσιν οἱ μιαιφόνοι. et 1845. παννύχιον στένουσα κωδυνωμένη. Est tamen et alterum ibidem: στρατὸς φυλάκων — νῦν ἐννύχιος ἐν θορύβῳ συῤῥέων, et sim. 1940. 2202. 2340. Locupletior testis Nonnus: XX. 30. XXIV. 345. XXXI. 160. cf. XLIV. 51. et sic accipiendum putaverim XIII. 283. sed tamen apud Nonnum quoque ratio praevalet altera, ut VII. 300. IX. 107. XXVI. 11. alibi. — [παροίτερος, παροίτερον: Carm. II. 238. alibi. Nonnus XXXVII. 391. et hic quidem manifesto ex Homero Il. XXIII.] — περιηγής. — [περίπυστον Epigr. χριστ. 15, 2. 98, 1.] — περίτροχος Carm. LXIII. 229. — [πρήνιξεν Carm. XI. 54. et Nonnus saepissime.] — ῥικνός; I. 307. II. 701. VI. 25. XI. 143. XLI. 37. LXIII. 62. (ῥικνώση) Carm. iamb. p. 189. C. in Carmine de vita sua p. 11. D. et Epigr. 26. — σάω IV. 343. IX. 101. XXVI. 21. σάου Carm. ed. Toll. IV. 1. XIV. 20. Epigr. 37. Synesius aliquoties. — σιπύη III. 174. — σπερμῆναι: II. 419. 477. XXXVIII. 23. Synesius h. IV. et Nonnus III. 295. XIII. 202. XIV. 90. XLVI. 244. Christodor.

210. — συνέμπορος. — συνέριθος L. 270. Musaeus v. 11. — συρφετός Carm. de vita sua p. 28. A. — [ταρσός, planta: Synesius h. II. extr. alibi. ala: idem h. III. πετάσαι ταρσούς. tritum Nonno vocabulum, ut nullum magis. Cf. Hermann. de dict. Orphei p. 814.] — τέγος usitate Carm. I. 178. IX. 19. cf. LXIII. 286. de taberna meretricia loco infra apponendo III. 302. et sic στέγος Carm. iamb. p. 236. D. — τέθμιον, τέθμια: Carm. III. 8. XXXVIII. 20. 48. L. 166. Est tamen et θέσμιον: LXI. 184. — φιλόξεινος, φιλοξενίη. — [φύξηλις: Synesius h. V. qua significatione semel apud Homerum legitur; apud Nonnum saepius.] — χανδόν Carm. iamb. p. 230. A. Nonnus VI. 283. XLI. 72. — χαρίσιον Carm. XLIX. 205. Sic enim legendum haud dubie: χαρίσιον ὕμνον ἀείσω, non χαρίστιον. χαριστήριον ὕμνον dicit qui fecit Christum patientem, extremo carmine. — χοροστασίη, χοροστασίαι. — ὠδίς, ὠδῖνος: Carm. I. 430, alibi, sed tamen nominativus nusquam, si bene memini. et apud Nonnum ὠδῖνος, ὠδῖνα saepe, non ὠδίς. apud Synesium ὠδίς saepe. Annotavi propter Callim. Fragm. CLXXV. ex Etymol. M. et Gud. p. 242, 31. cui nunc meliorem Wakefieldiana Silv. crit. P. II. p. 115. medicinam nullam habeo. cf. Antipater A. Pal. T. II. p. 50. 150. Magnus numerus. Praesertim si reputes, quam pauca et quam imminuta ad nos pervenerint iniuria temporis monumenta artis Callimacheae. Neque spondeo nihil me praeterisse, quod dignum observatione sit. Dedi unius lectionis, et quae ut fuit prima, ita erit ultima haud dubie, messem. Sed dedi quot exempla coniuncta, etiamsi non pauca detraxeris, meam in rem sufficient. Etiamsi detraxeris non pauca. Nam ipse minime contendo Callimachea illa, h. e. obvia in reliquiis Callimachi vocabula, ab ipso Callimacho omnia habere Gregorium. Neque de Apollinare et collectione quam ibi dedi similem, ac ne de Nonno quidem id contendere volui. Insunt, ut monui, Homerica; nonnulla etiam Hesiodea: quae qui non male exercitato Homeri, et vero Hesiodi, lectione Gregorio memoriam ex Homero Hesiodoque praebuisse, non e Callimacho, contenderit, non poterit refelli. Et sane ne rara quidem, et ἅπαξ εἰρημένα Homero, effugerunt industriam Theologi, ut ἀφυσγετός: Carm. V. 41. ἀφυσγετὸν εἰς ἅλα ῥίψας. cf. Nonnus XXIII. 215. Etsi ne sic quidem evertitur coniectura VII

mea, qua coniicio, si non omnia, saltem partem horum ex derivatis a fonte rivulis, non ex ipso fonte, Homero, hausta esse. Sunt alia non Homerica, quae utrum a Callimacho mutuatus sit an alio poeta quis decernat? ut *μεθυπλήξ* utrum e Callimacho (Fr. CCXXIII.) an ex libro etiam magis noto, ut videtur, et magis trito posteriore aetate manibus omnium, Anthologia: Leonid. Tar. XXXVII. 5. Sunt rursus alia non pauca, quae Gregorius non remotiori cuidam aetati poetaeque, sed suae aetati debere, scriptorumque non solum poetarum, sed etiam eorum, qui ea aetate, vel proxime antegressa, in prosa oratione elaboraverunt, consuetudini videatur. Non pauca enim sunt primo aspectu valde exquisita, et quae poesi elegantiori ac doctiori unice propria putes, re vera huic aut cum vetere atticismo, e. g. Euripidis, Platonis, aut cum diffluente recentioris temporis, ac recentissimi, sermone etiam pedestri communia: ut *βάσκανος*, *εἰκαῖος*, *ἡμεδαπός*, *ἡ κάρα*, *λίχνος*, *νωθής*, *ῥικνός*, *σιπύη*, *συρφετός*, et mox proferenda *ἔδεσμα*, *πόμα*. Verum ut concedam nonnulla hoc quoque ex fonte affluxisse Gregorio, semper probabile videbitur, antequam ad poetandum se accingeret, cuius quidem studii explicatio atque excusatio satis ieiuna in Carminibus iamb. p. 248. sq. habetur, poetarum maxime lectione sese exercuisse Theologum, et maxime eorum, qui medio inter veram antiquitatem et hanc inferiorem aetatem tempore suo quodam studio ducti profuturum posteritati thesaurum ac penum conquisitarum undique elegantiarum condidissent. Atque horum facile princeps Callimachus fuit. Qua in re non multum interest, utrum Callimachea Gregorius e Callimacho ipso hauserit an nutritis medulla Callimachi aliis debuerit. Postea Nonnus in unum collectis, quae ante ad Gregorium, alios, ex docta antiquitate permanassent singula, vel potius novo ipse delectu instituto, ex doctis poetis, maxime Callimacho, suum sibi sermonem concinnavit.

Sed quod dicturus eram, Gregorium etiam ipsa tractavisse volumina Callimachi credo, et persuadebo, ut spero, aliis. Restat enim ut imitationis, quae proprie dicitur, specimina proponam. Incipiam autem ab incertis sive minus tutis, sed quae tamen aliquid habent ponderis, ubi alia prope adsunt certiora. Carm. III. 573. *τὴν ἄλλοι φιλέουσιν, ἀπέστυγεν ἄλλος ἀϋτμήν*, e Calli-

machi Fragm. LII. et quidem ita scripto: — ἑσπέριον φιλέουσιν, ἀποστυγέουσιν ἑῷον. Sententia Valckenarii. Eodem iure scripturam alteram, ἀτὰρ στυγέουσιν ἑῷον, defendas e Gregorii Carm. I. 187. 8. παῦροι δ' αὖ φιλέουσιν, — πρίν τι λαβεῖν τίουσιν, ἀτὰρ στυγέουσι λαβόντες. Carm. arcan. I. 8. 9. ἀλλ' ἀπὸ τῆλε φεύγετε, ὅστις ἀλιτρός: fortasse ex hymno in Apoll. v. 2. ὅστις ἀλιτρός iterum Carm. arc. III. 53. Missa facio quorum tam facilis inventio fuit, ut pro fortuita haberi similitudo, si qua sit, debeat. Ut quum Gregorius: ἀλλ' ἴθι πρόφρων τήνδ' ὁδόν, et περόωσιν ὁδόν: Callim. Fr. CXXXI. et κοιμήσατο τὸν βαθὺν ὕπνον Epigr. 60. specie magis quam re vera cognatum cum Epigr. Callimachi (vel Posidippi) LXIX. ed. Ernest. et εἴδωλον μορφῆς Carm. LXIII. 278. quod alio sensu Callimachus sive Posidippus epigr. eodem, et rursus alio Meleager XXVI. 6. Epigr. 90. Οὐκ ἄγαμ', οὐκ ἄγαμαι —: quod ipsum, οὐκ ἄγαμαι, quum Nonnus XXV. 111. 180. 228. XLIII. 147. XLVII. 520. frequentat, suspicio est, an frequentet Callimacho praeeunte h. in Apoll. extr. De Gregorio nulla suspicio. Carm. LI. 205. de carmine nuptiali, quod aliquis non ab se cantatum in nuptiis sororis, quamvis sit ἴδρις ἀοιδῆς, sed ab alio queritur: Ἕσπερον εἴρυσεν ἄλλος, Ἑωσφόρον ἄλλος ἄεισεν: addendum, si ita placuerit, ad ea quae VIII
de Callim. Fr. LII. disputavimus. Taceo alia. Sic quod exsecrationi Callimacheae in Coma Berenices v. 48. 9. similes sunt hae: Carm. XI. 169. 70. et LXIII. 275. 6. coll. III. 640. ego non moveam de imitatione suspicionem. Neque illud, quod in Orat. IV. (adv. Iulian. invect. II.) p. 112. Tom. I. scriptum est: λέγε μοι καὶ σὺ τοὺς σοὺς ἀστέρας, τὸν Ἀριάδνης στέφανον, καὶ τὸν Βερενίκης πλόκαμον, ad manum fuisse Theologo Comam Berenices Callimachi probat. Fuit enim hic locus communis in disputationibus huius generis: ut apud Tatianum, quem confert Billius, tractavitque in Argumentis Elegiae Callimacheae p. 45. Valckenarius. Neque apud interpretes Gregorii, in Nonni (τοῦ ἀββᾶ) ἐξηγήσει, ex quo rursus profecerunt Eudocia et Arsenius in Ἀποφθέγμασι, et apud Eliam Cretensem, ullum est de Callimacho indicium. Quamquam si ulterius inquiratur, unde Patribus illis venerit notitia eius rei, non video caussam, cur venisse e carmine Callimachi negemus. Neque quicquam similitudini

verborum tribuo, quae cum Hecalo Callimachi intercedit Gregorio in narratione de paupere vidua Sareptana (e lib. I. Regum c. 17.) Carm. III. 172. sqq. (coll. Carm. iamb. p. 195. med. p. 204. A. et Epigr. *χριστιαν.* 77.): *γραῖαν ἔθρεψε* (Elias) *Σιδονίην, τυτθῆσιν ἐνὶ ψεκάδεσσι βίοιο, οὔ ποτέ γ' ἐν πενιχρῇ σιπύῃ λήγοντος ἀλεύρου, — — φιλοξείνοιο γυναικός.* Graeci interpretes V. T. ea opportunitate in lib. Reg. l. l. vs. 12. panem intulerunt *ἐγκρυφίαν.* Certum imitationis exemplum: Epigr. 188. *Ὅστις ἐμὸν παρὰ σῆμα φέρεις πόδα, ἴσθι με ταῦτα* — e Callimachi Epigr. XXII. Observatum ibi Ernestio. Ac ne quis forte obiiciat, ex Anthologia hoc hausisse Theologum, quid de his iudicabitur, quae ita sunt fragmentis Callimachi similia, ut mihi quidem certa sit imitatio? Carm. LXIII. 19. *σώζετε* (scil. *κάλλος ἀνδράσι*), *μηδ' ἀλλοτρίῳ ὄμματα λίχνα φέρουσαι:* ubi *λίχνον ὄμμα, ὄμματα λίχνα,* usitata etiam aliis, Leonidae Tarentino, Meleagro, dictio est: ita coniunctum, *ὄμματα λίχνα φέρουσαι,* mirum ni sit ex Fragmento, quod nunc est, Callimachi CVII. *αἴθε γὰρ ὦ κούροισιν ἐπ' ὄμματα λίχνα φέροντες* —. Et Carm. III. 302. *ὅσαις τέγος ἀκλήϊστον,* mirum ni ex Hecale: *ἔχε γὰρ τέγος ἀκλήϊστον.* Est rursus *ἀκλήϊστοιο θύρης* XI. 73. et *ἀκλήϊστον* aliter Carm. iamb. p. 252. C. Marianus Schol. II. (A. Pal. T. II. p. 235.) 13. *ἀλλὰ τὸν ἀκλήϊστον ὅπως, ξένε, μή με παρέλθῃς τόνδε δόμον, λιτῆς δ' ἀντίασον ξενίης.* Sed omnino caussa non est, cur quis aut habuisse opera Callimachi omnia Gregorium, aut uti iis voluisse neget.

In disputatione de Apollinare unum fortasse iusto confidentius conieci: fatebor enim me coniecisse tum quidem, etsi non dixi diserte. Quod ex Apollinare illustrandum putavi dictum Callimachi Fragm. DI. Blomf. quum possem ac deberem etiam ex libris Sibyllinis: III. 386. *δεινὸν ζυγὸν αὐχένι θήσει,* Rhodo dictum: et similia, vel eadem, VIII. 126. 325. 6. XI. 67. 76. XIII. 93. XIV. 304. et Sibylla Zosimi II. c. 6. *ὑπὸ σκήπτροισιν ὑπαυχένιον ζυγὸν ἕξει:* ubi quum *ἐπαυχένιον* (Nonn. XVIII. 47.) exspectes, *ὑπαυχένιον* fortasse Agathias prooem. Anthol. 47. tuebitur; ibid. c. 37. *οὐδ' ἐθέλοντι γὰρ εἴσω ὑπὸ ζυγὸν αὐχένα θήσει.* Quae omnia, et praeterea alia nonnulla cognata tum Sibyllae tum Nonni (XIV. 296. XXXIV. 189. XXXVI. 432. Agath.

prooem. Anthol. 51. Christod. 401.) valde usitatam aetati isti imaginem dictionemque fuisse, etiam de populo sive regione, cervicem subiectam iugo, ostendunt, ut dici nequeat, quis inter omnes eam dictionem primus e Callimacho, si sit e Callimacho deducta, deduxerit. E Gregorio huc pertinent Carm. III. 641. (hoc quidem prorsus usitate et antique, de vero iugo) IV. 283. IX
XLVII. 344. Ante Callimachum: Epigr. *ἀδεσπ.* DCXXVII. (ex Demosthene) 5. et facile alii. Post Callimachum, sed ante illos, in quorum fontes hic inquisivimus: Alcaeus Mess. XVI. 3. Ex Oraculis Sibyllinis praeter illud annotavi Sibyllis cum Callimacho pleraque, vel cum doctis poetis aliis communia haec; *ἀνακτορίη* IV. 66. — *ἀνάκτορος* XIV. 196. — *ἀνάκτορον, τό* Paull. Sil. *ἀοίδιμος. ἀπομαξάμενος* I. 30. VIII. 266. (*ἄμπωσιν* V. 27.) *δωμῆσαι. ἔδεθλον* Sibyll. Zosimi II. c. 37. Nonnus saepe *ἐδέθλιον*, sed etiam *ἔδεθλον* XL. 187. XLI. 147. et in Ev. Io. *ἐδέσματα* V. 469. *εἰκαῖα. πάλι* et *ἔμπαλι. πόμα. πρηνίξει* etc. cum cognatis *πρηνισμός, πρηνηδόν* (cf. Nonn. Ev. Io. IV. 23.). *ταρσοῖς. φημίζειν.* Et indicata suis locis ad Callimachum *τέγος, κάρη, ἀναίμακτος.* Verum de Sibyllae versu, in quo *κάρη*, XII. 63. *παρθενικὴν δὲ κάρην μυστηρίων ἐξαπατήσας αὐτὸς ἄναξ ὀλέσει δολίως*: ne nunc quidem mihi satis facio. Vestalem videtur significare, vel virginem Christianam. Unde nova oritur suspicio, an *κάρην* nihil sit nisi mendum, pro quo reponi debeat *κόρην. παρθενικαὶ κοῦραι* Vestales audiunt ei, qui librum V. scripsit v. 396. Rursus *κούρη* est VIII. 461. et 463. *ἡ δ' αἰεὶ κούρη*, ubi fortasse legendum: *ἄϊε κούρη.* sed etiam *κόρη*, III. 722. XIV. 104. *θηλεδανῷ θανάτοιο νόσῳ*: non quod alicui in mentem veniat, *ἠπεδανῷ*, sed *ληθεδανῷ* coniecerim. Locis his, II, 20. III. 741. IV. 131. (V. 378.) XII. 56. XIV. 89. 231. potueram uti in loco de *πέμφιξι*, et portento, *παῖδες πολιοκρόταφοι*, II. 62. in disputatione ad *πολιὸν νέον εἶρενα* Crameri.

Quod vacuum restat paginae huius spatium, non male occupabunt supplementa quaedam in Nonnum. Consistam autem in iis, quae non memini observata esse ab alio. Igitur in Moschi Europa v. 109. ubi fere vulgata nunc scriptura est, *ἄφαρ δ' ἀνεπίλνατο ταῦρος*, alterum *ἀνεπήλατο* et maiorem a libris, iis maxime, quorum dudum a me demonstrata praestantia est,

Gaisfordii F. et N. commendationem habet, et certum est auctoritate Nonni V. 195. XIX. 157. XX. 99. XXXI. 209. XXXV. 209. cf. ἀνεπάλλετο VII. 205. X. 14. XXXIII. 180. 216. XXXIV. 290. XLI. 138. Ev. Io. XI. 29. (Homer Il. XXIII. 692.) κατεπήλατο XVIII. 13. (ἀνέπαλτο VII. 156.) Ἄρτεμι, μὴ νεμέσα IV. 187. e carmine quod est inter Theocritea XXVII. 62. Ex eodem carmine v. 38. elegantiam repetitionis commendo ac tueor hanc: τίνα σοι, τίνα δῶρα κομίσσω: XLII. 416. cf. Evang. Io. IX. 17. XIII. 36. XVI. 5. Versus Apolloniani I. 129. δεσμοῖς ἰλλόμενον μεγάλων ἀπεσείσατο νώτων partem posteriorem coniecimus obversari Nonno XI. 217. ubi ἑῶν ἀπεσείσατο νώτων. pars prior fortasse eidem in Evang. Io. XI. 42. ubi ἰλλόμενον δεσμοῖσι. Ad Callim. h. Cer. 57. Νέμεσις δὲ κακὰν ἐγράψατο φωνάν, praeter locum Nonni XXXVII. 43. alter admovendus est hic, I. 481. καὶ Ἀδρήστεια τόσην ἐγράψατο φωνήν. An ex eodem Callimacho est (Fragm. CXXVII.), quod φίλε κοῦρε frequentat Bacchus ad Ampelum? XI. 7. 74. 280. 335. cf. XLVI. 303. 310. XLI. 324. εἰς χρόνον ἱμείροντα τριηκοσίων ἐνιαυτῶν, Ζῆνα (Iunoni) γάμοις ἔζευξα: e Callim. Fragm. XX. ὥστε Ζεὺς ἐράτιζε τριηκοσίους ἐνιαυτούς.

XXXIII. *)

Quum suam sibi usitatam praefationem postularet hic aestivarum Scholarum Index, de argumento cogitanti, unde sumeretur praefatio, placuit aliquid Vobis novi ex Geographia antiqua propinare.

Eusebii locus est in Praeparatione Evang. IV. 16. p. 155. B. ed. Viger. (p. 92. RSt.) ἐν δὲ τῇ νῦν Σαλαμῖνι, πρότερον δὲ Κορωνείᾳ ὀνομαζομένῃ. Ad quem locum Osannus in libro, quem

---

*) Cal. Mart. a. 1837.

de Sophoclis Aiace scripsit, p. 95. hoc protulit e codice Eusebii ms. Reg. Paris. (n. 451.) [1]) vetus scholion:

> *οὐ τὴν πρὸς ταῖς Ἀθήναις Σαλαμῖνα λέγει· αὕτη γὰρ Κούλουρις πάλαι ἐλέγετο, ὡς καὶ Καλλίμαχος ὁ Κυρηναῖος ἐν τῇ Ἑκάλῃ φησίν· ἀλλὰ τὴν κατὰ Κύπρον Σαλαμῖνα λέγει.*

Apud veteres scriptores alia eius insulae prisca nomina reperiuntur, *Σκιράς*, *Κυχρεία*, *Πιτυοῦσσα*: at *Κούλουρις* novum haud dubie Vobis; et novum, ut verum fateamur, nobis. Non diu enim est, quum hoc didicimus. Scilicet legeram illum Osanni librum: illud annotare neglexeram. Nunc observavit mihique indicavit Welckerus.

Igitur primum hoc tenebitis, de quo scite Osannus monuit, et quod multorum testimoniis confirmatur, *Koluri* etiam hodie dici Salaminem. [2]) Non multum in eo discriminis positum esse censeo, quod quum plerique insulam dici eo nomine scribant, non deest, qui proprium id nomen oppido sive vico insulae principali esse significet. Sive enim hoc sive illud accipias, semper vere Osannus id statuisse videbitur, esse hoc nunc nomen *Koluri* (Pouquevillio *Coulouri* est; et sic Meletius in Geographia: *Σαλαμὶν, καὶ Σαλαμὶς, κοινῶς Κόλουρι*) ex illo antiquo factum. Nam quod aliquis suspicetur fraudem facere Scholiasten Eusebii, et pro vetustissimo vendere novum suaeque aetati usitatum nomen insulae, atque eum in finem nomen auctoritatemque ementiri Callimachi, tam inverecundae fraudulentiae nullam idoneam caussam exputo. Itaque duo sunt, quae doceri me velim: primum, an exstet aliud vetusti nominis illius apud scriptores quos proprie dicimus veteres, vestigium. [3]) Deinde ut inquiratur, quam

---

1) eodem, ex quo edita sunt scholia. v. Clem. Al. ed. Lips. Vol. IV. p. 91. *Naekius.*

2) V. Boeckh. Corp. Inscr. I. p. 148. 512. *N.*

3) In Avieno Salamis, producta penultima, incredibilis ignorantia. Descr. orb. 679. *Fertilis Aeginae tellus, et opima Salamis.* Ubi *Coluris* tolleret difficultatem, sed non audeo proponere, quod fortasse nimis doctum nimisque reconditum in Avieno foret. — Aviens Prosodie wird einmal ganz durchzumustern seyn. *N.*

quidem inquisitionem instituere non vacat nunc mihi, quo primum tempore apud recentiores Graecos *Koluri* illud in communem receptum usum cernatur.

In *Κούλουρις* dubito de priore syllaba *ου*. Et omnino, ut taceam quae similia sono recentior ac recentissima lingua graeca habet, duo tantum video antiqua vocabula graeca, unde illud factum esse potuerit. Aut ut sit a *κολλύρα*: quam in rem aliquid Eduardus Dodwell (Classical and topographical tour through Greece) Vol. I. p. 578. Aut, quod paene malim, a *κόλουρος*.
V Aliud quam Dodwellus, sed tamen in re simile quodammodo, Pouquevillius T. IV. p. 61. Rursus aliud W. Gell in Itinerario p. 303. ita: perhaps the variety of gulphs and capes have occasioned the name [Colouri], *which signifies a snake.* cuius significationis nullum aliunde documentum habeo. Si autem a *κόλουρος*, comparari *πέτρα κολουραία* e Callimachi Fragmento LXVI. poterit, quacum tamen praeter etymon nihil erit Coluridi Salamini commune.

Denique locum si quaeras occasionemque, in qua mentio facta Salaminis insulae a Callimacho fuerit, ea quaestio non diu nos morabitur. Certe mihi statim perspicuum fuit. Conspexerat Salaminem Theseus in illo itinere suo, quo ab Isthmo tendebat in Atticam. Dicam etiam, quo ipse in loco constitutus conspexerit: etsi hoc iam magis dubium est, quum expositam iter illud facienti multis in locis Salaminem esse et tabulae monstrent geographicae, et sciam, qui peregrinatores diserte visam sibi eam insulam vix egressis ex Isthmo, et rursus antequam istam etiam nunc infamem scalam Scironiam attingerent, testentur. Verum tamen magis credibile est poetam usque ad eum locum mentionem distulisse Salaminis, unde liberrimus in insulam proxime adiacentem conspectus. Id autem fuit in Megaride, inter Scironem et Cercyonem; aut in agro Eleusinio, inter Cercyonem et Procrusten. Strabo: *ἐν δὲ τῇ παραλίᾳ τῇ κατὰ Σαλαμῖνα κεῖσθαι συμβαίνει τὰ ὅρια τῆς Μεγαρικῆς καὶ τῆς Ἀττίδος, ὄρη δύο ἃ καλοῦσι Κέρατα.* Scylax: — *Ἐλευσίς, οὗ ἱερὸν Δήμητρός ἐστι, καὶ τεῖχος . . . . κατὰ τοῦτό ἐστι Σαλαμὶς νῆσος, καὶ πόλις, καὶ λιμήν.* Pausanias: *Σαλαμὶς δὲ κατὰ Ἐλευσῖνα κειμένη παρήκει καὶ ἐς τὴν Μεγαρικήν.* Au-

diamus, quae altera ex parte, in Salamine consistens Dodwellus viderit: placet enim audire, quae ipse non videris, et quasi somniare, te esse qui videat. *The view from the hill, above the monastery, commands the greater part of the island of Salamis, with the entrance to the great port, and the promontories, and insulated rocks, stretching out towards the shore of Megaris. The distant lines of this panorama are varied with the beautiful Peloponnesian mountains, the islands of the Saronic Gulph, the Acrocorinthos, and isthmus, the white Arcadian summits, with Mount Gerania, the Skironian rocks, the town and plain of Megara, with Mount Cithaeron, and the plains of Rharia and Thria, the ruins of Eleusis, and a branch of Parnes. The view of Athens is intercepted by a hill of Salamis, and part of Mount Aigaleos.*

XXXIV. *)

Quod de orationibus, quae in Universitate Rhenana quotannis die auspicatissimo *III. Augusti* ab eodem plerumque oratore habentur, semel una in publicum profertur, Vobiscum in manus datur, et quod haec, quam videtis: id non una de caussa institutum est. Quod primum, quum Viri nonnulli, quorum magna est apud nos auctoritas, publicari vellent orationem hanc, quae ipsis dum recitaretur haud iniucunda visa esset, tantae auctoritati obtemperandum esse duximus. Deinde aliquid occasio fecit temporis. Dum enim de publicanda oratione cogitamus, in mentem venit propediem redituri ab Iis, penes quos summa rerum nostrarum cura est, Scholarum hibernarum Indicis. Cui quae praemitteretur statim aptissima visa est haec oratio, tum in laetam *Regis* ac diei Regii, cuius diei recens adhuc memoria, recordationem, tum quod haec maxime oratio coniunctissimum cum

*) Ind. Praelectionum per menses hibernos a. 1837—38. habendarum.

genere philologico, ex quo praefationes sumere Indicum horum academicorum solemus, argumentum habet.

Caeterum de oratione non solum hac, sed etiam aliis, non publicatis, praeter ea, quae monita in exordio legetis, unum maxime habeo proponendum Vobis, Cives, et si qui erunt alii, qui auditam cum aliqua voluptate orationem etiam legere volent. Simplicitatis ac perspicuitatis, eius quidem, quae cuivis audienti prosit, etiam iis, qui non semper satis exercitati ad audiendas orationes latinas accedunt, ita me fateor studiosum esse, ut iis virtutibus caeteras omnes, elegantiam, ubertatem, copiam, ornatum, posthabeam. Novi qui illa coniungere omnia sciverint; novi qui etiamnum sciant, nonnullos. Et ipse in eo eram, ut multa
IV scripta exhiberem aliquanto, quam dicta fuissent, melius elegantiusque. Nunc intacta reliqui omnia, et dedi, quicquid primum effudit, et quibus verbis effudit ille, quem dico, amor argumenti. Quod si quis orationi huiusmodi tantum deesse ad veram orationem obiecerit, vix ut possit pro oratione haberi, ego contentus ero, si *ἀκροάσεις* fecisse, vel disputationes instituisse, haud indignas hoc die, et audientibus haud iniucundas dicar.

D. Bonnae, d. XII. Augusti CIϽIϽCCCXXXVII.

Quum oratori, cuius hoc fere perpetuum munus est, ut certo quodam die et in una quadam annua sollemnitate orare instituat, duae maxime ad eam rem, sane quam arduam, viae pateant, una, qua panegyrici, qui proprie dicitur, more modoque inceditur, et idem semper argumentum, scilicet illud, quod occasio praebet sollemnitatis, qua fieri potest arte, excutitur, variatur, amplificatur; altera, quam consuetudo atque usus fecit ut libera sit placeatque multis, quae per varia argumenta, ex iis maxime disciplinis repetita, in quibus elaborare orator consuevit, ad finem, hoc est, ad commemorationem sollemnitatis annuae conclusione orationis comprehendendam tendit: fortasse de duabus neutra sine offensione periculove est. Nam prior illa, dicimus eiusdem argumenti aeternam, sed variatam repetitionem, et artem postulat supra mensuram, quae solet oratorum esse, et fortasse supra

mensuram hominis, uberem, variam, infinitam: ne taedium afferat
non solum praesentibus, sed etiam, si absentes sint ii, de quo-
rum laude agitur, absentibus. Scilicet, ut exemplo utar, quum
Rex celebrandus est, absens ille, et tamen praesens animis
omnium; et quum *Rex noster,* cuius inter reliquas virtutes ama-
bilis conspicitur modestia: verendum est, ne crebro repetita per
longum annorum decursum laudatio fatiget aures Regias; veren-
dum, ne vultum videre nobis videamur, verecundum illum, augu-
sti auditoris, offensum non adulatione: nam profecto abstineremus
ab adulatione: sed specie adulationis vel levissima. Ab altera
parte, quem posteriore loco modum commemoravimus, qui in
argumento orationis nunc hoc nunc illo undecumque arrepto ex
omni litterarum genere versatur, vix ut intelligas, quomodo cum
sollemnitate diei coeant talia: is modus nimium habet licentiae,
neque dignus satis habebitur, qui magnis diebus ac sollemnitati-
bus adhibeatur. Quare ea in caussa non sine cautione proce- V
dendum, et conditionibus compescenda licentia fere his fuerit,
quas mihi certe obversari, quoties hanc in cathedram vocor, fa-
teor. Primum, ut quod elegeris argumentum, aliquam et magni-
tudinem et longe patentem usum habeat. Sic haec distinguere
liceat. Magnitudinem, quoniam quae in litteris tractandis haud
impune negliguntur, quaestiones secundariae, subtiliores, minutae
ab hoc orationis genere, de quo nunc agitur, abesse debent.
Longe patentem usum: quoniam, quae nunc est necessaria pro-
pter immensam copiam distinctio scientiae et in multas classes
divisio, multa proferri ex penetralibus huius vel illius disciplinae,
et dici possunt verissime, elegantissime, audituque dignissima
parti auditorum, sed eadem caeteris, qui non versati fuerint in
ea scientiae parte, sterilia, frigida. Deinde, ut placeat auditori-
bus orator, ut satis fecisse officio suo, utque fecisse quod dignum
sit eo die, quo ad laetitiam, gravitatem, sollemnitatem, erecti sunt
animi omnium, putetur: requiritur sincerus, qui in ipso cernatur
oratore, argumenti amor. Itaque non arripiet argumentum de
multis unum, quod primum in manus venerit: sed quod iucundum
et cordi sit ipsi; de quo saepe solus secum cogitaverit, de quo
proferre, quae cogitaverit, gestiat. Denique a tali argumento
mirum, ni calefactus atque excitatus orator aptum epilogum inve-

niat; mirum ni conclusio et usitata in his diebus votorum nuncupatio debitam ei diei laetitiam commotionemque spiret.

Verum, Auditores, sentire illud quo opus sit, saepe facile est; facere non aeque. Veluti in hoc, quod nunc aggredior, argumento conditionibus, quas dixi, cunctis satis fieri video. Video magnum esse. Esse tale, ut a nemine vestrum alienum sit, vel debeat alienum esse, intelligo. Iucundum autem mihi esse, et saepe versatum mea cogitatione, scio: nec solum scio, sed quotidie fere per studiorum meorum rationem, et saepe per vitae opportunitates de eo admoneor. Quodsi ne sic quidem tractationem argumenti plenam atque absolutam exhibuisse, sed magis adumbrationem et quasi lineamenta quaedam argumenti videar: eius rei duae sunt caussae: partim temporis angustiae, cuius certa quaedam mensura praescripta oratori est; partim quod ipse, fatebor enim quod verum est, quid sit illud, de quo dicturus sum, sentio ubique; an verbis possim concipere ita, ut pateat omnibus, dubito.

Dicam autem aliquid in laudem atque commendationem an-
VI tiquitatis. Dicam de una quadam antiquitatis, eius quidem, quam solemus antiquitatem appellare, graecae et romanae, proprietate.

Eam proprietatem, ubi de parte antiquitatis illa agitur, quae nobis est omnibus multis et praeclaris monumentis notissima, de litteris atque artis operibus, quo nomine appellem, non haereo. *Simplicitatem* et alii dixerunt, et nos dicimus. Neque ego hac quidem in parte multus ero. Quamquam etiam in hac multa observari, et multa explicari haud inutiliter possunt, quae non cuivis statim manifesta et ad intellectum facilia accidant. Veluti quum in Homero simplicitatem quivis percipiat atque agnoscat: quae sit in poetis specie valde diversis, Aeschylo, Sophocle, vel etiam Pindaro, respondens simplicitati Homericae simplicitas. Nam est talis, et respondet illi. Deinde quum constet, multum Romanos et multis de caussis a perfectione Graecorum recessisse: quae tamen cernatur etiam in romanis tam litterarum monumentis quam artis operibus, melioribus quidem, communis cum Graecis simplicitas, vel quae graecae simplicitatis reliquiae. Scio non defuisse contraria, et mature exstitisse, qui a simplicitate recederent: quo pertinet quicquid, ut uno verbo comprehendam

omnia, sophistici artificii notam habet. Verum illud, ut recte ac proprie dixi, notam habet. Notatum est suo tempore multa cum severitate ab iis, qui pristinae virtutis, simplicitatis vere antiquae memores ac retinentes essent.

Haec obiter. Vel potius non obiter: sunt enim arcte coniuncta cum parte argumenti huius primaria. Sed breviter, quia ad hanc primariam partem perveniendum est. Nam *mores* magis in universum antiquitatis, quam litteras artemque, contemplandos mihi sumpsi. Iam mores quod attinet, nescio an *simplicitatis* appellatio non ab omni parte sufficiat ad declarandam eam, quam volo, antiquitatis proprietatem. Liceat ita: fuisse antiquos illos *propiores naturae* quam nos sumus.

Sane ambigue dictum. Sed quamcumque in sententiam interpreteris, verum erit. Si enim naturam intelligas, quo nos nunc sensu dicimus usitatissime, hunc caeli terraeque ambitum, in quo mortales Deus creator posuit: notum est, apud populos illos ita tulisse vitae consuetudinem, ut minus, quam nos, domibus continerentur, natura multo, quam nos, liberius fruerentur. Ac profecto in tanta caeli clementia naturaeque amoenitate neque hoc mirum, quod illi naturae appetentes multa in publico agere quam in privatis domorum angustiis maluerint, neque hoc illis laudi VII
tribuendum, si quid e commercio naturae felicissimo aut ad valetudinem corporis elegantiamque aut ad excolendum ingenium profecerint: felices magis praedicandi erunt. Ut nos gaudemus, qui caelo plerumque non nimis inclementi utimur: gaudemus eo, in aliis autem, qui in gelu glacieque habitant, aliquid inesse, intemperiae aeris consentaneum, frigidi ac rigidi suspicamur. Et rursus ut nos invidemus posteris Graecorum Romanorumque atque heredibus. Invidemus, et miro torquemur desiderio, quum de Graecia legimus, quale nuper in Ephemeridibus scriptum vidimus de hominibus, magnam partem ineptis, ut dicam quod sentio: qui e Graecia reduces in Germaniam restituti sibi ab inferis videantur, sed tamen in hac nunc recuperata beatitate tria desiderent, quae illic habuissent, haec: solem, aerem, mare. Vel quum Romae imaginem habemus oculis propositam ab homine perito. Non dico nunc quidem praeclara illa antiquitatis monumenta, non dico palatia nobilium: dico aediculas, quas etiam

nunc, docente natura, ad similitudinem prisci moris exaedificant, ut liberior inde usus naturae sit. Sedentem in ianua aediculae feminam, matrem familias, non nobilem, sed de plebe feminam; non pulchram, et tamen vultu, membris, et grata in assidendo negligentia, aliquid elegantiae, nobilitatis, et matronae simile Romanae prae se ferentem. Prorsus ut si in tabulam haec pauca referret sine ulla mutatione, nullo alio artis condimento addito, pictor, elegantissimam tabulam faceret. Vel potius ut ipsa illa, quae vides, et qualia vides, per se tabulam contemplanti praebeant perfectissimam, elegantissimam. Non ficta narro, sed certis auctoribus. Non raro vel semel obvia, sed quae quotidie se offerant per Urbem aeternam ambulanti, modo is apertos habeat oculos, hoc est, factos ad percipiendas imagines pulchri.

Illud non attinet monere, quantum prodesse perpetua naturae consuetudo, et naturae consuetudo felicissimae, iis de quibus ante dictum, scriptoribus, poetis, antificibus, debuerit. Et sane fuerunt illi observatores naturae acerrimi. Non commemorarem, nisi observasse mihi viderer, negligi nonnunquam eam laudis partem ab interpretibus veterum scriptorum.

Sed tamen quum primum illud usurpavi, *propiores naturae,* non hoc volebam, de quo nunc expositum est, sed aliud; *naturam* sensu accipiebam alio. Res haec est, Auditores. *Naturam* dico communem generi humano conformationem, primarium et nativum humanitatis vinculum, per quod sumus homines, quotquot
VIII sumus: cui addere cultum licet, eum addere, quo obscuretur vel tollatur nativum illud, non licet. Scilicet ex quo insita ab omnipotente Deo semina ac vires explicare genus humanum, eumque in finem colligere se in societates, populos, coepit, duobus modis peccatum esse et vero peccari, historia docet, docet recte instituta observatio. Multi, de populis loquor, in excolendis animi atque ingenii facultatibus infra illud, quod natura humana patitur, consistentes barbarorum nomen meruerunt. Quorum pessimi sunt ii, qui acceptis aliunde apparatu instrumentisque cultus callide abutuntur ad externam quandam cultus atque elegantiae speciem. Nam illos rudes sed saepe incorruptos terrae filios spes est illustratum iri aliquando inexspectato lumine: de his quid speres, qui cum rudi feritate coniungunt innitentem in men-

daet cultus specie arrogantiam? Contraria labes eorum erit,
qui in excolendis animi atque ingenii dotibus progredientes supra
id, quod natura humana patitur, eo pervenerint, ut eos communis
sortis humanae quasi pudeat, vel videatur pudere, utque eo prae-
clarius excultos sese esse opinentur, quo diligentius communis
humanitatis sensus speciemque exuerint. Non dicam populos esse,
in quibus cernatur haec labes: sed sunt multi multis in populis:
et est aliquid, nisi fallor, in moribus institutisque nostris ea labe
infectum. Id autem, quae mea sententia est, non fuit in popu-
lis, de quibus sermo est, duobus antiquis: vel, ut exempla non
defuerint in multis hominibus, multis saeculis opus fuit, ut ma-
lum multorum exemplum in consuetudinem moremque abiret
omnium. Largam materiam attigi; amplum disputationis et vero
dubitationis campum aperui. Sic non utar sententiis atque apo-
phthegmatis, quae multa ex antiquitate supersunt, naturalem sim-
plicitatem et animum a nulla re humana alienum testantia, du-
cum, tyrannorum quoque, qui quidem tunc appellabantur tyranni,
imperatorum, et omnino virorum in iis rerum publicarum locis,
qui a natura ac simplicitate animum abstrahunt facillime, versan-
tium. Erunt, qui his similia vel paria opponi posse, maxime ex
medio, quod dicitur, aevo dictitent; ac sane esse nonnihil medio
aevo cum antiquitate commune non nego. Erunt, qui affectatam
esse simplicitatem in uno vel illo dicto suspicentur. Verumta-
men in universum ea affectatio recentiori magis tempori propria
videtur. Antiqua exempla si quis colligere institueret, et copiam
eiusmodi admirabilem, et fere omnia uno quodam antiquitatis
charactere insignita inveniret. Offerunt se mihi innumera, et
praeclara, ut aegre me abstineam. Unum ponam. Eo ex tem- **IX**
pore, in quo iam non exspectes talia: corruptum enim fuit: sed,
ut dixi, diu perduravit illa antiquitatis indoles, et est hoc eius
viri, in quo multa cernuntur melioribus temporibus et incorruptis
digna. Diocletiani, at quanti imperatoris, sua olera praeferentis
imperio. Is enim, imperialibus fascibus sponte relictis in propriis
agris consenescens, haud procul a Salonis, quum ab Herculio
atque (ut fertur) Galerio ad recipiendum imperium rogaretur,
tamquam pestem aliquam detestans, in hunc modum respondit:
utinam Salonae possetis visere olera nostris manibus instituta,

profecto nunquam istud tentandum iudicaretis. Scio contraria his tradi ab aliis, qui caussam obloquendi aut aliam, aut suam imparem simplicitati tam antiquae tenuitatem habuerunt. At, inquis, simplicitas quae tandem potuit esse, vel ut quaedam fuerit simplicitas, quae potest eius simplicitatis laus esse in eo, qui, ut insolentem magnificentiae in habitu cupiditatem, atque alia plus quam civilia taceam, adorari se, appellarique uti Deum passus est? Vel quantum simplicitatis in Atheniensibus eo tempore, cuius testem habemus Aristophanem? In promptu sunt quae respondeas multa. Quorum unum indicabo, quod saepe mihi in mentem venit: non satis observatum illud, ni fallor, ab iis, qui nunc historiam antiquam scribunt. Persuasum mihi est, de multis antiquae historiae locis severius atque acerbius sentiri atque iudicari, quam debeat, aut quam nos certe sentire atque iudicare deceat. Persuasum est, in Aristophane, qui multi describuntur ac notantur perditi homines moresque, qui saepe describitur perditus rei publicae status, aut re vera non tam perditos fuisse: Comicus enim fuit Aristophanes: aut nobis certe non esse, cur in sinu gaudeamus, illos contemnamus aut miseremur, qui multa audiremus de nobismet ipsis similia, si nostrum haberemus Aristophanem. Deinde quod consentanea magnam partem cum Aristophane tradunt historici fide ab omni parte dignissimi, et quod eventus comprobavit illa: recordandum est, multos in historia recentiorum temporum ac populorum similes eventus tristesque rerum publicarum exitus cerni, caussis non aeque patentibus, quia historicorum saepe desunt fide digna testimonia, sed iisdem fere, ut coniicere licet, de caussis, vel quae, si altius penetres, etiam maiorem mirationem faciant, etiam vehementiorem miserationem commoveant.

Per partes si iubear progredi, et sub capita quaedam revocare, quae singula de naturali antiquitatis simplicitate animadverti possunt, primum hoc fuerit: liberior, at multo quam apud
X nos liberior, diversorum, quos nunc dicere solemus, ordinum, hoc est, hominum hac vel illa de caussa nobilium et non nobilium, divitum et pauperum, urbanorum et rusticorum, eruditorum et rudium, elegantiorum et sordidorum, communio et quasi aequalitas. Non dico qualem recentiori tempore libertatem aequa-

litatemque frustra coeperunt appetere. Sed est quaedam in bene natis pectoribus prorsus humana et prorsus nobilis bonorum fortuitorum oblivio, generis oblivio, divitiarum, elegantiae, etiam eruditionis: oblivio, et communis sortis humanae recordatio atque conscientia. Ea apud antiquos illos multa fuit et fere perpetua. Apud quos nunc populos rara sit, non dicam. Qui plurimam eius partem conservaverint, ego partim ab iis edoctus, qui norunt Italiam, partim nonnullorum memor, quos ipsi vidimus, Italos esse putaverim.

Rursus quod eiusdem ordinis homines attinet, quam vulgo *societatem* appellare κατ' ἐξοχήν consuevimus: nos nunc breviter homines elegantiores dicemus: etsi haec vetus querela est, *namque hoc tempore Obsequium amicos, veritas odium parit*, et quae exstant eandem in sententiam dicta apud antiquos scriptores alia: nescio tamen, an nunquam ita usitata, ita artis in formam redacta simulatio fuerit, quam nunc deprehenditur inter homines elegantiores, et maxime in conviviis eorum circulisque. Nam ars quaedam haec est, et suas leges habet. Quas ego me callere cunctas, simplicem hominem, non glorior. Nonnulla vix vidi oculis: fando tantum accepi. Ac fieri potest, multa ut nos lateant in oppido sane non ignobili, sed fortasse verae magis quam simulatae elegantiae cupido ac studioso. Sic audio summum esse, et tamquam fastigium artis, quum multa sese offerant colloquiorum argumenta, volitare per omnia, morari in nullo; stringere superficiem rerum omnium, ad fontes fundumque descendere nunquam. Vel ita, amabili modo illud dicere, quod re vera nihil sit. Sequitur grex mendaciorum, non immanium, non portentosorum, quamquam ne his quidem sua deest gratia, si apte suis inserantur locis: sed plerumque callidorum, venustorum: simulatio, dissimulatio, obsequium, adulatio. In quibus exercendis quum saepe non sine molestia versetur homo, dum suos veros sensus suasque cupiditates abscondere cogitur, ad manum est compensatio molestiae, exercenda, ad delectandum animum, sive in alios, sive in hos ipsos, quibus ante iucundissima quaeque decantaverit, obtrectatio. Quid horum in conviviis circulisque, non dicam Periclis, Scipionum, Ciceronis, sed illorum, qui multi excitati tantorum exemplorum aspectu et nutriti illorum temporum XI

cultu ac luce vixerunt, fuisse putabimus? Multum fortasse in his quoque. At in universum plus fuisse verae elegantiae, et maxime ex naturali simplicitate plus simplicitatis, veritatis, veraeque humanitatis coniicias.

Sed alio iam convertitur animus, aliam cogitationem suscipit. Non repente natam, sed quae inde ab initio huius orationis mihi ante oculos fuit, et indicatam ac praeparatam iis, quae paullo ante dicta sunt. Quum enim de illa amabili aequalitatis humanae imagine agebam, unum reliqui valde memorabile: virorum potentissimorum, regum, Caesarum, cum suis amicis et in re publica administranda adiutoribus consuetududinem iucundissimam, humanissimam. Eam quum multa praesto exempla sint, ut Alexandri Magni, Augusti, nos uno comprobabimus, monumento eius rei fortasse uno omnium, quibus pepercit tempus, gravissimo ac splendidissimo. Dico mutuas C. Plinii Secundi et Traiani Imperatoris epistolas. Propositurus eram specimina: sed difficilis delectus erat: tam sunt egregia omnia: sive Imperatoris cum Plinio familiaritatem suavissimam, honestissimam, nam familiaritates viris potentissimis multis multae cum multis fuerunt, etiam inhonestae, quippe conflatae ex adulatione et turpi in rebus inhonestis obsequio: sive spectes providam et semper paratam Patris Patriae curam, Sinopensibus prospicientis, quum aqua deficiuntur, plateae Amastrianorum non negligentis, dum universum orbem terrarum regit. Nunc hoc tantum licet, ut commendem has Epistolas omnibus, qui nondum legerint; qui autem legerint, iis ut commendem easdem iterum iterumque legendas.

Multum temporis praeteriit, Auditores, et multum mutata facies orbis terrarum est, ex quo mutuas sibi epistolas scripserunt Traianus Imperator et C. Plinius Caecilius Secundus. Et fortasse ita illa mutata est, atque ita in imperiis civitatibusque, quae nunc sunt, cumulata negotia, et implicatae ac multiplicatae administrationis rerum formae sunt, vix ut datum sit Regibus epistolas scribere eiusmodi. Si tamen posset fieri, et si unum dicere ex Regibus iuberer, qui similes illis epistolas scripturus esset, ego haud cunctanter *nostrum* dicerem. Ea est *Regis nostri* non fucata simplicitas et nunqnam satis laudanda vera humanitas. Quodsi adsunt, qui iam semel versatum hunc oratorem

in cognato argumento et similibus in laudibus esse meminerint, ii reputent, nonnullas esse tam eximias tamque raras virtutes, ut non possint satis praedicari, utque non una oratio, ab initiis non XII
unis, sed quam maxime diversis, progressa in finem exire eundem, et virtutis contemplationem eiusdem exire necessario debeat. Et hodie quidem nihil dicam amplius, nulla virtutis huius, quam indicavi in *Rege*, exempla colligam. Praeter unum, quod quum sit recentissimum, simul gravissimum est, cumque iis, quae supra monui de conservanda potentibus communis sortis humanae recordatione, coniunctum. Illud volo, quod nuper *Rex noster*, recolens, ut puto, quam Ipse olim sensisset tenerrimam affectionem animi, foedus adiuvit atque confecit illud, cui quae obstare viderentur multa erant. Quo simul declaravit sapientissime, non debere paci, quam Ipse unus conservasset, sua firmamenta atque ornamenta denegari.

Conservet Deus hunc tam humanum *Regem*, Patrem Patriae, Universitatis Rhenanae Conditorem atque Conservatorem munificentissimum. Conservet *Principem*, Regni Heredem, et totam *Domum Augustam;* et quaecumque patri a liberis, principi a populo grata accidere possunt, ea cuncta Deus ad exhilarandum *Regium* animum conferat, cumulet.

XXXV.*)

Eo nunc perventum est post Wolfii partim in universum enunciatam de compage Iliadis sententiam, partim olim factas per scholarum opportunitatem, sed sero prolatas ac publicatas observationes, et nonnullorum, qui scripserunt post Wolfium, opera, ut in rhapsodias inquiri, quibus olim Ilias constiterit, ab his nostris quatuor et viginti rhapsodiis aliquantum diversas liceat.

Proferam eam in rem mea quaedam observata ex scholis

*) IV. Non. Mart. a. 1838.

Homericis: observata illa primum ante multos annos, postea per intervalla temporis confirmata, aucta, expolita. Dabo autem in disputationem contracta brevissimam, sed quae sufficiat intelligentibus et in Homero bene versatis. Illud nemini offensioni erit, quod talia etiam in praelectionibus tractanda putem. Quis enim taceat quaestionem tot tantisque disputationibus celebratam, et de qua quo modo sentias, ab eo modo necessario non una in parte pendet interpretatio? Quis autem aliud quam quod ipsi persuasum est, doceat? Praeterea ea in quaestione, quam non ab uno confectum iri, neque uno tempore, credibile est, exspectamus aliquid ab auditoribus, an forte unus sit alterve, qui nutritis apud se scintillis, quas nonnunquam viva vox auditioque valentiores magisque fecundas quam lectio librorum relinquit, post te aliquando nova inveniat alia.

Aggredimur librum nunquam, quod sciam, in suspicionem vocatum eam, quae nunc explicabitur. Iliadis primum. In quo haec insunt, quae haud immerito dubitationem difficultatemque creaverunt Grammaticis, alio fortasse modo quam illis visum est, tollendam.

Primum, quod v. 194. seqq. adest, cohibitura Achillem, missa
IV *οὐρανόθεν* ab Iunone Minerva, et quod eadem v. 221. 2. *Οὔλυμπόνδε* redit, *δώματ' ἐς αἰγιόχοιο Διὸς μετὰ δαίμονας ἄλλους*, quum tamen eodem die Thetis declarans apud Achillem filium, cur duodecimum exspectari diem oporteat, antequam ascendere ipsa in Olympum, auxiliumque Iovis atque ultionem expetere possit, hoc dicat v. 423. 424.

Ζεὺς γὰρ ἐς Ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας
χθιζὸς ἔβη κατὰ δαῖτα, θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο.

Cf. 493. sq. Mira in poeta ante dictorum oblivio. Quid ibi Grammatici, legatur apud ipsos. Quorum unam explicationem, quae talis est, solos mares Iovem in Aethiopiam sequutos esse, feminas deas *καταλελεῖφθαι*, satis refutat similis de Iride locus XXIII. 205. sq. Sed hoc ex iis est, quae me omissurum esse brevitatis caussa, facile supplenda ab aliis, significavi. Una memorabilis videatur nova I. H. Vossii explicatio, qui supplendos esse cogitatione aliquot dies statuebat ad peragenda ea, quae indicantur v. 308. v. 313—317. missionem Ulyssis, lustrationem

exercitus, et factum in castris sacrificium. Memorabilis autem non quod felix sit, sed quod infelix haud dubie. Non quod multum tribuam isti dierum Iliadis computationi, de qua est apud Heynium ad Il. XVIII. 125. Exc. I. Verum hoc sentiet, quicumque accurate legerit primum librum Iliadis, quod et Grammatici senserunt, et sentit Strabo XIII. p. 613 (911. D. ed. Almel.), quae fiunt inde a versu 54. usque ad versum 476. omnia ita scripta esse, ut facta unius diei spatio videri debeant. Neque, ut unum commemorem, probabile est, per aliquot dies illud distulisse Agamemnonem, ut abstraheret ab Achille Briseidem.

Alterum, versus 27, v. 366—392. Longa Achillis ad matrem expositio de rebus ante actis, facta maximam partem et contracta ex versibus hemistichiisque iis, quibus ante ipse in describendis iis rebus usus poeta fuerat. Non usitatum Homero repetitionis genus. Nam illud statim, quod ex libro secundo admovent viri docti, verba Iovis repetita ab Ὀνείρῳ, et deinde ab Agamemnone, aliter comparatum est. Commemorantur οἱ ἀθετοῦντες τοὺς στίχους.

Tertium, versus quinque 488—492.

Αὐτὰρ ὁ μήνιε, νηυσὶ παρήμενος ὠκυπόροισιν,
Διογενὴς Πηλέος υἱός, πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς·
οὔτε ποτ' εἰς ἀγορὴν πωλέσκετο κυδιάνειραν,
οὔτε ποτ' εἰς πόλεμον· ἀλλὰ φθινύθεσκε φίλον κῆρ,
αὖθι μένων, ποθέεσκε δ' ἀϋτήν τε πτόλεμόν τε.

Ubi ad verba αὐτὰρ ὁ μήνιε hoc est in Schol. A. scriptum: ὅτι V Ζηνόδοτος ἠθέτηκεν ἕως τοῦ αὖθι μένων. τὸν δὲ οὔτε ποτ' ἐς πόλεμον οὐδὲ ἔγραφεν. Iudicium, nam iudicium esse puto, non factam auctoritate librorum ἀθέτησιν, praeclarum. Quid enim? Quod his versibus continetur spatium temporis, undecim dierum est, ut patet ex praecedentibus et sequentibus. Num igitur quotidie et singulis diebus concionati sunt ad Troiam Graeci? Et maxime, num quotidie proeliati? Immo, nulla fuit, quantum nos nunc scimus ex Homero, per hos undecim dies concio, proelium nullum. Dici hoc debuerat, si concio fuisset, et maxime, si proelium. Monitum id etiam contra Grammaticos Eustathiumque esto, qui ad v. 423. 424. 425. singularem poetae artem reperire sibi visi sunt in eo, quod spatium undecim dierum prae-

beat tum Graecis, tum Achilli ad poenitendum, tum maxime Troianis, ἵνα αἴσθωνται τῆς μήνιδος καὶ τολμήσωσι λοιπὸν εἰς τὴν 'μάχην. Et frustra verba in auxilium vocaveris Thetidis v. 421. 2. Thetis potuit, utrum proelium futurum esset, an non, ignorare; poeta nullum fuisse ignorare nequit.

Addiderim quartum, non usitatam Homero narrationis in partes divisionem et quasi implicationem, dum quas inde a v. 308. propositas habet narrationes primarias duas, profectionem Ulyssis, et raptum Briseidis, earum priorem versu 308. inchoatam relinquit v. 312. transiturus, post alia obiter v. 313—317. inserta, ad narrationem quam dixi posteriorem, de raptu. Et hoc quidem non inusitate, immo apte poeta Ulyssi aliquantum concessisse temporis ad navigandum dicetur. Sed rursus a v. 348. med. novam narrationem, rei prorsus novae initium, inserit, agentem cum Thetide Achillem: post quae sero venit ac fere inexspectata, nisi commotam exspectationem auditoris versibus 389. 390. dicas, inde a v. 430. med. narrationis de Ulysse continuatio atque conclusio. Tum rursus de Achille mentio breviter, versibus illis quinque.

Iam quid his fiet? Erunt qui defendent omnia, ut fuerunt qui defenderent, vel ferrent tacite, multi. Illud quidem primum sive iis argumentis, quibus grammatici usi sunt, sive aliis. Ut eo, in quo consistit Heynius Obss. ad v. 195. 196. Reliqua ita, ut dicant, si quid insit insolentiae, id tamen ferendum esse. Ac fateor esse haec quae enumeravimus ex libro primo impedimenta et dubitationis suspicionisque caussas non gravissima sui generis, sed alia esse aliis in libris graviora. Mirabuntur tamen iidem, si audiverint, quam facili opera, ne littera quidem mutata, alia
VI tantum partium coniunctione instituta iis in locis, in quibus fieri commissurae solent: id autem est aut in principio versus aut ante pedem quintum: ista quae dubitationem iniecerunt removeantur omnia, et nova prodeat Μήνιδος conformatio.

Bene omnia procedunt usque ad versum 348. In eo versu fiat coniunctio non illa, quae nunc in libris est:

ἡ δ' ἀέκουσ' ἅμα τοῖσι γυνὴ κίεν. Αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς δακρύσας, etc.

sed haec: ἡ δ' ἀέκουσ' ἅμα τοῖσι γυνὴ κίεν. Αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς

ἐς Χρύσην ἵκανεν,

v. 430. med. et seqq. usque ad conclusionem:

Αὐτὰρ ὁ μήνιε, νηυσὶ παρήμενος ὠκυπόροισιν,
Διογενὴς Πηλέος υἱός, πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς·
οὔτε ποτ' εἰς ἀγορὴν πωλέσκετο κυδιάνειραν,
οὔτε ποτ' ἐς πόλεμον· ἀλλὰ φθινύθεσκε φίλον κῆρ,
αὖθι μένων, ποθέεσκε δ' ἀϋτήν τε πτόλεμόν τε.

qui vulgo sunt versus libri primi 488—492.

Habemus carmen versuum 410, vel excluso versu 265. quem laudari tamen ab antiquis scriptoribus, non solum Dione, sed etiam Pausania X. 29. extr. alibi monui obiter, versuum 409. Et habemus veram *Μῆνιν*, quo nomine olim hoc sic conceptum carmen appellatum a rhapsodis auditoribusque, quin immo a poeta ipso fuisse credibile est: nam poetis quoque ad designanda carmina sua appellationibus quibusdam, iisque, ut nos credere par est, quam brevissimis opus erat. Dicam etiam germanice: das lied vom zorn. Scilicet de ira primum concepta, eiusque caussis. In quo carmine tum illud, quam apte sibi inter se respondeant partes, ut ante narratis de iniuria Chrysi facta respondet in extremo carmine per omnem ubertatem commoditatemque poesis epicae ad finem perducta legatio Ulyssis: tum maxime unum sentiri atque considerari velim, quod me multa cum laetitia intelligere memini, quum primum intellexi ante hos octo et decem annos, quam egregie ad conclusionem carminis facti sint versus, qui antea male nos habebant, hi:

Αὐτὰρ ὁ μήνιε, νηυσὶ παρήμενος ὠκυπόροισιν,
Διογενὴς Πηλέος υἱός, πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς.
οὔτε ποτ' εἰς ἀγορὴν —

et qui sequuntur duo. Iam enim non arctum undecim dierum VII
spatium, sed magnum quid complectuntur: complectuntur tempus, quod *Μῆνιν* excepit, usque ad depositam iram omne, praeparantque, vel considerandum et quasi intuendum proponunt; quicquid est proximo tempore sine Achille apud Troiam gestum. Quatenus quidem id notum huic poetae fuit.

Nam video etiam de poeta, qui fuerit, et quam antiquus, verbo monendum esse. Ad veterem de una Iliade opinionem qui accedere quam proxime voluerit, ita statuet, esse hanc *Μῆνιν*

re vera primum et antiquissimum carmen Iliadis. Quam ego sententiam ut evellam penitus, non satis argumentorum, quae quidem tum ex arte in universum tum maxime ex sermone petenda erunt, promptum paratumque habeo. Verum sentio tamen, isque in me praevalet sensus, alia esse in Iliade antiquiora carmina, quibus aliquanto recentior poeta de suo *Μῆνιν* addiderit, vel, ordinem rerum si spectes, qui obversabatur poetae, praefixerit. Deinde quaeritur de prooemio:

Μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος,
οὐλομένην, ἣ μυρί' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκεν,
πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν
ἡρώων, αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν
οἰωνοῖσί τε πᾶσι· Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή·
ἐξ οὗ δὴ τὰ πρῶτα etc.

quod ego ut postea additum esse ab alio putem, quae nonnullorum coniectura fuit, nondum a me impetrare potui. Obstat, ut unum afferam, Cypriorum exordium, cuius ea est in versu 7. similitudo, ut Stasino hoc nostrum Homericum tale, quale est, ante animum versari appareat. De *βουλῇ Διός* praeter hoc alia ad manum sunt, quae nunc omitto. Deinde etiamsi statuas, quod paullo ante feci, factam esse *Μῆνιν* post alia Iliadis carmina, nihil impediebat, si quid video, quo minus poeta tam grave tamque sollemne suo carmini exordium faceret. Sentiebat ille, quum Iram canere aggrederetur, rem se aggredi gravissimam, multarum rerum postea gestarum caussam. Illud non perspicio, quo iure omnes hoc dicere poetam credant, se tractaturum esse ista, quae versibus 2. 3. 4. 5. indicantur, omnia. *Μῆνιν* pollicetur: quod argumentum quam grave sit, aptissime monstrat ex effectu: *οὐλομένην, ἣ μυρί'* et quae seq. Tum versu 6. pergit ad suum sibi proprium argumentum se conversurus: *ἐξ οὗ δὴ τὰ πρῶτα* etc.

VIII Quae resecuimus, cum reliqua parte libri sponte in corpus aliud, unum, per se constans, coeunt. *Ultionem* dixeris; graece *Τιμήν*, ex v. 505. 508. 559. et aliis locis Homericis, vel *Τίμησιν.* Eius rhapsodiae sive carminis initium intercidit. Sed monstrabimus tale, quale facillime intercidere potuerit, et vero debuerit intercidere. Fortasse ex *Μήνιδος* conclusione poeta novi

carminis initium ceperat. Ita:

Αὐτὰρ ὁ μήνιε, νηυσὶ παρήμενος ὠκυπόροισιν,
Διογενὴς Πηλέος υἱός, πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς.
349. *δακρύσας δ' ἑτάρων ἄφαρ ἕζετο νόσφι λιασθείς,*

et quae sequuntur usque ad versum 430. Ibi commissura facta est:

τὴν ῥα βίῃ ἀέκοντος ἀπηύρων. Αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς
ἐς Χρύσην ἵκανεν, etc.

Qua rursus soluta, ut soluta est a nobis supra, quaeritur, quid fieri debeat his quae restant, *τὴν ῥα βίῃ ἀέκοντος ἀπηύρων*. Erit qui explendum esse versum aliquo modo coniiciat, vel etiam aliquot praeterea versus deletos esse. Mihi nunc inserta verba ista, *τὴν ῥα β. ἀ. ἀπηύρων*, ab eo videntur, qui commissuram fecit, atque omnia olim processisse hunc in modum:

428. *Ὣς ἄρα φωνήσασ' ἀπεβήσατο· τὸν δ' ἔλιπ' αὐτοῦ*
χωόμενον κατὰ θυμὸν ἐϋζώνοιο γυναικός.
493. *Ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἐκ τοῖο δυωδεκάτη γένετ' ἠώς,*

usque ad finem libri qui nunc est primi. Satis hoc per se perspicuum: *χωόμενον κατὰ θυμὸν ἐϋζώνοιο γυναικός.* non opus, ut inculcetur istud, *τὴν ῥα βίῃ ἀέκοντος ἀπηύρων.* cf. II. 689. 694.

Carmen 200 versuum, si non numeraveris qui exciderunt in principio, quiqui illi fuerint. Quod qui fecit, sive alius poeta, sive ipse antea *Μῆνιν* fecerat, quod ad nostram nunc rem nihil differt, sed ante oculos *Μῆνιν* habens, Ultionem attexturus, sapienter, si recte sentio, initium eius ab eo tempore capessit, in quo recens iniuria; itaque ab eo tempore, eoque, si ita placet, die, in quo versatur *Μῆνις*. Unde est, quod v. 391. *νέον* dicit Achilles, et quod ibid. v. 389. 390. non compertum habet de reditu Ulyssis. Praeterea sunt in his, quae exemplo esse possint: quum ad carmina prius edita nova additurі essent alia, normam sequendi vel non sequendi priora illa habuerint. Quamquam minime contendo unam semper eandemque normam fuisse. Credibile est, alibi unum certare cum altero etiam contradicendo voluisse. Qui Ultionem condidit, ab Ira tantum in eo recessit, quod IX
ipse, de quo paullo ante est a me monitum, non curat narratum in Ira reditum Ulyssis; deinde quod, si accurate ad suos dies referas omnia, dum ipse deorum ad Aethiopes secessionem fecit,

non curat de Iunone et Minerva in Ira tradita. At sequitur Iram, et vestigia eius legit, ubi narrandum ipsi pro suo consilio de Chryse est: addens de suo perbene, ut mihi videtur, illud v. 366—369.

Quod motam a Grammaticis Eustathioque ad v. 423. 4. 5. quaestionem attinet, quam nos quidem ita concipiemus: cur moram poeta Thetidi obiecerit duodecim dierum, quum eam posset statim in Olympum adducere ad Iovem: ad eam, si tamen quaestio est re vera, hoc respondemus simplicissimum, bene differri gravem eventum, quo res videatur gravior, utque vehementius excitetur exspectatio; caussam vero morae, Iovis deorumque apud Aethiopes commorationem, dignissimam poeta esse, cui hoc proprium, ut fere totus multo cum studio multaque cum venustate in antiqua mythologia, ut inter deos versetur atque in Olympo. Persequatur hoc quivis ipse, quod digito monstrasse satis habeo. Multa sunt in carminibus Homericis episodia, h. e. quae visa sunt episodia esse, ac debuerunt videri, debueruntque magnam saepe molestiam afferre, quam diu de una atque continua Iliade cogitatio animis infixa fuit omnium: at re vera non sunt episodia.

Addam de libro secundo, Ὀνείρῳ, pauca. Is, si hoc tantum agas, quod me nunc agere maxime professus sum initio, non multum difficultatis habet. Vix enim dubitare quisquam poterit, quin unum in se absolutum carmen sit a principio libri usque ad versum 483. Quo tamen non suscipio versuum, qui eo numero continentur, omnium patrocinium. Si de argumento quaeras, et tractatione argumenti, eius singularis est ratio, quum locorum quibus ira commemoratur Achillis, tantum sit, quantum probet notam eam iram poetae fuisse, atque agnovisse eam iram etiam ipsum; at non tantum, neque tam diserti, neque ea opportunitate, ut probent totam in ira exornanda et in exsequendo ultionis consilio occupatam mentem fuisse poetae. Sunt autem loci qui spectant ad iram Achillis, vel quos eo referri licet, hi: v. 3. et 4. 239. sqq. 346. sq. 377. sq. Contra praevalet aliud, alia in poeta intentio animi. Quae mihi tota contineri versu Agamemnonis illo:

ἀλλ' ἄγετ', αἴ κέν πως θωρήξομεν υἷας Ἀχαιῶν,

videtur. Igitur, quae mea sententia est, semel sibi poeta in

scena castrensi, ut breviter dicam, placuit. Semel in animum induxit, quam difficile fuerit Agamemnoni, ad proeliandum educere Graecos; quibus artibus, quibus partim blanditiis partim minis, qua partim astutia partim violentia, exercitus belli, non multum profuturi militi gregario, nullo tempore valde cupidus, nunc vero diuturnitate belli defatigatus et desiderio flagrans patriae, nullis severae disciplinae legibus assuetus, et ubi semel conflato consensu proruit, quod in v. 155. cernitur, ducibus fere superior, sed tamen, quae est vulgi mobilitas, etiam bonam in partem, sapientiae haud inexpugnabilis, quibus, inquam, artibus machinisque hic talis exercitus excitandus et compellendus quasi per gradus quosdam ad generosa consilia et imperatoris ad voluntatem fuerit, imagine proponere luculentissima. Est hanc in rem aptissima et fortasse perantiqua libri huius inscriptio,

Διάπειρα:

certe ea unum satis antiquum sponsorem Strabonem I. p. 17. (32. C.) habet. Singula praedicare supersedeo. Ut Thersitem, qui iam non amplius episodium erit, sed pars carminis magna: egregie ille constitutus in medio multitudinis, ne dicam necessarium fuisse hoc turpitudinis speculum, ex quo Graeci quid fugiendum esset, discerent accuratius.

Carmen perantiquum, ut mihi videtur. Et si licet exemplo ostendere, quousque extendi posse audaciam dubitandi putem, quaerat aliquis, an forte haec *Διάπειρα* carminibus sit, quae nunc praecedunt, Ira et Ultione, antiquior. At, inquit, hoc statim falsum est: versus enim insunt in oratione Thersitis, cum manifesta libri primi recordatione facti, 239—242. Quid vero, si versus illi non fuerint olim in oratione Thersitis? Sed fortasse alius singularem hanc artem poetae esse, et nescio quam nativam festivitatem, quod Thersites quasi ilocaliter iteret versum Achillis: *ἦ γὰρ ἄν, Ἀτρείδη, ν. ὕ. λ.*

Quae per decursum huius prooemii ante oculos nobis versata est, imago Friderici Augusti Wolfii, ea neque in Epilogo nos deseret. Restat enim, ut quod Cives Universitatis ii, ad

quos ea res pertinebat plurimum, et sciunt, et senserunt, ac sentire se professi sunt laudabili pietatis demonstratione, de eo
XI etiam publice dicatur coram omnibus. Dicendum est, quantam Universitas nuperrime iacturam fecerit. Nuperrime. Vix perceperamus aliud: sed tantum novissimus casus valuit, ut ereptum nobis paullo ante in terra longinqua collegam, Theod. Fr. Lud. Nees ab Esenbeck, virum suae artis peritissimum, amicis carissimum, non obliviscamur, sed iam longius longiusque remotum a nobis, subtractumque orationi nostrae videre nobis videamur. Abripuit mors haud inexspectata peritioribus, et qui naturam nossent morbi, at non exspectata hoc tempore ac die, neque ipsi neque aliis, ut omnem repentini funeris acerbitatem persentisceres,

Carolum Fridericum Heinrichium.

Praedicanda illa in eo, quod abripuit longo morbo fractum, quamquam fractum quidem recte dixeris: tam fortis natura fuit: non exhaustum, sed in quo agnosceres innatum vigorem animi; quod sine violentiori concussione ea, quam metuere a postremis diebus potueramus, tranquillum, praesagientem nonnunquam, ut videtur, quod instabat: nam de morte, et quid curari post mortem cuperet, dicebat aliquoties; sed obscure praesagientem: intermiscebat enim tam naturalem homini mortali de vere iamiam redituro, deque restituendo per amoenum tempus robore corporis cogitationem. Verum propter quod significavimus, recordationem, etiam in hoc tristi epimetro, futuram esse Wolfii, hoc est. Ut multa fuit in Heinrichio per otium non voluntarium de viris iis, quibuscum vixisset, cogitatio: ut memini quum de magnitudine Goethii, non poetae tantum, sed in universum de magnitudine viri, ea admiratione affectus atque commotus disputabat, qua nunquam commotum vidissem antea: ita postremis vitae diebus eundem in se suamque vitam rediisse accurata et tranquilla contemplatione, enumeravisse qui ipsi cari fuissent, discipulos maxime, sed etiam magistros olim suos, alios, scimus. Mirum vero ni inter hos Wolfius fuerit. At scimus fuisse, et semel dicemus hac opportunitate, quanti Wolfium fecerit Heinrichius; quam religiose familiaritatis, quae ipsi intercessisset cum Wolfio documenta omnia, quae quidem mutuam fuisse benevolentiam

testabantur, conservata inter chartas, reposita in memoria habue-
rit; denique quam gratum ipsi fuerit, quum Wolfio Universita-
tis Rhenanae nomine hoc ipso in loco, quo nunc haec scribimus,
parentatum breviter, fortasse non satis digno modo, at ex
animo et sincera cum admiratione videret. Inquirenti autem in
caussam mutuae illius benevolentiae primariam, caussa patebit XII
ea, unde utilissima Vobis, Cives Carissimi, admonitio hauriri
queat. Moniturum enim de Heinrichio Philologo una semper
cogitatio subiit haec, nihil inventum iri, quod Ipsi, si legere
haec posset, magis gratum; nulla posse comparatione melius
illud, quod proprium Heinrichio, exprimi, quam si compare-
tur cum Wolfio. Fuit autem ea similitudo in vetere severitate
disciplinae philologicae posita. Igitur huius severitatis, quam et
doctrina comprobavit et scriptis, Vobis, Cives, semper reveren-
dum Heinrichius exemplum esto.

XXXVI. *)

Ad Choerili fragmentorum collectionem unum in Dissertatione critica Annalibus Universitatis Borussicae Rhenanae 1821. inserta, e coniectura; alia partim e coniectura, sed certissima, Buttmanni, partim ex edito illo primum tempore Herodiano, in praefatione Indicis Scholarum Bonnensium hibern. a. 1827. addidimus.

Nunc novi edendi spicilegii singularis oblata caussa atque occasio est. Dum enim de Indice proxime edendo, scholarum hac, quae instat, hieme habendarum, cogitatio subit, adest, qui ante decem fere annos primum salutaverat Bonnam, nunc etiam aucta harum litterarum cupiditate flagrans, William Dunn, Anglus. Atque is, ut alia secum fert privatorum studiorum documenta, ita etiam in Choerilo, quem poetam singulari amore conceptaque

*) Mense Augusto CIϽIϽCCCXXXVIII.

ex reliquiis carminis paucis, sed praeclaris, admiratione prosequitur, curiose elaboravit. Unde, quum ipse quicquam horum a se editum iri desperet, proferam, quod unum ipse repperit, nondum editum inter Choerilea, conservatum a grammatico haud contemnendo fragmentum. Et Anglus quidem noster illud ex Servii editione ea, quam curavit H. Alb. Lion, enotaverat. Verum non est Lioni proprium, sed ante editum, inter additamenta ad Servium ea, quae Burmannus G littera insignita commentariis Servii subiecta in infima pagina habet: ad Georg. I. 482.

> *ubi sit Eridanus multi errant; ipsum esse Rhodanum putant propter multitudinem. Thesias* (*Ctesias* Lion) *hunc in Media esse,* Chaerilus *in Germania, in quo flumine Edion exstinctus est; Ion in Achaia. sed Virgilium credibile est Padum significare,* etc.

Sed haec vix scripseram, quum sensi non potuisse tam luculentum testimonium accuratam diligentiam praeterire I. H. Vossii in suis de Eridano disputationibus, et quum recordatus sum non praeteriisse. Vid. nobilis multorum praeconio disputatio, quae quomodo tum praeterire me potuerit, non intelligo: Alte Weltkunde, in Ephemerid. litt. Ien. 1804. p. XXXI. sq. Krit. Blätter nebst geograph. Abhh. II. p. 389. 392. Igitur apud Vossium
II etiam illud *propter multitudinem* emendatum eum in modum prostat, quo et ego, quum primum haec legi non memor Vossii, emendavi, et facile emendaverit alius: *propter similitudinem nominis*, vel etiam eodem sensu *propter similitudinem* simpliciter. Deinde Choerilum quod attinet, hoc omnino recte statuit Vossius, quod etiam nuper Anglus intellexerat, in corrupto vocabulo *Edion* mentionem latere Phaëthontis. Quod coniicit Vossius, ipsam, ut puto, Coerileam vocem restiturus, corruptum hoc, *Edion*, e nomine graeco *Ἠελίων* esse, id ingeniose excogitatum est, sed tamen dubium. Quid enim si *Edion* nihil aliud sit quam *Feton?* Usitata haec multis librariis orthographia fuit, *Feton* pro *Phaëthon*; et valde corruptas ad nos pervenisse, etiam in nominibus propriis, has glossas, intelliget qui perlegere instituerit. Neque *Germaniae* nomen ego, quod agit Vossius, ex ipso explicandum Choerilo putaverim: ea, nisi fallor, ex interpretatione interpretantis Choerilum geographi est. Choerilus ipse hoc magis

ambigue dixerat. Si quis autem ex me quaerat, qua poeta opportunitate Phaëthontis casum commemoraverit, ego id, ut aliquid respondeam, fortasse exempli caussa factum esse dicam, comparationem alicubi Xerxis cum Phaëthonte institutam fuisse.

In universum confirmatum video, quod tum conieceram, mature coepisse delitescere opus Choerili; et quod praedixeram, non multa nova inventum iri fragmenta eius. Nisi quae lateant sine nomine. Quae neque ipsa multa esse numero suspicor. Conservatum a Plutarcho Sympos. IX. 15. distichon.: *Τῆς δὲ πατὴρ καὶ ἀνὴρ καὶ παῖς βασιλεῖς, καὶ ἀδελφοί, καὶ πρόγονοι· κλήζει δ' Ἑλλὰς Ὀλυμπιάδα*, quo iure Vossius ad Virg. Georg. IV. 336. p. 845. sq. Choerili esse, eius quidem, ut puto, quem Iasensem diximus, coniiciat, non assequor. Hoc video, iniuriam facere antiquiori Choerilo, Samio, eundem ad Georg. III. 10. p. 521. Novum testimonium habeo, at re vera non novum: pendet enim ab Aristotelis Topicor. lib. VIII. iudicio: Eustathii in Iliad. II. 87. p. 176, 34.

— *κακία γὰρ παραβολῆς τὸ ἄγνωστον καὶ ἀσύνηθες. εἰς ὃ αἱ τοῦ Χοιρίλου κακίζονται παραβολαί. διότι οὐδὲ διδασκαλικὴ ἡ τοιαύτη ἐστὶ παραβολή.*

Vos valete, cari Iuvenes, et iusto tempore ad hos apertos vobis accuratae doctrinae fontes concurrite alacriter.

XXXVII.

O R A T I O

NATALIBUS

FRIDERICI GUILELMI III.

REGIS AUGUSTISSIMI

CELEBRANDIS

DIE III. AUGUSTI CIƆIƆCCCXXI.

HABITA

IN

ACADEMIA BORUSSICA RHENANA.

Deliberanti mihi et mecum reputanti, quid in splendidissimo consessu ego, hodiernae hilaritatis publice constitutus interpres, dicerem, quod et sollemnitate huius diei non indignum esset et ab eorum, quibus dicturus essem, rationibus non alienum, prorsus mirum atque inexspectatum accidit. Quidni enim mirum hoc dicatur, si animo ad laetitiam arrecto et ad exsultandum parato repente contraria omnia, pro iocosis seria, pro laetis severa, immo subtristia, pro exsultatione quasi dolor quidam et moestitia sese offerant? Ita tamen fertur comparatus esse humanus animus, ut diversissimos simul sensus eosque exiguo fine discretos in se gerat, in quorum unis dum totus occupatus esse et versari quum sibi tum aliis homo videtur, saepe usu venit, ut praeter omnem exspectationem, neque paullatim, sed subito, in alios et in contrarios quidem incidat. Sic mihi quid acciderit, celare neque possum, quum hoc initium et stamen huius orationis meae fuerit, neque verendum est, ne parum huic diei idonea dicam, qui in illa ipsa moestitia mea mox laetandi caussas et argumentum, ut mihi videtur, orationis tam aptum quam laetum invenerim. Equidem mihi in summa materiae abundantia dubitanti, unde materiam dicendi sumerem, unde novos flores Regis Augustissimi capiti peterem, quum nihil prius neque opta-

tius obvenisset, quam ut ab hac nostra Academia, quae Illo et conditore munificentissimo et tutore gloriatur clementissimo, materiam repeterem, ipsa Academiae nostrae contemplatio moestitiae mihi fons fuit, non eius, qua perturbari solet, qui rem suam afflictam videt vel calamitatem prope imminentem timet, qualis moestitia a nobis quam longissime abest, sed illius, quae interdum ei, qui florentissima conditione gaudet, propter id ipsum accidit, quod in florentissimis rebus diffidere solemus, an semper tam florentes futurae sint. Veniebat in mentem infirmitatis et mobilitatis humanarum rerum cogitatio; quam prope seque- IV
batur saeculorum ante actorum cum obscuro quodam desiderio, quod illam comitari solet, recordatio. Ac de infirmitate quidem rerum humanarum dicere longum est, neque exemplis opus est in re, cuius et innumera exempla sunt et exemplum prostat tam recens, tam immane, tam perspicuum, quale omnes propositum habemus nuper a Libycis ad nos oris allato nuncio. Consistendum est in iis exemplis, quae his terris, in quibus condita est Academia nostra, propria sunt et ita comparata, ut illo, quod diximus, desiderio digna habeantur. Cuius generis exempla tam multa numero et tam praeclara praebet harum terrarum historia, ut si prae rebus ante actis has res nostras academicas parvas aliquis dixerit, vel prae illarum rerum desiderio nostrae conditionis felicitatem atque commoda paulisper oblitus fuerit, vix periculum sit, ne is de nostris rebus iusto modestius aut supra modum fastidiose sentire videatur.

Paucis ab urbe nostra itineribus distat harum olim terrarum caput, potentissimi olim et invictissimi imperii apud has gentes sedes splendidissima, in ripis fluminis unius omnium amoenissimi sita, Augusta Trevirorum, quae altera Roma ut fuit, ita nunc est propter artis antiquae Romanaeque gloriae monumenta, quae qui praeter illam urbem cis Alpes nusquam tam egregia et tam varia coniuncta inveniri contenderit, haud contendet nimium. Illic palatia turresque inter et balnea magnitudinem Romanorum meditari et quantum interierit, metiri ad eorum, quae aetatem tulerunt, splendorem atque ambitum, nescio suaviusne an tristius sit. Nobilem habet antiquae Romae descriptionem Propertius, quam nihil impedit quominus nos ad illam nostram Romam ad-

hibeamus, ita tamen, ut quemadmodum ille antiquissimorum temporum simplicitatem atque obscuritatem cum ea, quae florentissimis temporibus erat, Romae amplitudine magnificentiaque comparat, sic nos antiquam olim Augustae nostrae amplitudinem cum tenuitate et obscuritate posteriorum saeculorum comparemus, quae quidem obscuritas tanta, ut vel memoriam antiqui splendoris delevisset, nisi oblivionem tot et tam praeclara monumenta sua sponte superavissent et incumbentem terrae pulverisque molem excussissent. Ubi olim in spatiosa arena magnifica Romanis Treviris exhibebantur spectacula, ibi collis et herba erat, antequam nuper admodum resuscitatae et in dias aetheris auras re-
V vocatae sunt superbae amphitheatri ruinae. Et quam multa vel nunc subterranea delitescere ac lucem quaerere putabimus, ubi hodie concubuere boves? Neque opus est longinquo petere Italiam itinere, quo illud conspicias, quod tam luculenter Germaniae vates descripsit: lapides, antiquae pietatis testes, columnas, epistylia, templorum quondam et palatiorum ornamenta, nunc disiecta, aetate detrita, et pauperum in domiciliis ad vilitatem usus domestici depressa. Age, sta, viator: percontare lapides, excita, an forte quas dispersas vides ante pedes reliquias, antiquam formam suam induere, an coire velint in pristinas compages et pristinae integritatis ac maiestatis imaginem ante oculos tuos referre.

Haec olim fuere. Novus saeculorum nascebatur ordo. Quem ordinem qui primus stabilivit et post tot innumerarum gentium, quae Romanorum hereditatem ense diviserunt, migrationes, pugnas, vicissitudines, eversiones, qualem unam fertilibus armorum vetustorum et ossium campis vicinum admodum nobis Tolbiacum testatur, habenas imperii ab una ad alteram manu transmissas valida dextra arripuit ac tenuit, eamque Europae formam, quae partim etiamnum durat, partim recentissimorum demum temporum motibus et mutationibus, non minus, quam illae fuerant, violentis et imperiosis, cessit, ingeniosissime praescripsit, munivit prudentissime, Carolus Magnus: cuinam urbi maiore iure vindicabitur, quam ei, quae tot illum monumentis suum ostendit, quae sellam iactat imperialem, unde iussa ille et edicta, dira interdum sane ac crudelia, sed sine quibus id fortasse, quod tum

fieri in fatis erat, perfici non potest, in populos emittebat?
Cunabula quaeris tanti viri? Haec quoque nostra sunt. Mosa
fluvius in confiniis nostris cunabula habet Carolidarum stirpis,
parvo Heristallo et paupere terra missae in imperium magnum.
Praeterea ut ne fabulis quidem sua monumenta et quae fidem
auctoritatemque concilient, desint, in eadem regione arx, quae
ab Haymonis filiis nomen habet, testimonio est, non prorsus
fictam esse narrationem ab elegantissimis poetis decantatam et
in ora populi traditam. Hinc nova orbis Europaei facies; nova
templa; novum hominum genus, cuius magnitudinem ac fortitu-
dinem animi admiramur omnes, alacritatem ad praeclara omnia
suscipienda ardentissimam et in perficiendis constantiam pertina-
cissimam non raro desideramus nos, etiam corporis vi vitali de- VI
minutum, ut aiunt, posterorum genus. Atque has quidem virtu-
tes, quod vel unum per se exemplum sufficeret, testatur templum,
quo Colonia superbit, in quo audaciamne animi magis, quae
opus plus quam humanum concipere potuit, an perseverantiam
artis inventricis non fatigandam stupeamus, nescimus; de neces-
sitate, qua factum est, ut tam immensum opus ne dimidia qui-
dem ex parte absolutum fuerit, dira illa atque inexorabili: nam
in conditoris ingenio profecto non fuit caussa: querimur; in-
ventum iri, qui nostris temporibus perficiat, non sine pudore
desperamus. Testantur innumerae montium nostrorum cacumi-
nibus impositae arces, nunc ruinae, in quibus olim purioris aeris
afflatu et naturae terrarumque, quas ex alto despiciebant, immen-
sarum conspectu heroum antiquissima Graeciae tempora quodam-
modo referentium nutriebantur pectora: rudia quidem pectora et
ferociora, sed fortia, sed invicta, sed utraque fortuna maiora,
sed arrecta ad omnem facinorum praeclarissimorum audaciam.
Quod heroum genus ne quis nimis periculosum fuisse existimet
et virium suarum abusu vicinis perniciosum: teneat, ne hos qui-
dem inermes fuisse, et monticolarum illorum superbiae atque
arrogantiae, si quando modum excedere vellet, ut excessit mo-
dum non raro, opposita fuisse urbium huius terrae, quae etiam-
num mirari solemus, moenia, vallis fossisque munita et turri-
bus; oppositos fuisse harum urbium cives, fortitudine animi non
minus, quam illi fuerunt, excellentes, civici regiminis legibus ac

turibus superbos et tutos, ad tuendam rei publicae libertatem cum suspicione vigiles, tam ad vitae hilaritatem et iocum, quam ad seria aptos, et qui omni tempore, ad iniuriam propellendam, pacis artes et industriam, qua illi quam maxime insignes, cum bellico strepitu, artium insignia et instrumenta, quibus mirifica illa opera debemus, cum gladio et Mavortia bipenni permutare parati essent.

Multarum rerum gestarum memoriam premit oblivio. Quot virorum, laude factisque illustrium, quorum nunc ne nomen quidem exstat, scuta et fortia corpora correpta sub undis hunc nostrum fluvium volvere putabis? quam miranda fari posse Rhenum patrem, si vellet: a quo ne hoc quidem discimus, quod ille fortasse solus docere possit, quae Bonnae nostrae origo, quae
VII prima facies, quae prima moenia fuerint. Quamquam nec Rhenus vicissitudinum expers fuit, quem non eodem semper cursu ivisse, non easdem olim, quas nunc, ripas alluisse ferunt.

Monstrasse satis erat et adumbravisse hoc, quod alii fervidiore ingenio et feliciore dictionis flumine persequuti sunt, quam largam antiquitas admirationis materiam, quam multas desiderii et tristitiae caussas in se habeat. Enimvero haec uberius tractare nostrum non est, quibus non illud nunc consilii est, ut augeamus et acuamus, sed hoc, ut minuamus desiderium istud et nostris suum tribuamus honorem temporibus. Atque in universum quidem nihil neque insoliti neque inhumani habet hoc pristinorum temporum et rerum ante actarum desiderium. Neque, quod aliquis coniiciat, in sanguinis tarditate et in coeli inclementia, quibus rebus nos, qui Hyperborei sumus, ab aliis populis distinguimur, vel in severiore rerum divinarum disciplina, quae apud nos viget, caussa esse videtur huius, quae sua contemnit et remota appetit, tristitiae. Ipse ille Homerus, qui in beatissimis oris degebat et quem nulla divinarum rerum cura sollicitum anxiumve fuisse credibile est: Homerus ille non solum ipse pristini aevi virtutem, quae Pelidarum et Hectorum tempore fuerit, cum desiderio laudat, sed rursus Nestorem suum trisaeclisenem fingit iuventutis suae tempora et heroum, qui tum fuissent, desiderantem praestantiam. Et aureae cuiusdam aetatis imago, quam tantum non omnis populus suam habet, certatim a diversis apud

diversos poetis celebratam et omnibus innocentiae, securitatis,
virtutis, felicitatis illecebris atque notis distinctam, quid sibi vult?
quid tandem probat? Fuisse multos ac fuisse omni tempore
atque loco, qui prae antiquarum rerum, quae vel fuisset, vel
quam sibi finxissent, felicitate ac laude taedio res praesentes
habuerint. Constat non deesse, qui fabulas istas ad historiae
fidem adducere et veritatem in illis, obscuratam quidem poeta-
rum petulantia, sed tamen veritatem invenire sibi videantur: fuisse
aliquo tempore, sed eo longe remotissimo et quod fabulae vix
antiquissimorum populorum attingant, perfectiorem et supra, quam
nunc cogitari possit, divinam hominum naturam, beatiorem sor-
tem, cuius, post communem generis humani depravationem, um-
bra quasi quaedam et obscura memoria cum desiderio coniuncta
singulis populis insita remanserit et variarum de aurea aetate VIII
fabellarum origo atque occasio fuerit. Recte illi fortasse, si
comprobari posset, semel tantum apud singulos populos de aurea
quadam olim aetate cecinisse poetas, somniavisse populum. At
hoc ipsum multum abest ut verum sit. Nulli enim populo ac
nullo tempore defuerunt poetae vel historiae poeticae scriptores,
qui celebrarent laudibusque extollerent atque auream dicerent
non solum illam aetatem, omnium remotissimam, quam ante alias
appellare auream solemus, sed nunc hanc, nunc aliam quamdam,
cuius propius abesset recordatio; nullo tempore neque loco de-
fuerunt auditores vel lectores, qui dulci se decipi sono et desi-
derium tam celebratae aetatis instillari sibi paterentur. Quibus
supra virtutibus medium, quod vocari solet, aevum excellere fassi
sumus, eae ita multis et poetis et historiae scriptoribus sese ap-
probaverunt, ut aureum illud non obscure appellarent; fuitque
haec loquendi consuetudo diu pervulgata et est etiamnum apud
multos tum in Germania nostra, tum extra Germaniam. Sic in
Gallia quosdam vel nunc esse aiunt, quos mirifice oblectet sae-
culi, quod a Ludovico XIV. nomen habet, memoria: quod minus
miraremur, si litterarum tantum gallicarum, qui fuit sub rege illo,
florem, non item, ut facere dicuntur, reliqua desiderarent et
auro contra cara haberent. Quamquam neque hoc miramur.
Rursus apud nos sunt fortasse, certe fuerunt, quibus quae pro-
xime post bellum illud septenne et litteras in Germania et omnino

animos civitatesque occupaverat tranquillitas et mansuetudo, valde optabilis et vero aurea visa est prae recentiorum temporum mobili concitatione et varia perturbatione. Quid vero? exemplis non opus est. Verum fatebimur. Aurea, quam antiquissimi poetae et vetustissimae fabulae praedicant, aetas non magis umquam fuit, quam reliquae, quas enumeravimus, aureae fuerunt: neque quod maiorem illa antiquitatem habet, aliquid efficit, ut maiorem etiam auctoritatem et fidem habeat: quum enim aetatis illius praestantia maximam partem in fictione posita sit, non intelligitur, cur recentioribus hominibus minus, quam priscis illis poetis et fabularum conditoribus, liberum fuerit, poeticae vacare licentiae et aurea fingere, quae non fuissent. Ut semel dicamus, quid rei sit, tot fuerunt aureae aetates, quot hominum cupiditates et studia.

IX Ex quo hominum familiae in maiores coire coetus et instituere civitates coeperunt: nam rudem illam et imperfectissimam vitae humanae formam, quae est hominum, brutis similium, praeter quotidianum victum nihil quaerentium, non curamus: igitur ex quo civitates condi coeptae sunt, quae est humanarum institutionum sors atque conditio, nullo umquam tempore ea civitatis forma, eae leges et consuetudines exstiterunt, quae omnibus numeris absolutae essent et omnium desideria ac vota explerent, omnium cupiditatibus satisfacerent. Sunt sane omni tempore et in omni civitate, quibus vel tam bene est, vel tanta omnium rerum incuria aut tam modicae cupiditates innatae sunt, ut praeter hoc, quod habent, nihil neque ipsi desiderent, neque desideratum esse umquam aliquid a quopiam, vel desideratum iri censeant. Itaque hi vivi videntesque aetatem degunt auream. Verumtamen horum, qui profecto omnium felicissimi sunt, quamquam nescias, an felicitatem illis suam, quae maximam partem inscitia et sui amore nititur, invideas, perexiguus est numerus, si opponantur eorum multitudini ac nubi, qui vel quod ipsi, quam male se habeant, sentiunt, vel integro et sincero humani generis amore et cupiditate meliorum temporum ingenua, quum multa quotidie mala et imperfecta animadvertant, aut modice queruntur de temporis sui vitiis, aut his, quibus vivunt, temporibus nihil, quod bonum sit, vident et taedio fastidioque res

praesentes esse clamant. Iam vero, ut solemus rei alicuius vitiositatem metiri ad eiusdem rei, quae cogitari possit praestantiam, quem modulum vel ab eo, quod alicubi viderit, repetere, vel coniiciendo fingere homo solet, ita eorum, quos diximus, hominum duplex videmus genus esse. Unum eorum, qui futuro tempori inhiant cupidissime, quod eam secum, quam coniiciendo assequuti sunt, felicitatem allaturum esse confidenter credunt: fortunati mehercule homines, et inexhausta patientia admirabiles, nullo casu superabiles, qui ex quavis sibi scintilla flammam, ex quavis hirundine aureum illud ver suum, perpetuo duraturum, augurantur; in quibus, si quando spei alicui male respondisse exitum reppererint, malus exitus non ex recordatione diffidentiam, sed ex oblivione novam sperandi audaciam gignit. Ab his videat aliquis quantum differat et quam diversa via incedat alterum genus. Non dixeris ex eodem luto factos esse. Hi quam ad manum non habent felicitatem et oblectationem, retro conversis oculis, in praeterito tempore quaerunt. Atque horum hominum paullo accuratius examinanda est natura et sentiendi ratio. Videtis enim, Auditores, hos illos esse, quibuscum nobis res est. Quod primum est, num inhumane faciunt? num contra insitas animo humano sentiendi leges? Immo quam maxime humane faciunt. Senem hoc habere, ut sit laudator temporis acti se puero, nota res est. Neque senex solum. Adolescenti prae iis crepundiis, quibus se delectatum puerum esse obscura memoria recordatur, vilia videntur nunc puerorum crepundia; viles et parum suaves puerorum ludi prae iis, quos ipse luserit puer. Virum quum subit imago adolescentiae suae eorumque quibuscum iuventutem peregerit, ante oculos veniunt adolescentes his, quibus se circumdatum virum videt, quasi adultiores; studia excellentiora horum, quos nunc videt, adolescentium studiis; ipsa gaudia laetiora atque elegantiora horum gaudiis. Cuius rei quum non una caussa sit, una tamen et fortasse praecipua, et latissime patens, haec est, quod miram apud hominis animum gratiam habent, quaecumque remotiora sunt et tempore magis magisque distant ab hac, quam vivimus, die. Apparet, Auditores, quo tendat oratio mea. Nimirum quod in vita singulorum hominum adolescenti, viro, seni accidere vidimus, id ipsum non dif-

fert ab eo, quod illi hominum generi accidere monitum est, qui suae civitatis, suae aetatis morum, suorum hominum fastidiosi ab alio saeculo praeterito solatium atque oblectationem petunt; eademque est et huius rei et illius caussa. Quodsi altius in hanc caussam alicui inquirere placuerit et videre, cur tantum tempora praeterita gratiae habeant, haud procul abest quod respondeatur. Nam quod oculi nostri quotidie patiuntur, ut foeda e longinquo minus, quam sunt, foeda, pulcra videant pulcriora: eadem aurium ratio est. Inventrix quaedam est in animo hominis vis atque fingendi potestas, pulcritudinis magis quam foeditatis cupida: ea, ubicumque non obstant nimis diserta sensuum testimonia, explicare sese et ludum suum ludere, pulcra captare, amplecti, augere, foeda vel praeterire et fugere, vel adeo corrigere tacite, fucoque inducto emendare solet. Itaque aureum illud aevum antiquissimis populorum fabulis celebratum videmus, non quod
XI fuit aureum, sed quod iam tum credibile erat populis, aetatem quondam fuisse ea, qua vivebant, laetiorem; neque Ottonum vel Fridericorum aevum, vel aliud quodvis umquam fuit aureum re vera, sed pro aureo habitum est ab hominibus fastidio quodam suorum temporum agitatis. Iam si quis interroget, laudandine sint hi temporum ante actorum laudatores, an vituperandi, dicemus nec laudandos esse nec vituperandos, qui quidem modum servaverint. Exactam aliquam aetatem laudare et commendare, licet; desiderare suaeque anteponere, ut poetis permissum, ita, si serio agatur, inutile; reducere velle, et inutile et impium est. Illud quidem, quod laudes commendationemque attinet, quis est tam durus, tam ab omni antiquitatis amore atque reverentia abhorrens, quin hisce in terris saepius amatorem pristinorum saeculorum ac laudatorem se fieri sentiat? At vero ulterius pergere et tristitiae, quam ex tot monumentorum, antiqui splendoris reliquiarum, conspectu conceperis, indulgere ita, ut splendorem istum praesentibus rebus redimere velis, id inutilitate eorum conatum, quos caecam confidentiam ponere in Pandorae dolio diximus, aequat, absurditate etiam excedit: quippe illi, quod sperant, etsi non credibile est futurum esse umquam, ex parte tamen optatis suis satisfactum iri sperare possunt; hi perpetuo aeriam Ixionis sponsam ambiunt puerili libidine. Inde vero etiam

hoc patet, quod de impietate diximus. Nam reducere velle praeterita propterea quod res praesentes non satis tibi placeant, id vero hominis est cupiditate ita occaecati, ut aeternas rerum humanarum leges impugnet.

Ab his erroribus multo quam nos solemus diligentius sibi caverunt Veteres. Qui quamvis ipsi eius fabulae, quae est de aurea aetate, inventores fuerunt et non raro in afflictis rebus vel minus laetis virtutes antiquorum temporum felicitatemque collaudant, tamen, qua erant ad vivendum alacritate et in re gerenda impigritate, raro hoc sibi accidere passi sunt, ut languido illi pristinarum rerum desiderio et fallaci antiquitatis illecebrarum contemplationi se dederent, vel qua altera parte peccatur, de nova futurarum rerum excellentia somniando, de praesentium rerum honore detraherent. Ac profecto quum cogito, quamnam praescribendam esse regulam, quamnam viam mediam esse dicam, qua ab utroque errore incedamus tuti, nihil in mentem venit, quod simplicius ac sapientius sit simplissimo illo veterum XII
multorum de his rebus praecepto. Enimvero illi nunc disertius praecipiunt, nunc exemplo suo moribusque et vivendi consuetudine praeceptum confirmant: fluminis ritu, nunc placidi, nunc saevientis, fluere tempora: non curandum esse id quod retro; haec seposita esse ac seponenda: eum laetum potentemque sui, ut ait ille, degere, cui liceat in diem dixisse: vixi; futurum temporis exitum caliginosa premere nocte Deum. At haec levitas est, inquiunt, gravissime reprehendenda; at sententia homine christiano indigna. His respondebimus, esse quidem inter illos, qui haec vel similia dixerint, non paucos, qui ita dixerint, ut caeco omnia impetu et vago sive fati sive fortunae ludibrio regi significarent, sed alios quam plurimos, quum ista dicerent, impenetrabilem mortalibus divinorum consiliorum obscuritatem describere et humanam ignorantiam et caecitatem profiteri voluisse. Atque talem quis non laudet, quis non suam faciat sententiam? quis hanc veterum modestiam veramque pietatem non anteponat multorum nunc hominum arrogantiae, immo impietati, qui dum quam maxime pios cultoresque numinis religiosissimos se esse volunt, in rebus praeteritis hoc sic, uti factum est, facere debuisse Deum, edicunt, futura quomodo administranda sint a Deo,

praescribunt et suarum opinionum atque cupiditatum servam faciunt providentiam divinam. Hos aliquis videat historiam tractantes vel potius facientes. Normam se invenisse rati divinorum consiliorum pusilli homines per virorum illustrium et per gentium capita gradiuntur haud secus ac Deus ipse, diiudicant, et qui bene vel male factorum cum prospero vel infausto eventu, qui variarum vicissitudinum nexus, quae caussae non solum fuerint, sed esse debuerint ac venturo tempore futurae sint, definiunt, tamquam nuper egressi e consilio Dei. Nae illi de sapientia sua perquam magnifice, de prudentia Dei parum honorifice sentiunt. Equidem quaedam sunt in natura, sunt alia in rerum gestarum historia clariora et planiora et manifestiore suarum inter se partium, caussarum effectuumque, nexu cohaerentia, quam ut oculum vel hebetissimum videantur fugere posse. Sunt quaedam: sed rursus alia sunt tam obscura: facta sunt et quotidie fiunt tam vehementer omnem exspectationem frustrantia, omnem
XIII sapientiae humanae modum excedentia, ut cautius facturus sit, quicumque totum hoc studium divinandi et examinandi rationes divinas seposuerit et ne illis quidem sine omni dubitatione confidat observationibus, quas luce meridiana clariores esse autumant. Istos vero homines, qui in excogitandis et demonstrandis rerum gestarum caussis divinis sibi placent, in quo statim reos deprehendimus erroris, hoc est, quod ipsis neutiquam inter se convenit, neque de eo, quod Deus voluerit, neque de viis divinae providentiae atque machinis. Praeclara et futilia, quid ius et fas sit, quid nefas, quin etiam quid faustum sit et quid infaustum, non omnes homines eodem modo distinguunt. Hinc mira profecto et numquam concilianda iudicii illorum discrepantia, dum quae alii, ut exemplis utamur, singulari numinis munificentia, ad beandum et recreandum genus humanum, orbi terrarum donata esse praedicant, eadem alii a Deo irato, peccata et perversitatem hominum castigaturo, tamquam flagellum, immissa esse dictitant; dum, quod ad res futuras attinet, eamdem rem unus ita optabilem et necessariam, ut per Dei sapientiam non possit non contingere, alter ita dicit metuendam et detestabilem esse, ut vix umquam eam divina providentia admissura sit. Quodsi certum est, ut est certum, horum non nisi alteros id

videre, quod verum et rectum est, alteros, prava cupiditate abreptos, iniustae caussae suae patronum et propugnatorem per iniuriam adsciscere Deum; hoc autem, utri sic peccent, numquam unanimi consensu declaratum et definitum iri in tanto hominum dissensu: fatebimur, prudentius omnino ac religiosius esse, in eiusmodi caussis prorsus non uti, quam abuti Dei nomine.

Quod superest, si quis obiecerit, hoc certe negligenter et supino animo dictum esse, quod veteres diei vivendum esse dixerint, ea quoque tum tantum iusta criminatio foret, si hoc praecepissent illi, unumquemque diem voluptati dandum esse, omni seriorum posthabita cura. Verum hoc, paucis quibusdam exceptis, neque illi voluere, qui diei vivendum esse monuerunt, neque sic fecisse videmus veteres, quos in rebus quemque suis gerendis non minus, quam par est, intentos fuisse scimus. Immo eo, quem quisque fortitus sit, cursu in dies pergere, in eo, quod quisque propositum et mandatum sibi habeat, pro virili parte XIV
elaborare quotidie, sed elaborare non trepide et sine anxietate, laetis fruentem, tristia aequo animo ferentem, neque praeteritorum cura, quae nemo infecta reddet, abstractum ab opere, neque futurarum rerum, quarum apud Deum cura et potestas est, aut metu aut cupiditate impeditum: hoc est diei vivere. Atque hic talis, quisquis ille sit, dum diei vivit, vivit et sibi, vivit civitati et humano generi, vivit Deo.

Hac caussa perorata quae de nostris rebus additurus sum, Auditores, ea dudum praevidistis non tristia sed digna fore huius diei laetitia. Ac primo quidem longissime a nobis absit omne pristinarum rerum desiderium. Illud non vereor, futuros esse, qui Romanorum apud nos monumenta cum desiderio Romani imperii admirentur. Necessarium potius fuerit, multa quae Romanis quoque debemus, in memoriam revocare, ut ne quis prorsus perhorrescat Romanorum in terris nostris dominium: et in ipso monumentorum illorum adspectu a rebus gestis sedulo revocandus erit animus ad artis admirationem, quo obliviscamur, quod nuper theatrum e terrae latebris erutum est, hoc illud fortasse esse, in quo bestiis obiecit, magnifico spectaculo parato, Francorum et Alamannorum duces Constantinus is, qui postea appellatus est Magnus. At vero neque eam aetatem, quae

Romanos excepit, studiose colemus votisque repetemus, neque ullam aliam. Ergo non desiderabimus illorum temporum barbaricam magnitudinem, rudem virtutem. Ne hoc quidem dolebit, imperfectum stare artificemque suum in aeternum exspectare magnificum templum illud: quippe reputabimus, si ars defecerit templa construendi, at non defecisse pietatem, parietibus non cohiberi Deum, et omnibus unum apertum esse templum, hominum iustorum Deique metuentium societatem. Sane multa illi aetati praeclara, multa magna, laudanda multa propria fuerunt: sed propria fuerunt illi; non sic repetenda alio aevo. Pietas una est; una virtus; una gloria: sed mutant formam. Quodsi cui multum hac disputatione detraxisse videamur de pristinorum temporum laude, liberali manu hoc, quod illa faciunt damnum, in alia aetate compensabimus, de qua multi haud dubie nimis sentiunt contemptim. Nostram dico. Nimirum quod supra observatum est, saepe nimium in modum augeri longinquitate fa-
XV mam, id verum quidem est, sed non ita verum, quin contraria interdum ratione illud, quod e longinquo fit iudicium verius ac iustius sit eo, quod faciunt praesentes. Sunt in omni homine suae cupiditates, suarum amor opinionum: quibus quum non bene respondere sua, quibus vivunt, tempora vident, ea tempora multi vituperant, despiciunt, exsecrantur. Hi vero discant diffidere oculis suis. Conqueruntur, egregia multa negligi et posthaberi nostra aetate: at haec tam egregia fortasse deridebit sapientior aliquando aetas. Clamant, multa tulisse ac fovisse nostram aetatem abominanda: at haec ipsa praeclara fuisse aeternaque laude digna iustior iudicabit posteritas. Fremunt, multa nostra aetate contigisse et contingere parum utilia, immo noxia, perniciosa: at haec ipsa utilissima fuisse ac faustissima et omnino necessaria grato animo seri testabuntur nepotes. Quare haec, quae futura sunt, age, praecipiamus et lucro apponamus. Cernuntur autem praeter illa nostris temporibus multa, quae ne difficillimus quidem suorum temporum iudex magna, laeta, fausta esse diffiteatur. Nobis quidem, Auditores, qui huius Academiae aut pars sumus, aut quibus harum rerum academicarum aliquis amor vel cura est, laetissimi ominis instar et fuit et semper erit praeclarissimum olim Regis huius nostri, cuius hodie natales

celebramus, dictum: si quod civitas aliqua terrarum, incolarum, et quae alia sunt civitatum adiumenta et ornamenta externa, damnum fecerit, id supplendum esse nervorum eorum, qui sunt in civium animis positi, intentione, et copiarum, quae sunt in ingeniis, amplificatione. Aureum vero dictum et quo nullum magis Regium esse potest. Quod Illum non sic dixisse, ac si fractae tantum et diminutae civitati hoc modo prospiciendum esse putaverit, testimonio est Rhenana nostra, quam Ille florentissimis regni sui temporibus condendam esse censuit, hoc quoque liberalitatis documento beneficia sua cumulaturus et felicitatis populorum suorum, quae futura sit, hanc quoque sponsionem facturus.

Quid nostrum sit, qui in hac Academia bonas litteras docemus, quid Vestrum, Commilitones, iam est in promptu. Coniuncta opera nobis litandum est in hoc, quod Clementissimi Regis voluntas aperuit, sacrario. Nam sacrarium est: credite. Sacrum quemdam ignem custodiendum accepimus et alendum. Placidum ignem, et qui lucet, non urit, sed praestantissimum Numinis donum, sed optimum omnis humanitatis adiumentum, eoque vel maxime admirabile, quod vis eius, in summa licet tranquillitate, inexpugnabilis est, efficacitas infinita. Huic igitur quisquis nostrum in dies operam dederit pro sua parte, dum nihil neque sibi ipsi neque aliis magni facere videbitur, maximum faciet: faciet propter quod condita est haec Academia; faciet propter quod inter ornamenta et beneficia huius saeculi Rhenanam nostram sera numerabit posteritas.

Futura Deus reget, cuius sapientiam praedictione divinare et moderari velle nefas, precibus venerari et votis adire fas est. Itaque vota facimus pro Eo, in cuius manibus curam et regimen harum terrarum divina providentia posuit. Multos hic dies celebrandus per annos candidior semper candidiorque veniat. Conservet Deus Regem, ornet, augeat; adiuvet consilia prudentissima et beneficentissima, quibus Ille hoc agit, ut quod terrarum ambitu populorumque multitudine aliae civitates praeter nostram praecipuum habent, id hoc regnum bonarum artium luce et ingeniorum cultu aequet, superet. Ita Deus faxit!

XXXVIII.

ORATIO

NATALITIIS REGIIS CELEBRANDIS

D. III. AUG. MDCCCXXXV.

RECITATA IN AULA ACADEMICA.

Quum multa sunt in doctrinis atque institutis veterum nobis quidem tanto posterioribus, et maxime Christianis, primo aspectu mirabilia ac sensu destituta, at iterum iterumque intuenti minime mirabilia, sed sapienter et cogitata et instituta: tum hoc mihi semper, si recte accipiatur, praeclarum, verum, imitatione dignissimum, visum est, quod vetustas illa magnos viros magnis post mortem et in perpetuum duraturis honoribus prosequendos et vero consecrandos esse censuit. Si recte accipiatur, inquam. Non haerebimus enim in verbis: ut quum *heroes* dicuntur illi, et quum *referri inter Deos*, dicitur, et ipsum illud *consecrari*. Verum detractis iis, quae purior religio, ut est haec nostra, detrahi iubet, quae quidem ad vulgi superstitionem, involucrum veritatis a veritate ipsa distinguere nescientis, referri licet; tum missis exemplis iis, quae, paulatim corruptis moribus, foeda creavit adulatio: quod restat, et quod illud est, in quo constitisse atque acquievisse veterum eos, qui supra vulgus sapiebant, credimus: *magnorum virorum debere quendam post mortem cultum esse:* id mihi tam egregie excogitatum videtur, nihil ut possit magis. Nam post Deum omnipotentem, creatorem atque conservatorem rerum omnium, quem credimus ac sentimus omnes, at nemo videt atque complectitur: opera tantum videmus: quid inveniri potest dignius, in quo oculi convertantur omnium, his mortalibus, in quibus plurimam partem aurae divinae cernas? Quod nobilius gaudium? Quid magis admirandum? Quid magis factum ad declarandam et patefaciendam omnibus Dei creatoris et potentiam et benignitatem? Quodnam fortius animi humani,

propter consciam sibi communem naturae humanae imbecillitatem iam desperaturi, firmamentum, quodnam efficacius ad virtutem omnem, ad recta et pulchra omnia incitamentum? Igitur si quid dignum sit, quod cum maiestate divini numinis et cum debita ei numini reverentia comparetur, ut re vera nihil est dignum; tamen, si quid ad eam admoveri e longinquo debeat, ego magnorum virorum cultum esse dixerim, qui illum sanctissimum cultum sequi proximus, sed longo proximus intervallo, debeat. Ac paene superstitiosam, de qua paullo ante significatum, vulgi olim pietatem praeferam impietati huic, cui nihil magnum est, quae nulli laureae parcit. Quod malum nunc longe lateque serpit, referendum, si de fonte quaeras, ad unam, multis rivulis manantem, multasque formas induentem, nunc cum aperta insolentia se gestientem, nunc modestiae, vel adeo humilitatis, sub specie latentem, arrogantiam.

Nomen si protulero — sentitis enim, Auditores, in eo me esse ut Viri alicuius memoriam coram Vobis recolam, laudes praedicem ac posteritati commendem — nomen si protulero eius, de quo dicturus sum, erit qui miretur. Scilicet quod iam non exspectetur Ille, quod sero veniat. Verum in eo ipso caussa quaedam inest, cur proferam. Si enim vera sunt quae praefatus sum de colenda virorum insignium post mortem memoria, is cultus nunquam sero venit, sed quum haec sit natura eius, ut in perpetuum duret, captandi erunt dies diversis temporibus apti caro nomini proferendo, exquirendae sollemnitates erunt, quae aut totae magno defuncto dentur ac dedicentur, aut quum suam aliunde sanctitatem et nomen habeant, facile hoc alterum nomen, tamquam secundarium sollemnitatis argumentum admittant ac recipiant. Talem hodie diem sollemnitatemque habemus. Regius hic dies est. Rex est in ore atque in oculis omnium; Regem cogitamus omnes. Addam Regi, qua coniunctione vix puto excogitari posse, quod maius sit ac suavius oculis, civem praestantissimum, carum Regi ministrum, prudentem, rerum peritum, omnibus animi atque ingenii dotibus ornatissimum. Praeterea quum reputamus, quo Ille anno ereptus sit rebus humanis, ne sic quidem sero parentare Viro Illustri videbimur, qui quae rerum discrimina partim ante obitum viderat, par-

tim praesagiebat moriens, ea etiamnum perdurant. Quae proxime insequuta sunt funus illud tempora, quae populorum regnorumque concussiones ac perturbationes, quae arma, ita nos, et, puto, quemvis cordatum hominem, agitaverunt, suspensosque spe, metu, laetitia, miseratione, tenuerunt, ut alia attingere, quae oblivione delenirent per aliquantum temporis animum agitatum, et in litterarum deversorio recrearent, possemus; in Eum non possemus tranquilla contemplatione respicere, quem sciebamus ipsum, si superstes fuisset, non sine magna generosi pectoris contentione, divisoque inter spem et metum animo illa omnia aspecturum fuisse. Quodsi ne nunc quidem, post quinque annos, certa futurae felicitatis pignora praestare quisquam potest, sed confidimus nos quidem Saeculo, quod, nisi indicia fallunt, ut est luce plenum et iuvenili robore plenum, Deo adiuvante, tandem aliquando ex lucta quietem, ex perturbatione animorum concordiam, ex agitatione vehementissima bene compositum rerum ordinem spondere videtur: illud lucri fecerimus cunctando, ut et nobis appareat quam luculentissime, et facile persuaderi aliis queat, non vanas fuisse curas atque sollicitudines, quibus Ille non adactus ad mortem, sed deductus est, tristi comitatu: quo modo alios legimus, viros Illi et magnitudine animi et in re publica honoribus atque auctoritate pares, turbatam mortis horam habuisse sollicitudine imminentiumque patriae tempestatum metu.

Intelligitis, Auditores, de *Niebuhrio* me loqui. Atque sic solvo ex parte, quod dudum aliis et vero mihi quoque debui. Ex parte. Nam quod muneris tum multi mihi demandaverant, puto, amorem maxime Viri, quem in me esse scirent, et large affluentem venerationis copiam respicientes, quodque ipse recenti tum dolore, impellentibus amore hoc et hac veneratione, in me receperam, id quominus exsequerer, multae causae obstiterunt, partim modo indicatae, tum maxime haec, quod sentirem nimis multa esse, quae nescirem, ad vitam Niebuhrii cognoscendam necessaria. At hoc sentio mihi datum esse, ut retractem memoriam Viri brevi adumbratione. At tantum habeo, quantum sufficiat, ut et in amicis atque admiratoribus Viri recordationem tantae virtutis suavissimam, quamquam illam ne nunc quidem doloris desideriique expertem, et in Vobis, Iuvenes, qui illum non

vidistis, admirationem tantae imaginis cognoscendique Viri ex monumentis, quae Ille reliquit, cupiditatem excitem.

Consistam autem, quum et tempus, quod datum huic orationi est, arctiores orationi meae limites praescribat, et ipse ad primarium solemnitatis huius argumentum, a cive ad Regem, non sine cupiditate properem; consistam, modica mihi portione sumpta de immensa dicendi materia, totus in ea virtute, cuius ipse spectator fui, et in dotibus ingenii animique iis, quas ipse praesens admiratus sum. Igitur illud tempus, quo emicuit in orbe litterato tum iuvenile robur, primum habitis scholis in Historiam Romanam, alii describant, admirationemque, quae tum debuit esse, videntium res Romanas nova atque insperata luce collustratas, referant atque aeternae memoriae tradant: referant autem ii, qui supersunt Niebuhrii auditores atque amici tempori illi locoque proximi: nam eorum, quos tum compellabat in limite operis primum editi, quosque in societatem operis vocabat verbis lectissimis, tenerrimique affectus plenis, unus nunc superest, sed magnus testis, Savignius. Itineris Italici, honorifice gesti in Urbe muneris publici, eodemque tempore positi in omni rerum Romanarum Italicarumque parte studii memoria apud comites Brandisium et Bekkerum vivit vigetque. Tum politicam vitae partem, quo Ille tempore operam praestitit utilissimam ad conservanda, quae ex immani naufragio relicta erant, patriae bona, et praeparavit prudenti industria, quae restituendae rei publicae idonea essent, et cum optimo quoque ad sanctissimum sacerdotium constitutus, sub favilla aluit sacrum libertatis patriaeque amorem; mox autem, quum ad excutiendum iugum perventum esset, omnem ardorem animi sui communi caussae consecravit: consignatam habet historia, suumque Niebuhrio inter viros de re publica meritissimos locum conservat. Quamquam invitus intactam relinquo, et tantum indicatam, hanc maxime partem, in qua magnum oculis spectaculum praebent circumdata Regi, post magnam cladem, lecta quaedam virorum praestantissimorum cohors, et maxime ipse Rex noster, minime fractus, sed hac totus sententia plenus, quam etiam pronunciavit publice, et in qua unicam salutis corrigendaeque fortunae spem inesse sibi persuasisset: quod res publica ambitu, et quae sunt alia potentiae adiumenta et documenta ex-

terna, amisisset, id itentione virium earum, quae sunt in animis atque ingeniis civium, resarciendum esse atque compensandum. Deinde, Niebuhrium quod attinet, periculosum videbitur, quas dotes natura tam convenienter tamque utiliter in uno homine coniunxit, eas rursus dissolvere ac separare contemplando, et quam vitam tam in se cohaerentem, tamque artificiosa ac bene disposita ad conspectum imagine esse bonum fatum voluit, eam in partes dividere. Verum tamen in eo ipso caussa inest, nisi fallor, cur liceat in parte acquiescere, et in ultimo vitae tam praeclarae studio, quod quidem ultimum esse praeter exspectationem omnium Deus esse iussit, consistere. Scilicet unus omnia, quae egit, et quae scripsit Niebuhrius, spiritus intus alit, una atque individua virtus: ut si cui uno in loco recte observare et demonstrare probabiliter hanc virtutem contigerit, is exemplo totam monstrare generosam Viri indolem videri possit.

Ponemus diem, quo coepit noster esse Niebuhrius. Is fuit d. 17. Martii anni 1825. quo die nobis significatum est, B. G. Niebuhrium, munere apud Curiam Romanam defunctum, quod liberum esset a munere in Consiliiis Status intimis tempus, Universitati Rhenanae daturum esse. Hinc magnus plausus, magna exspectatio: partim eorum, qui alio tempore locoque Viri excellentissimi aut familiaritate usi fuerant, aut vultum moresque cognoverant; partim eorum, qui coram aspicere, quem diu absentem in scriptis admirati essent, gestiebant, et magnam sibi studiisque suis exemplum vel adiumentum incomparabile dari sentiebant: denique omnium, si quidem nemo erat, quin bene nosset magnum nomen; nemo, quin faustum inde omen Universitati Rhenanae caperet, honoremque fieri Universitati, quam Ille libero consilio illustrandam sua praesentia elegisset, intelligeret. Accuratius cogitantem et praesentia cum ante actis comparantem commovebat mira quaedam atque ipsa per se boni ominis plena in eventibus similitudo, quam etiam Ipse in limine Operis illius sui animadvertit, quod Is, qui prius condendae Universitati Berolinensi prolusisset quasi, eamque aperuisset praeclaris scholis Historiae Romanae, nunc conditae non multis post annis, sed post magnas temporum vicissitudines, Rhenanae sui ingenii splendorem addiceret. Et erat sane, ne quid supra modum modesti de nostris

laudibus taceamus: erat, quod illi ad omnia magna et pulchra cum summa alacritate animi arrecto Niebuhrio, redeunti in patriam, et ex Italia redeunti, et redeunti illo tempore, Bonnam commendaret prae aliis locis. Invitabat hoc restitutae Germaniae et Borussiae monumentum splendidissimum, nuper conditum ab Rege Clementissimo, Rhenana, et invitabat his caussis omnibus: novitate instituti, quae magnum Niebuhrio fervorem, amoremque litterarum eum, quo ardebat ipse, pollicebatur: tum loci, quem vindicatum patriae esse, et redditum mori Germaniae litterisque Germanicis Ipse ita gaudebat, nemo ut posset vehementius; denique quod ab eo condita Rege esset, cui totus gratissimo animo devinctus erat ac devotus. Tum mitis solis Rhenani calor, clementia hiemis, ver aliquanto quam alibi maturius laetiusque, aliquid salutare tum Ipsi, tum assuetae caelo Italiae Coniugi promittebant. Quid? quod illae admirabiles formae nostrorum Septem montium, quae cum coloribus suis nescio quam referunt, ut fertur, Italiae similitudinem, Romam, et domesticam Romae consuetudinem, cuius Ipse per studia sua nunquam deponebat memoriam, ante oculos revocare poterant. Denique de fama Universitatis si quaeras, iam tum honorifico loco habebatur Rhenana. Erat tum Universitas nostra, secundum lustrum agens, a parvis initiis egressa, sed longe egressa, in robore iuventutis constituta; flos, primus ille, qui nascentem distinxerat, illibatus, si duos praeclaros doctores excipias, sed auctus insigniter ita, ut plenum Collegium Professorum, et satis ab omni parte consultum studiosae iuventuti videretur; concordia ac familiaritas iam non ea, quae fuerat inter paucos illos prima hieme ab Universitate condita, cuius hiemis multa cum voluptate reminiscuntur, qui reminiscuntur: qualis quidem concordia non facile cernitur inter tam multos, aut ubi cernitur, haud raro malos comites, perniciosam rebus agendis desidiam, veternum, pravam obsequentiam, moris semel recepti, vel etiam abusus, securam observantiam, habet: sed tamen concordia in magna opinionum varietate haud improbabilis, dissensus non facile modum excedens vehementia. Respondebat ardor discentium, et numerus, modicus ille, sed qualis tum exspectari poterat; ac licebat mox maiorem exspectare affluentiam. Gratiam autem summorum mode-

ratorum eorumque, qui potentes rerum nostrarum, exstincta suspicione illa, quae paullo ante tum alias Germaniae Universitates, tum etiam Bonnensem invaserat, recuperasse videbamur, ita ut iam prioris confidentiae reditum, et plenam in veterem dignitatem ac libertatem vindicationem, et omnino praeclara omnia nobis gratularemur. Igitur ad hanc Universitatem *Niebuhrius* voluntaria opera splendorem nominis iam a patre nobilitati, a se tum rei publicae gerendae peritia, tum scriptis immortalibus admirabiliter auctum; ad hanc totam illam immensam eruditionem et prorsus praeclarum ingenium; ad hanc messem Italiae, comparatam indefesso studio, atque illa mentis acie, quam nihil effugit, Romae rerumque Romanarum peritiam, thesauros, quales rite scrutanti multos ex inexhausto apparatu promit illa aeterna litterarum mater, afferebat. Memini quum primum adibam Illustrem Hospitem, et describam quid observaverim primo aditu. Quo et meam suavissimam temporis illius memoriam recolam et fortasse aliis, quid ipsi senserint, in animum revocabo, simulque magnam, ni fallor; argumenti mei partem absolvam, vel fundamentum quasi quoddam firmum et stabile narrationi huic meae substernam. Quum enim magnorum virorum virtus non eadem in omnibus facilitate conspiciendam se praebeat, sed apud alios in fronte insideat exposita, facile omnibus primo aditu cognoscenda; apud alios quasi fugiat aspectum, et in recessibus animae habitet, et tempus exspectet, quo se percipiendam sistat: in *Niebuhrio* mixtam ex his duabus naturam, ingenium statim expositum oculis omnium, alias dotes animi non ita patentes, sed tamen haud occlusas, et divinandas primum adeunti, agnosceres. Adeuntem statim capiebat et percellebat in corpore non ita magno insignis quaedam capitis dignitas: oculi inprimis, in quibus illud, quod in Lessingio observatum ab accurato observatore memini, vulturium, ut statim diceres hos esse oculos illos, nulla sensuum fraude perturbandos, erroris illecebris atque blandimentis inexorabiles, qui e longinquo itinera errantium per incompositam Italiam gentium, et obrutas tot saeculorum nocte Romae origines, nascentemque ex parvo pacis bellique morem vidissent; qui in omni historia atque in omni populo verum a falso, magnum a parvo, iustum ab iniusto discernere callerent: sed iidem,

quum aliquid remitterent de intentione, suavem subinde nativae benevolentiae radium emittentes, et gravitatem vultus mira iucunditate temperantes, ut coniiceres expugnabilem esse, si quis recte aggrederetur, gravitatem. Nam in universum praepollebat gravitas, vel adeo severitas, quae frigore perfundere et deterrere eum, qui curiosus spectator tamquam ad iucundum aspectum, vel favorem captaturus, tamquam ad facilem praedam accessisset. Scilicet magna fuit in hoc viro, et digna priscae aetatis hominibus, ad quos Illum non solum nata ex longa studiorum consuetudine familiaritas, sed quaedam ipsius naturae similitudo trahebat, Graecorum, Romanorum, simplicitas, ita ab omni simulatione aliena, ut simulare plane non posset. Hinc ut fastidiosam despicientiam et affectatam taciturnitatem, et quae alia iustam, hoc est meritis quaesitam superbiam dedecent, respuebat omnia, ita quae recentior maxime aetas ornamenta vitae fucumque invenit, officiosam omnibus affabilitatem, obsequentiae speciem, veri reticentias, honesta placendi studio mendacia, odio habens, in universum comis erga omnes, qui Ipsum salutabant, ut solebant salutare multi undecumque hospites, sed comis ea comitate, quae debetur omnibus ab omni, ut plus faceret, ut confideret adeunti, ut ei se daret, exspectabat certa virtutis alicuius, quae esset in adeunte, testimonia.

Iam hic talis Vir quae scripta reliquit monumenta, non egent meo praeconio. Vidimus nasci Historiam Romanam, hanc alteram, secundis curis et tertiis expolitam, auctam. Immortale opus in quo ingenii acumen ita excellit, ut hanc ante omnes virtutem operis praedicandam dixeris: at si in penitiorem notitiam te insinuaveris, nescias, utrum magis ingenii acumen an eruditionem admireris, et quidem illam quasi vivam eruditionem, cui semper quicquid ad rem facit, praesto est. Silicet inter multas dotes, quibus natura ornari hoc ingenium voluerat, prorsus admirabilis memoria erat. Memini saepe me pudore suffundi, et in me quidem id non miror, sed fortasse idem accidit aliis, memini pudore me suffundi, quum saepe fatendum fuit, non tam res mihi obversari ipsas, quam obscuras rerum imagines atque umbras: ut si quis dicat: memini me legere — legi nisi fallor —: at Ille sua semel lecta imbiberat tenebatque in omne tempus. Im-

mortale opus, in quo quae insunt castiganda, alio modo dicenda: ut nullum humanum opus ab omni parte perfectum est: ea nulla esse, si comparentur ad recte et feliciter observata, tempus docebit. Discite modestiam in hoc exemplo, Iuvenes, et magnorum virorum magnos etiam errores esse, h. e. magnitudinem viri etiam in erroribus cerni, et esse hos errores illos, ex quibus disci debeat. Habemus Opusculorum volumen elegantissimum, Museum Rhenanum, inchoatum novum Corpus Scriptorum Byzantinorum. Quot felicissimae industriae intra paucos annos exhibita documenta! Quae omnia recensere accurate, verbumque singulis, quod unum nunc liceret per hanc temporis brevitatem, in laudem atque commendationem, addere, nihil attinet. Eo propero, ut dicam, quid proprium his operibus omnibus, quo quasi vinculo contineri, quo communi spiritu ali putem. Ac primum, quod illud est, in quo studiorum, ut vulgo res se habet, valde inter se diversorum multumque a se invicem distantium mirificam coniunctionem, eundemque philologum historicum, eumdem rei publicae administrandae peritum, apertissime cognosceres, neminem latere potest, Niebuhrium latum quendam studiorum historicorum et philologicorum ambitum conceptum animo habuisse, in quo et Ipsi sibi elaborandum esse, et aliorum operam excitandam, regendam, adiuvandam omni modo esse censeret. Itaque ut minime contemnebat eos, qui arctiore quodam studio se inclusissent, sed hos quoque, modo strenue operam dantes suae rei videret, magni faciebat, quippe qui intelligeret, magnum in finem coniunctis multorum viribus et variis studiis opus esse; utque multum delectabatur eorum sermonibus, quibuscum de singulis rebus ad philologiam spectantibus, quin etiam de minutiis, quae quidem pro minutiis habentur, utiliter communicare posset, quippe qui persuasum haberet, quod etiam Ipse suis quibusdam hoc in genere praeclaris speciminibus passim exhibitis declaravit, de toto frustra agi, nisi ante curatum de partibus fuerit: ita ipse semper magnum quendam finem obversantem sibi habebat: explendas, quibus distineri partes videret, lacunas; excolendas aequabili quodam modo partes singulas omnes; coniungenda in unum quendam cyclum varia disciplinae philologicae et historicae capita ac pensa: qui cyclus tum demum, quum pro-

babiliter constitutus atque completus esset, satis facturus esset in usum rei publicae. Documento esto, ut unum proferam, quod opus inchoatum a Nieburio nunc feliciter, propter Niebuhrii maxime memoriam, continuatur, Scriptores Byzantinos. Quos ille profecto non eo consilio edendos suscepit, ut haberent historici sive alii, sive Ipse, magis habilia in usum exemplaria: ipse enim minime reformidabat pervolutanda magna volumina. Neque quod his scriptoribus magis delectaretur quam aliis: ita enim nutritus erat medulla optimorum scriptorum veterum, ut perbene sentiret, quantum inter hos, qui vere dicuntur veteres, et istos interesset. Neque puto quam impensam in Agathiam videmus curam ac diligentiam, eam Niebuhrium aliis scriptoribus Byzantinis praestiturum fuisse: erant enim, quae alias in partes avocabant hoc ingenium, graviora. Sed quum in infinitum augeri quotannis quorundam scriptorum veterum exemplaria, utilitate non semper apparente, animadvertisset, semel hos quoque novitios ex longa oblivione in memoriam, ex multa nocte in lucem revocandos esse vidit, et quasi denuo recipiendos in ambitum litterarum antiquarum: illi ultima confinia tenent, summae, quae unquam visa est in litteris, praestantiae ex parte, etiamsi ea pars minima sit, heredes, vel certe sermonis heredes eius, qui ne in balbutiente quidem displicere potest. Deinde, quod mihi fateor primum esse, et quod fere inter omnia suavissimum, quoties cogito de Niebuhrio, et in quo vellem diu morari si liceret, ac dolet, quod non liceat: quicquid Ille unquam scripsit, quicquid dixit data opera, publice, Auditoribus, quibus Ille nihil celare, sed dare, quae haberet, optima, et se dare ipsum consueverat, non aeque ab omnibus intelligendus, sed iis, qui intelligerent, dux ac magister incomparabilis, venerabilis omnibus: igitur quicquid scripsit, quicquid dixit, in eo semper totus inerat Niebuhrius: hoc est, generosa viri indoles, liberalis animus, incredibilis fervor animi, ut statim perciperes esse illum ac vivere in eo, quod ageret; imperturbatus veri rectique amor, inexstinctum earum rerum, quae malae viderentur, quae perniciosae, et vero hominum, qui mali, qui leves, qui damna noxaeque suae aetati ac patriae, vel etiam orbi terrarum, odium. Sic quod opus supra propter acumen ingenii et praeclara inventa eruditionemque lau-

davimus, Historia Romana, idem quasi quoddam virtutis ac sapientiae Niebuhrianae, h. e. eius virtutis ac sapientiae, cuius imaginem animo Niebuhrius conceperat, speculum est, dum eventa rerum conversionesque semper comitatur egregia arte insertum de eo quod recte factum sit, et quod secus, indicium; dum malos notat, bonos ac magnos laudat, nunc silentio, sed eo diserto, nunc verbo, sed eo gravi; nunc ubi incalescit generosum pectus, exquisitissimo praeconio, vel notatione severa et quae imprecationis vim habet. Sic vita Niebuhrii quodammodo divisa inter amorem et odium fuit. Scio, quum hunc ad locum devenerim, scio circumferri duras quasdam voces Niebuhrii, quarum nonnullae, iactatae in viros olim longe celeberrimos, mihimet ipsi, ut fatear qnod verum est, semper iusto duriores visae sunt. Vel sic tamen eas taceri aut oblitterari nolim. Certe mihi quicquid huius generis dixerit Niebuhrius, egregie factum ad cognoscendam indolem Viri videtur, cuius nobilis impetus ut vehementer ferebatur versus praeclara omnia, ita si quando in reprehendendo modum non servaverit, facile id excusationem inveniet apud eum, qui purissimos fuisse duritiae huius, vel, si quis malit, iniustitiae fontes caussasque reputaverit. Ac velim consopiri nunc ac sepeliri, si quid ex hac recordatione acerbitatis in animis singulorum resideat. Amoris ac pietatis, quo Ille quod semel pro vero, recto, pulchro accepisset, amplecti solebat, multa tum e scriptis tum aliunde testimonia ad manum sunt. Ut memini, quum in Goethium multi inveherentur, quod nonnulla Illustris Senex vix digna suo nomine ederet, Niebuhrium fateri mihi, sed soli, et ut magis insusurraret in aurem, quam pronunciaret, esse, quae etiam ipse edita nollet: sed tantum meruisse Goethium, ut si quid sit quod in eo displiceat, id taceri atque obtegi silentio debeat. Deinde parva res est, sed ex qua et ipsa Niebuhrium totum cognoscas, quod addam propter virum praestantem et amicum mihi, qui gallice scripsit de vita Niebuhrii. Is permotus indicio aliquo coniecit de Goethio aliquid scripturum fuisse Niebuhrium. Non ita. Narraverat aliquis Niebuhrio de vico Alsatiae eo, in quo multum diversatus est, quum Argentorati operam litteris daret, Goethius, quae ibi ipse post tot annos monumenta Goethii repperisset, atque comperisset de Goethio, et quo sensu

illa ipse vidisset atque accepisset omnia. Qua narratione delectatus, et vero inflammatus, Niebuhrius partim ut gratum faceret narratori, partim ut ipse aliquid conferret ad conservandam eius rei memoriam, sed tantum ad conservandam inter amicos atque admiratores Goethii, statim, quum nonnulla obscura mansissent in narratione, de his interrogare homines Alsatos, at non primum obvium quemvis, sed eos quos diligenter secum instituto examine, ut in quaestione gravi historica, locupletissimos testes esse intellexisset, coepit et domum eam, in qua saepissime diversatus esset Goethius, depingendam suam in gratiam eiusque, qui narravisset priora, curavit. Et haec quidem suavis mihi recordatio. Verum illa quam parvo temporis discrimine seiuncta ab infaustissimo die, quem praeter exspectationem lugendum habuit is, cuius memoriam modo miscuimus cum memoria Niebuhrii, Goethius. Refugit animus ab recordatione horae tristissimae, quamquam tum non videbatur tristissima esse, qua audire percontantem diligenter, sed tranquille ac sine multa anxietate, quid novi nunciaretur e Gallia, qua tangere manum non amplius tangendam licuit; ab illa tragica funerum cumulatione, Viri, et sequentis Virum coniugis fidissimae. Refugit, et quaerit, unde delenimentum doloris ne nunc quidem exstincti confirmationemque petat.

Hunc talem Virum Rex carum habuit, ac magni fecit. Non mirum, inquies. Ego vero ea in re virtutem de multis unam Regis nostri, eamque magnam, cernere mihi videor. Scilicet quum hoc habeat maiestas Regia, ut facile praestringat oculos, reverentiam metui similem incutiat, et caecam quae dicitur obedientiam pariat, multum eo peccari potest, multumque ex eo calamitatis regnis ortum esse historia docet, quod qui Regibus essent a consiliis, aut non auderent supra assentationem sapere, aut Reges assentatorem audire quam consiliarium non assentatorem mallent. Ut taceam, quod ab assentatione, quam dixi, distingui licet, pestem adulatoriam. Iam Rex noster, ut respuit adulatorem, ita neque in assentatione acquiescere consuetus. dilexit magnique fecit, et audivit, non obcaecandum maiestatis aspectu, non percutiendum meticulosa reverentia, obedientem, sed libere sapienterque obedientem, Niebuhrium. Quid dicam de

Principe Serenissimo, quem recordamur recenti admodum memoria qua occasione et cui pias lacrimas fundentem viderimus? Et quid, si paratur duraturum coram oculis omnium sanctissimae huius amicitiae, nam audeo amicitiam dicere, monumentum?

O faustum regnum, in quo omnes confidunt Regi tum per se sapienti tum sapienter dicto ab aliis audienti. Conservet Deus hunc Regem, et quicquid gaudii florens Domus Augusta Patri, quicquid mutua inter Regem et Cives fiducia gaudii Regi afferri potest, id omne in Eo accumulet.

XXXIX.

DE BATTARO VALERII CATONIS.

VIRO ILLUSTRI

B. G. NIEBUHRIO C. F.

S. P. D.

A. F. NAEKIUS *).

Diu est, quum aliquid et Tibi debere, Vir Illustris, et vero mihi quoque, ne in crimen apud Te inertiae incurram, videor. Scito igitur, si quando a Te propositam scribendi conditionem non ea cupiditate arripuerim, qua decet conditiones a Te propositas, hoc est luculentas et honorificas, arripere: id eo factum esse, quod totus, quantum quidem licuit, in carmine vel potius in carminibns Valerii Catonis: nam duo sunt, Dirae, et Ecloga e Lydia: expoliendis atque illustrandis occupatus essem. At parvum inceptum; vix ducenti versus. Sane: ego vero, sive re vera tam bonus poeta est, sive aliquid antiqua illa simplicitas habet cum mea simplicitate congruum, mirifice diligo hunc hominem. Et Cato rursus longa consuetudine faciliorem se mihi, nisi fallor, quam multis aliis praebere, sensusque suos saepe reconditos recludere constanter percontanti voluit. Edam autem proxime utrumque carmen instructum animadversionibus atque idoneo librorum apparatu. Sine libris enim, ut scis, non licet pedem ponere in hac poesi: et habeo praeter eos, quorum apud Burmannum mentio est, non paucos, inter quos sunt perboni et prorsus ignoti. Nunc unum ex eo opere caput delibare placuit,

---

*) Rheinisches Museum herausgeg. von B. G. Niebuhr und Chr. A. Brandis. Vol. II. 1828. p. 113.

141 ut aliqua etiam mei pars esset in Museo Rhenano, cui si quid haberem quod insererem, non ingratum Tibi fore significavisti.

Scr. Bonnae, Cal. Decemb. 1827.

Sed *Battarus* qui tandem aut quid fuit? Indicavimus *Battari* iam in *Indignatione* videri mentionem fuisse. Verum ea observatione tam parum lucramur, ut illa etiam augeat difficultatem. Si enim qui fuerit Battarus, tam incertum est, quam videtur incertum esse, nihil iuvat, quod tam obscurum nomen etiam in altero Catonis carmine fuerit. Nam de *Battaro* incredibilis est opinionum varietas. Antiquissimi interpretes, quos quidem nihil scivisse de Valerio Catone, sed ad Virgilium retulisse has Diras tenendum est, *arborem* fuisse Battarum coniiciebant, et quidem *fagum* ex Virg. Ecl. I. Pomponius Sabinus ad versum 1. *Battarus interpretatur fagus illa, sub qua carmina cantabat de Lydia.* Cf. idem ad Eclog. I. 1. et IX. 9. Domitius Calderinus in argumento Dirarum: *Dirigit autem ad Battarum, non vicum, ut aliqui male sentiunt: sed sicut potest ex verbis Virg. colligi, Battarus arbor erat in agro Virgiliano: itaque fagum de qua in Bucol. scribit intelligimus.* Idem sentiebat Badius. At gloss. V. I. diversa paullulum ratione, *silvam* intelligebat: *In agro Virgiliano erat silva nomine battarus: in honorem Iouis incedua reseruata.* Rursus Scaliger *fluvium* esse Battarum censebat: quam opinionem quomodo exornaverit, ipsum audire operae pretium est ad v. 1. Cum Scaligero faciunt Boxhornius ad v. 36. Scriverius ap. Burmann. ad v. 93. N. Heinsius ad v. 29. 33. et 35. de *colle* cogitat; vel ipsam *villam* Catonis dictam fuisse Battarum. Audiamus etiam Is. Vossium: qui in exemplo editionis Scalig. 1573. quod Leidae asservatur, ad disputationem Scaligeri eam, qua versum 64. convertit in rem suam, haec adscripsit: *imo mons potius, nam sequitur, Nam tibi sunt fontes tibi flumina semper amica. Sed neutrum verum esse puto.* Quae est bona observatio. Videbat Vossius versum 64. non ad confirmandam sententiam Scaligeri, sed ad refutandam factum esse. Si enim ipse fluvius fuisset Battarus, non hoc precaturus erat Cato: *Battare, fluminibus tu*

nostros trade dolores, sed hoc, ut ipse primus incurreret in agrum. Praeterea Vossium, quid verum esset, etsi non dicit, sensisse tamen coniicio. Scilicet mirari lubet tot et tantorum virorum iudicia, quaerentium *Battarum* in tota rerum natura, illud non videntium, quod simplicissimum erat. *Homo* est Battarus. Id unus sensit atque indicavit obiter Fr. Iacobsius praeclara illa disputatione. Quod unum dico, non nego in eadem quemquam ante Iacobsium sententia fuisse. Veluti Heinsio scripta ad versum 1. quum lego ac perpendo, veritatem obversatam esse ista scribenti dixerim, quamquam alio tempore de *colle* cogitavit. Deinde est aliquid Iacobsii sententiae simile in opinione Io. Christ. Wernsdorfii, sed id mirum in modum deflexum et deformatum. Wernsdorfio *Battarus, βάτταρος, nugator, blatero,* nomen est sive cognomen poetae alicuius, quem Cato hoc Dirarum carmine imitatus sit: fortasse Callimachi, propter Ibin. Sed molestum est breviter dicere, quae alius diffuse, et partim manifesto falsa, partim non satis inter se omnia concilianda disputaverit. Quare reliqua, qui volet, apud ipsum legat Wernsdorfium. Manifesto falsum illud est, ut unum commemorem, quod *ταυτολογίαις scatere* carmen Catonis, et *verum βαττολογίας exemplum* esse dicit.

De nomine ipso *Battari* haec habeo. Vox non reperta est
alibi. Sed tamen *Battara* est, nomen viri, apud Ciceronem
Epist. ad Familiar. VII. IX. quem locum Heinsius protulit ad ver-
sum Catonis 1. et *βατταρίζειν*, cum derivatis, *βατταρισμός, βατ-
ταριστής*, apud grammaticos, quos enumerare supersedeo: suffi-
ciunt testes, antiquissimus, Hipponax in Bekkeri Anecdot. I. p. 116
85, 20. et Cicero ad Atticum VI. V. Primam vocis originem
rectissime explicuit Casaubonus ad Sueton. August. LXXXVII. ubi
voces recenset fictas per *ὀνοματοποιΐαν* ad exprimendum fre-
quentem infantiae sonum *ba* vel *bat* aut *bad.* Inter eas igitur
βάττος fuit. *βάττος*, inquit, *unde βαττολογία et βατταρίζειν, ut
placet doctioribus Grammaticis; non a Batto, sicut somniant
poetae. Doctiores* Grammaticos dicit, ut Etymologum v. *βαττα-
ρίζειν.* cf. boni grammatici observatio Anecd. Bekker. I. p. 224.
et apud Hesychium v. *βατταρίζειν.* sed Etymologus inprimis per-
spicue. Fuerunt igitur, quam multorum nominum, romanorum
etiam, rationem fuisse constat, *βάττος*, et alia forma *βάτταρος*,

quae sic non invenitur amplius, sed invenitur derivatum *βατταρίζειν*, non propria primitus, sed appellativa nomina, iis tribui solita, qui illo linguae vitio laborabant, vel etiam simili: nam facile concedemus Casaubono, etiam ad alia vitia denotanda, pueritiae affinia, voces istiusmodi factas fuisse. Ut apud ipsum Ciceronem l. l. ad Atticum, *βατταρίζων* non potest *balbutiens*, sensu proprio, esse. Inde quum nomina esse propria coepissent, potuerunt etiam iis tribui, in quos non caderet ullum linguae vitium. Ut Theocritus quum aliquem hominem *Battum* appellat, non significat, blaesum sive balbum hominem fuisse, sed nomen hoc est, ut sunt alia pastorum apud Theocritum nomina. Heinsio quare Siculum esse nomen *Battarus* videatur, non exputo: fortasse quod in Sicilia fuisse villam Catonis sibi persuasisset. Ego hoc tantum dixerim: primo, graecum fuisse origine; deinde magis servorum quam aliorum hominum videri proprium fuisse. Ut ipsum Catonis Battarum servum fuisse coniicio. Nam quominus fictum esse *Battari* apud Catonem nomen, et aliud latere sub eo statuamus, obstat simplicitas Catonis, qui suis res hominesque nominibus appellare solet, neque idonea aut ex nomine
117 *Battarus* aut ex carmine Catonis caussa reddi potest, cur Cato, si fictum ponere nomen voluisset, *Battari* nomen ponere quam aliud maluerit. De forma nominis satis est ut teneamus vocem *βάτταρος* esse productiorem formam vocis *βάττος*. Atque eam ad rem egregie facit secundo casu conservata alia, sed gemina forma, *βάταλος* vel *βάτταλος*. De qua itidem recte monuit Casaubonus. Ut enim nec *βατταρίζειν* verbum a *Batto* rege, nec *βαττολογία* ab eodem vel ab obscuro quodam poeta derivandum est, ita nec *βατάλους* sive *βαττάλους* a nomine Batali tibicinis dictos esse credibile est: sed fuit etiam *βάταλος*, sive *βάτταλος*, primitus vox facta, ut Casaubonus indicat, ad imitandum sonum linguae puerilis. Videat aliquis quam sibi similia sint: *βάτταρος* et *βάταλος* s. *βάτταλος*, *Battarus* et *Battalus*. Nihil nisi liquidae inter se permutatae sunt; ac fatendum est hanc formam, quae litteram λ habet, etiam aptiorem meliusque factam esse ad imitandam linguae balbutientis mollitiem. Illud incertum videatur esse, an ad hanc vocis *βάταλος* originem et significationem omnes revocandae sint eius vocis significationes, quae Casauboni sen-

tentia fuit. Sane non statim patet hac via, quomodo βάταλος *mollem*, *effeminatum* significare coeperit. Magis etiam singulare, quod Harpocratio tradit, Eupolin βάταλον dixisse τὸν πρωκτόν. cf. Plutarch. Vita Demosth. p. 847. E. Nisi hoc ita ad primariam significationem etymologiamque revoces, ut hanc esse puerilem vel ad captum puerorum effictam partis illius appellationem dicas, numerandam inter nutricum ὑποκορίσματα, quo de genere aliquid Scaliger in Virg. Catalecta p. 244. ed. Lindenbr. Haec utut sint, cognomen certe Demosthenis, Βάταλος vel Βάτταλος, non alio modo explicandum, sed eo modo, quem nuper approbaverunt viri docti, Schaeferus Apparat. ad Demosth. T. II. p. 251. Passovius Lex. Gr. v. βάταλος, de vitio pronunciationis accipiendum esse existimo. Βάτταλος nomen est etiam apud Hedylum epigr. VII. ut alios omittam. Verum qui sint, quos spectat 118
Gyraldus Poetar. hist. p. 138. E. To. II. quum scribit: *Sunt qui in Vergilianis poematis pro* Bataro Batalum *reponant: ego nihil statuo:* id ego aeque ignoro atque illud, quae sint, ut idem scribit ibidem, *caetera quae de Bataro a Scriptoribus traduntur.* An error subest, ut Erasmi is, quem P. Leopardus Emend. XV. XXI. tangit? Apud Catonem libri nihil offerunt, quod dubitari de scriptura nominis *Battarus* sinat. Leve est, et saepius obvia in his litteris librariorum consuetudo, memorabilis tamen, quod in duobus libris antiquis semper *Bactare* scribitur, non *Battare*; levius, quod libri editi non pauci, at tamen non antiquissimi, vitiose *Battarem* exhibent in titulo carminis. Sed quam modo commemorabam duorum librorum scripturam *Bactare*, in mentem mihi revocat Ciceronis Epist. ad Trebatium libro VII. IX. locum, de quo non gravabor, quae mihi haec scribenti coniectura nata sit, exponere. Itaque de eo non dubito, quin recte fecerint, qui ibi *Battara* reponi iusserunt, quod nomen sic scriptum invenitur in libris non contemnendis, et tum in unius codicis scriptura *Bactra*, tum in *Baltera* latet, ut praeter alios libros habent, quae nunc mihi praesto sunt, Veneta per Bernardinum Benalium 1493. Ascensiana 1511. Quod aliis placet, *Vacerra*, quis sibi persuadeat corrumpi tam admirabili modo potuisse, quum id nomen ex epistola praecedente notum consuetumque esse librariis debuerit? illo loco non haesisse in nomine *Vacerra* librarios, hoc haesisse

atque in omnia alia abiisse? At vero aliquid tamen etiam iis libris tribuendum esse puto, in quibus *Vacerra* est. Igitur *Vacerram* verum hominis nomen esse, adscriptum explicationis caussa ab aliquo grammatico, *Battarum* vero cognomen eiusdem viri, sed ioculare, esse coniicio, fictum aut a Cicerone, aut ab alio quopiam inditum Vacerrae.

119 Igitur humano generi vindicavimus *Battarum*. Et hoc quidem post Iacobsium. Superest ut quali fere conditione homo fuerit monstremus. Quod ita peragemus, ut simul bonus numerus versuum Catonis, quos caeteri interpretes magis sibi intelligere visi sunt, quam intellexerunt, in luce ponatur sua.

Distinctum est Catonis carmen, Dirae, versibus intercalaribus satis multis, quos infra collectos dabo omnes: nunc eos tantum spectabimus, in quibus aliquid ad hanc quaestionem, quam agitamus, momenti est. Sunt autem, praeter exordium carminis,

Battare, cygneas repetamus carmine voces:
Divisas iterum sedes et rura canamus,
Rura, quibus diras etc.

hi: v. 14. 30. 54. 71. 75. 97.

Rursus, et hoc iterum repetamus Battare carmen.
Nec mihi saepe meum resonabit Battare carmen.
Tristius hoc, memini, revocasti Battare carmen.
Dulcius hoc, memini, revocasti Battare carmen.
Tristius hoc rursum dicat mea fistula carmen.
Extremum carmen revocemus Battare avena.

Perpendas singula, *repetamus*, *revocasti*, *revocemus:* vides ubique respici aliquid, quod praecesserit. Quaeritur quid illud sit, quod praecesserit. Et de exordio carminis plane nulla dubitatio est: respicitur, quod iam supra tamquam certum posuimus, *Indignatio.* Verum qui hoc recte perspexerat, Scaliger, idem etiam reliquos locos, quos apposui, si non omnes, saltem plerosque, eumdem in sensum accipiebat. Nam ad v. 1. ita scribit: *Subinde intercalatur τὸ* Repetamus: *vt innuat se olim in Indignatione haec iam dixisse.* Statuendum erit, ut hoc credas cum Scaligero, *Indignationem* non solum in universum simile, sed in singulis suis partibus simile *Diris* carmen fuisse, et iisdem exsecrationibus, quibus constant Dirae, constitisse. Quod ego neque

Suetonii testimonio comprobari video, qui quae de *Indignatione* 120 tradit, aliud carminis illius argumentum fuisse, et quidem, saltem ex parte, historicum ostendunt; neque hoc dignum bono poeta, bis eadem scribere. Multo magis veri simile est, in *Indignatione* diras breviter indictas fuisse agro, idque, ut coniicere licet, in fine carminis, postquam se spoliatum esse agro, et indigno spoliatum modo, narravisset. Postea, nova irascendi querendique caussa illata, quod ibi breviter peregisset, exornare atque amplificare, et novum inde carmen deducere, quod totum diris constaret, animum induxit.

Wernsdorfius, qua est inconstantia, dum pag. LII. concedit in sententiam Scaligeri, reliqua disputatione sua aliam huic rei versibusque istis explicationem quaerit, non ineptam quidem illam per se, et duobus locis accommodatissimam, sed qua ipse supra modum abutitur. Profectus ille a sua explicatione nominis *Battarus*, proprium hoc diris et exsecrationibus esse ait, ut saepius eadem repetant atque inculcent. Itaque hoc Catonem fecisse Diris: semper eadem dici ac repeti, mutatis verbis; idque ipsum indicare subinde Catonem, quum dicat *repetamus*, *revocemus*. Cf. Wernsdorf. ad v. 1. 14. 19. 97. Bene, si verum esset, quod ponit Wernsdorfius, semper eadem dicere ac repetere Catonem. Ut nunc res est, quum, duobus locis exceptis, singulae Catonis imprecationes minime idem dicant, sed valde diversas imagines praebeant, quae hunc tantum communem finem habent, ut ad ruinam agri spectent omnes, concidit atque in fumum abit ex maxima parte sua Wernsdorfii explicatio. Quibus locis unice accommodatam, et haud dubie veram esse Wernsdorfii interpretationem dixi, hi sunt: v. 14.

Rursus, et hoc iterum repetamus Battare carmen.

et 97.

Extremum carmen revocemus Battare avena.

Utroque loco quae praecedunt versum intercalarem, et quae se- 121
quuntur, eadem sunt ad sententiam, verbis tantum diversa.

Aliam rationem reliqui loci habent. Scilicet unum neglexerunt viri docti, quo recte observato depellitur quicquid in hac quaestione tenebrarum est. Sunt inter versus istos intercalares nonnulli, qui *Battarum* non nihil agere in Diris, dum canit Cato,

probant. Hos dico, qui ita loquuntur clare, ut nullus dubitationi locus relinquatur, v. 54. et 71.

Tristius hoc, memini, revocasti Battare carmen.
Dulcius hoc, memini, revocasti Battare carmen.

Nam quomodo Catoni *revocat* carmen Battarus, nisi ipse aliquas in canendo partes agit? Nec minus huc faciunt v. 1. 2. 14. 97. *repetamus*, *canamus*, *revocemus*. Quorsum enim pluralem, si nihil nisi auditor esset Battarus? Denique ne illud quidem de nihilo est, quod Battarus tam saepe compellatur.

Itaque conformatio huius carminis talis est, ut actionis cuiusdam speciem praebeat. Cato versus dicit; canit Battarus fistula. Non quod hoc re vera ita actum fuerit: fingitur ita fieri. Verum est, apud Theocritum, Virgilium, alibi, ubi avenae vel tibiae fit mentio, plerumque ita fieri, ut qui versus dicit, idem etiam canat sibi fistula tibiave, vel potius intercinat. Sed inveniuntur tamen etiam alterius modi vestigia apud eosdem poetas, ut Theocrit. VII. 71. 2. et reputandum est, non esse Catonem ex pastorum apud Theocritum et Virgilium consuetudine moribusque metiendum: pastorem poetam decet instrumentum pastorale, fistula, avena; Catonem, qui pastor neque fuit, neque se esse pastorem fingit, minus decet, vel, ut non dedeceat, certe mirum non est, quod fistulam alteri reliquerit, ipse suam curam unice ponat in versibus faciendis dicendisque. Quam usitatum apud Romanos fuerit,
122 ad tibicinem canere, multis ac satis notis exemplis constat. At vero, inquis, etiam Catonem canere avena manifestum est ex versu 7.

Multa prius, fuerit quam non mea *libera* avena.

et ex v. 75.

Tristius hoc rursum dicat mea fistula *carmen.*

Num igitur uterque canunt vel intercinunt, duabus avenis, Cato et Battarus? Fieri ita potuit, quamquam non puto factum esse. Est potius, ut antea dixi, una avena, Battari; et quod v. 7. 75. *mea avena, mea fistula,* dicitur, improprie dicitur. Ut ubique poetae, etiam nostrates, et qui nunquam digito attigerunt chordas, lyra se aut tibia, dum versus faciunt, canere fingunt. Id inprimis conspicuum in versu 7. ubi *libera avena* ne sensum quidem haberet, si proprie acciperetur *avena*, sed est pro *car-*

nunc: multa prius fuerint, quam non fuerit liberum carmen meum. Versu 75. hoc tantum dicit: age rursum tristius hoc carmen dicam. Eamdem in sententiam interpretandus versus 19.

Nec desit nostris *devotum carmen* avenis.

ubi *avenas* dicit unam Battari, quae re vera avena est, alteram improprie, h. e. suum cantum.

Iam si tibicinis partes in Diris peragit Battarus, non diu quaeremus, quali homo conditione fuerit. Fuit haud dubie servili conditione homo, idonea fistulae vel tibiae peritia pollens, fortasse pastor, quocum et olim Cato, beatus otio ruris sui, cecinerat, et nunc se canere Diras fingit. Et apte hoc fingit, quum scenam carminis, ut dixi, in agro suo posuerit, Battarum vero, ut alios servos, restitisse in agris, Catone expulso, probabile sit. Fistula Battari iam antea usum esse Catonem, et aliquam eius mentionem in carminibus ante Diras fuisse, tum illud videtur declarare, quod de Battaro in Diris ubique tamquam de nota persona loquitur Cato, tum maxime colligitur ex initio carminis, ubi
Battare repetamus scribi non licuisset, nisi iam antea aut alio 123
in carmine aut, quod non improbabile, in ipsa *Indignatione* opera Battari in canendo usus fuisset. At saepe usum esse Catonem Battaro, etiam ex versu 30. colligo. Cf. ad v. 54. 71. monenda. Praeterea duplex ad disputationem nostram momentum in v. 63. seqq. inest:

Si minus haec Neptune tuas infundimus auris,
Battare, fluminibus tu nostros trade dolores:
Nam tibi sunt fontes etc.

quibus versibus cur Battaro favere flumina fontesque dicantur, luculenter apparet, postquam fistulae peritum fuisse Battarum monstravimus, et discitur ex iisdem, remansisse in Catonis villa Battarum. Nam Cato ibi, dum abit in perpetuum, mandat Battaro, quod se absente peragendum sit.

Reliqua suo loco ad singulos versus observabuntur. Hic semel omnia quae disputavimus paucis complectemur. Ergo initium facit Cato a recordatione carminis prius scripti, *Indignationis:* age, inquit, o Battare, repetamus carmen illud cycneum, h. e. lugubre et supremum. Septem versus, qui exordium constituunt. Ab octavo ipsae Dirae incipiunt. Quando Battarus ex-

hortationi Catonis pareat, et canere fistula incipiat, fortasse alius iudicabit alio modo. Erit cui statim ab initio Cato canere cum Battaro videatur. Mihi magis placet incipere Battarum post exordium carminis: exordium sive prooemium, quo exhortatio ad Battarum continetur, sine fistula dici a Catone solo par erat. Iam vero in Diris, inde a versu 8. usque ad finem, nihil scriptum est quo respiciatur ad *Indignationem.* Novum carmen, et per se constans, Dirae sunt. Inserit passim versus intercalares, quibus nunc se ipsum, nunc Battarum, nunc se et Battarum excitat, commonefacit, confirmat, variis sententiis. De Battaro restat ut
124 quaeratur, utrum inter singulas imprecationes intercinat, id quod, si cui ita placeat, iis locis fieri putandum erit, ubi versus insertus est intercalaris, ut in illo Virgilii carmine versus *Incipe Maenalios mecum mea tibia versus,* indicium est intervallorum, quae tibiae cantu explentur; an, quod praefero, totum Catonis carmen ab initio usque ad finem persequatur et exprimat fistula. Nempe alia carminum ratio est eorum, in quibus unus et versus dicit et fistula tibiave canit, quae res nequeunt simul peragi; alia eius, in quo munera illa duobus divisa sunt. Atque sic facillimam explicationem habent versus 54. 71. Et tum quidem veri simile est, remittere fistulam Battari, dum Cato versus dicit intercalares. Caeterum iam monui nunquam Diras eo modo actas esse, sed fingere Catonem haec omnia.

Post haec apparet, quam recte ad inscriptionem carminis *Dirae* multi libri editi appositum habeant *ad Battarum*, vel ut alii nonnulli, quod etiam peius, *in Battarum.* Ut nunc taceam additamentum alterum: *Dirae, id est carmen execratorium, ad Battarum.*

XL.

PRINCIPIS SERENISSIMI

FRIDERICI WILHELMI

BORUSSICI REGNI HEREDIS

ITER RHENANUM

PIIS VOTIS PROSEQUITUR

UNIVERSITAS FRIDERICIA WILHELMIA RHENANA.

D. XXIX. OCTOB. A. MDCCCXXXIII.

„Ordimur aevum. Signa ego videram
Romana, et acrem militis Itali
Vultum, meos fluctusque montesque
Italiae similes stupentis.

Et dum venustas me nova, dum leves
Graecae retentant artis imagines;
Moles in aeternum ruinae
Indociles, imitamen Urbis,

Dum miror, haesit mens vaga consili,
Iugum rebellis decuterem, an libens
Legi Latinae obtemperarem:
Sed rapuit sua Parca Romam.

Post hoc, tremendas claudere nobilis
Certationes, quot rigidis duces
Quantosque Germanis corona
Magnanimi Caroli beavi!

Quod laetus artis prodigium struo
Non ante visae! tristis ab oppidis
Ignes relucentes, et arva
Heu quoties populata vidi!

Donec reluctans Imperio vale
Dixi, reluctans terminus Imperi
Factus, sinistro addictus usum
Littoris alterius reliqui.

Ordimur aevum." — Rhenus ait. „Novus
Per multa rerum prospera nascitur
Mutata deducturus ordo
Tempora. Fata Deumque sensi.

REGIS salutavi advenerans mei
Vultum paternum: nunc ego amabili
Salve, frequens, Salveque longum
PRINCIPIS ingemino iuventae,

Civem audientis, quid populo bonum
Sortis subacto multiplici vice,
Tum lancibus prudenter aequis
Et vetera et nova ponderantis."

His, care PRINCEPS, auspiciis venis:
Hoc corda circum civica sentiunt;
Surgentis ex vinclis meatus
Fluminis hoc loquiturque terra.

Vides, ut undas Rhenus agens citas
Inusitato navigio fremat;
Urbes renascentis benigno
Sub Domino cupidas honoris,

Antiquitatis relliquiis rudi
Squalore sanctis, moenibus horridis,
Interserentes expolitae
Delicias sapienter artis.

Quis Alma certans, nobilis aemula,
Rhenana, Martis filia, (nam diu
Ferroque cernendum gravique
Marte fuit, domus ut daretur

Pacata Musis) nomine sed TUO,
PATRISQUE, PRINCEPS, nomine laetior,
GNATO faventi CONDITORIS
Dona PATRIS studiosa monstrat:

Intaminati, crede, per omnia
Custos amoris, sub penetralibus
Sanctis Prometheum superba
Pectore puro aluisse semen.

TU, CONIUGI mox redditus ac PATRI,
PRINCEPS, precamur, sic referas: Tuam
Regique Rhenanam fidelem,
Crede Pater, patriaeque vidi.

XLI.

„Ein neuer Zeitlauf! Römische Banner einst
Gesehen hatt' ich; Staunen im scharfen Blick
Ital'schen Kriegsmanns, ob der Rheinflut
Und der Italiengleichen Berge.

Und weil mich, neu und reizend, von Griechenkunst
Der leise Nachhall fesselt, und während ich
Ein trotzend Machtbauwerk, von keinen
Zeiten zerstörbar, ein Bild der Weltstadt,

Bewundre, — rathlos schwankt' ich im Geist umher:
Entzieh' ich fremdem Joche mich, oder soll
Mir Latiums Satzung lieb und werth sein?
Aber die Stunde von Rom, sie nahte.

Dann zweitens, Reichsstrom, drohender Eifersucht
Berühmter Schiedsmann, hab' ich dem starren Volk
Der Deutschen Feldherr'n viel, und welche!
Krönend geschenkt mit der alten Krone;

Welch seltsam Wunder freudig hervorgebracht
Selbsteigner Kunstart! wehe, wie oft betrübt
Von Städten her Abglanz des Mordbrands —
Wehe! — geschaut, und verheert die Felder!

Bis dass ich ungern: Lebe mir wohl, o Reich!
Ausrief, bis ungern Gränze des Reichs genannt,
Dem linken Ufer angeeignet,
Endlich ich liess den Gebrauch des andern.

Ein neuer Zeitraum öffnet sich.“ So der Rhein. —
„Ein waltend Schicksal fühl' ich und Gottes Hand:
An's Licht gebrochen andrer Zeiten
Fröhlichen Gang durch beglückte Tage.

Bereits den König grüsst' ich verehrungsvoll,
Das Vaterantlitz: jetzt mit gedoppeltem
Lang langem Ruf, Heil, Heil! der liebens-
würdigen Jugend des Prinzen ruf' ich.

Den Bürger hört ER: was sich dem Volke passt,
Das weit gereift im Wechsel der Fügungen,
Dann weis' im Mass (gleich schwebt die Wage)
Wägt ER das Alte, das Neue wägt ER.“

Mit solchen Zeichen nahst DU, geliebter Prinz:
Diess fühlet, ringsum, ahnend das Bürgerherz;
Diess will, von Schifffahrtsfesseln ledig,
Künden der Strom, und die Lande künden's.

DU siehst den Rhein, wie schwankende Wogen er
Mit neuer Schifffahrt Künsten erhebt, und tos't;
Wie Städte, wachgewordnen Glanzes
Unter dem gütigen Herrn begierig,

Den starren Resten grauenden Alterthums,
Im Rost noch heilig, düsterem Mauernzug,
Kunstreihen fein'rer Zeiterfindung
Klug, in gefälligem Wechsel, mischen.

Und hier, in Wettstreit tretend mit jeder Stadt,
Rhenana, Mavors Tochter: (denn lange ward
Im wilden Mavorsreigen, lange
Blutig gerungen, damit den Musen

Das Friedens-Wohnhaus würde) mit schön'rem Klang
Von Deinem Vater, Prinz, und von DIR benannt,
Geschäftig zeigt dem günst'gen Sohn sie
Gaben des Vaters und milden Gründers:

Ergebner Liebe treue Bewahrerin,
Niemals verletzter, glaub' es! und eifrig stolz,
Mit reiner Brust, schuldfrei, Prometheus-
Funken zu nähren im heil'gen Hause.

Der hohen Gattin, Prinz, und dem Vater bald
Zurückgegeben, melde, wir bitten, diess:
Rhenana war dem König (Vater,
Glaub' es mir!) treu, und dem Vaterlande.

XLII.

Herrn Geheimen Staatsrath Niebuhr. *)

Empfangen Sie, verehrtester Herr Geheimer Staatsrath, meinen freudigen Dank für die interessanten Mittheilungen, welche Sie zunächst mir zukommen lassen.

Als ich jenes Gedicht einer ganz späten Zeit zuschrieb, hatte ich mir selbst nicht deutlich gemacht, was ich unter ganz später Zeit verstünde: aber nur um so mehr zieht mich die von Ihnen selbst hingestellte Möglichkeit an, dass das Gedichtchen aus dem fünfzehnten Jahrhundert sein könne, ob ich gleich kein Gedicht ähnlichen Versmasses aus dieser Zeit aufzuweisen habe. Auffallend ist doch auch, dass die Codices, von denen ich weiss, freilich weiss ich nur ein paar, bestimmt erst aus der 2ten Hälfte des 15ten Jahrhunderts sind, und dass namentlich in dem einen das Gedicht zwar mit einigen alten, aber auch mit Sachen zusammensteht, welche offenbar neu oder doch der Neuheit auf's höchste verdächtig sind. Nämlich in dem Wolfenbüttler Gud. 342. mit Copa, Moretum, mit der räthselhaften Heroide der Sappho, aber auch mit dem gleichfalls ziemlich häufig vorkommenden Gedichte de pulice, und den Versen eines Camillus Romanus. Doch was hält mich ab, den Inhalt des kleinen Codex ganz hierher zu setzen? *Ouidii. Saphos poetisse ad phaonem siculum libellus foeliciter incipit: — Publii Ouidii nasonis carmen de pulice foeliter incipit Camilli Romani de crudelitate fati pulcherrimi Adolescenti Kroli parthenopei uersus elegantissimi* und am Ende: *Camilli Romani carmina feliciter expliciunt: — Epigranma inuentum in antiquo marmore homenee* gewiss das Ihnen wohl bekannte, Burm. Anth. Lat. T. II. p. 90 sqq. *Epi-*
10 *granma Ouidii nasonis (hIC ego qui iaceo tenerorum —)* Fol-

*) Antwort auf ein Schreiben desselben über das Alter des Lieds Lydia bella puella. Rhein. Mus. 1829. S. 9.

gen sechs andere kurze *epigrammata sepulcralia*, die ich nicht näher bezeichnet habe. Dann: *Epigramma nynphe forme iactantis incipit* an dessen Ende: *Τελος.* Aber es geht gleich weiter: *Virgilii Maronis Mantuani Copa incipit feliciter: — Epitaphium tibulli poete illustris.* (*Te quoque uirgilio* —) Darauf, ohne Ueberschrift: *L idia bella puella candida* u. s. w. Zuletzt: *Virgilii Maronis mantuani moretus incipit:* und am Ende: *Publii Virgilii Maronis Moretus feliciter explicit: — Τελος.*

Ich sage nichts von der ersten Ausgabe, des Pomponius Gauricus, mit den Elegien des Pseudo-Gallus. Aber in den Ausgaben von Fano, welche neulich Bardili in Jahn's Jahrbüchern näher beschrieben hat, steht unser Gedicht sichtlich in verdächtiger Gesellschaft, mit ein paar ganz modernen Epigrammen zusammen. Obgleich ich diess, und was ich eben von dem codex ms. sagte, keinesweges für einen Beweis ausgebe. Denn warum sollte nicht in Handschriften und alten Ausgaben echtes und altes mit neuem untermischt vorkommen können?

Einen Leser an Ihnen zu finden, das hatte ich im stillen gehofft. Wie gross muss nun meine Freude sein, dass es mir, was ich gar nicht erwarten konnte, gelungen ist, von den kleineren Schätzen, welche Ihnen der Aufenthalt in jenem noch immer gesegneten Lande eingebracht hat, etwas hervorzulocken.

XLIII. *)

Valerii Catonis Poemata recensuit et praemissa commentatione additisque animadversionibus illustravit Carolus Putschius Seminarii Philologici Ienensis Sodalis Ord. Ienae, MDCCCXXVIII. 8.

Dass mir vergönnt ist, von der Regel dieser Zeitschrift, welche bisher reichlich mit anderm Stoffe versehen, keine Recensionen und Relationen aufnahm, eine Ausnahme zu machen, betrachte

*) Rhein. Museum für Philol. 1829. S. 148.

ich als eine besondere Gefälligkeit. Es lag mir daran, auf's baldigste theils einen wackern jungen Mann zu begrüssen, über dessen Unternehmung und Leistung ich vielleicht besser als ein anderer urtheilen kann; theils auf manche an mich, auch öffentlich, ergangene freundliche Mahnung öffentlich die Antwort zu ertheilen, dass ich meinen Cato noch im Laufe dieses Jahres werde erscheinen lassen können: was bis hieher gezögert worden, und was bis dahin vergeht, soll hoffentlich dem Cato zu gute kommen. Endlich habe ich einen dritten Grund laut zu werden. Ich will eilen, ein paar Conjecturen und Bemerkungen zu occupiren, die mir etwa bei der durch Hn. Putsche erregten Aufmerksamkeit auf diesen Dichter vorweggenommen werden könnten, und zwar solche, bei denen man sich wundern muss, dass sie nicht schon längst einem Kritiker in den Sinn gekommen sind. So unbefangen und uneigennützig man sich für das Zunehmen der Wissenschaft überhaupt interessiren mag, es bleibt doch immer ein wenig verdriesslich, wenn man im einzelnen sich den Ruhm der ersten Entdeckung genommen sieht.

149 Hr. Putsche unternahm seine Arbeit in Folge einer Preisaufgabe und eines Programms von Hn. Geh. Hofrath Eichstädt, um das ich mich vergebens bemüht habe. Doch ich verlasse schon hier den gewöhnlichen Gang einer Recension, um so mehr, da bereits Hr. D. Sillig in Jahn's Jahrbüchern diesen Hergang der Sache, und wie Hr. Putsche seine Arbeit angeordnet, berichtet hat. Das Hauptverdienst dieser Arbeit scheint mir, abgesehen von richtiger Wahl vieler einzelnen Lesarten, und einzelnen treffenden Bemerkungen, darin zu bestehen, dass Hr. P. seit lange der erste sich ernstlich und mit Erfolg um den Zusammenhang des Dichters, namentlich um den Zusammenhang und Fortgang der Gedanken in dem Gedicht Dirae bemüht hat. Seit Scaliger, der meistens das richtige hatte, wie überhaupt zu vermuthen steht, und auch aus einzelnen Andeutungen geschlossen werden kann, war in diesem Puncte, ausser etwa von Wernsdorf, so gut als nichts geschehen: und viele Conjecturen verschiedener Gelehrten beweisen, dass man von dem, was der Dichter an den einzelnen Stellen sage und sagen wolle, und sagen müsse, durchaus keine deutliche Vorstellung hatte.

In der Einleitung ist der Gedanke neu, und auf den ersten Blick einschmeichelnd, dass die *Indignatio* des Cato ein Aufsatz in Prosa gewesen: aber er verwickelt in unauflösliche Schwierigkeiten, wie es denn, wenigstens zum Theil, dieser Gedanke ist, der Hn. P. auf die seltsame Meinung gebracht, dass wir in den *Diris* gleichsam zwei Gedichte haben, nehmlich ein früheres, nachmals von demselben Dichter durch Vorsetzung eines Proömiums und Einschaltung einzelner Verse interpolirtes. Aber Hr. P. hat überhaupt eine zu geringe Meinung von seinem Dichter. Und hier berühren wir einen zweiten Hauptpunct der Einleitung. Wo steht denn, dass Cato Zeit seines Lebens ein Grammatikus gewesen? In spätern Jahren hat er zu Rom von der Grammatik Profession gemacht; in der Jugend war er nicht mehr und nicht weniger Grammatiker, als es Lucrez, Virgil und ungefähr alle 150 alten Dichter gewesen sind. Also ohne den Cato für einen grossen Dichter ausgeben, und ohne läugnen zu wollen, dass er gewisse Eigenthümlichkeiten hat, müssen wir denselben doch gegen manchen hie und da von Hn. P. eingestreuten Tadel verwahren. Z. B. zu dem andern Gedicht, welches Hr. P. fälschlich für die ganze *Lydia* hält, Vers 26. (129.) *tauro Iove digna vel auro.* Der Gleichlaut, denn den meint doch wohl Hr. Putsche? — ist richtig bemerkt: es ist ein zwar nicht gesuchter, aber, da er sich darbot, gern angenommener Gleichklang. Er soll den Grammatiker verrathen. Ich füge gleich ein ähnliches Beispiel bei, das Hr. P. nicht bemerkt zu haben scheint: ebendas. V. 4. (107.) *vobis mea Lydia ludit.* Soll Cato auch darum ein Grammatiker sein? Ja, wenn auch Plautus ein Grammatiker ist, *Bacchid.* I. 2, 21. *Non omnis aetas, Lyde, ludo convenit.* Ich habe vor, über diese gewaltige Hinneigung, besonders der ältern lateinischen Dichter, aber man kann sagen, der lateinischen Sprache überhaupt, zu Gleichklang und Allitteration aller Art, etwas umständlicheres und umfassenderes, als wir meines Wissens darüber haben, anzubringen. Ein schwacher Theil des vorliegenden Buches ist der kritische Apparat, und was darüber gesagt wird: doch hier gegen Hn. Putsche streng sein zu wollen, wäre in mehrfacher Hinsicht unbillig. Ich lege auf diesen Theil meiner Arbeit um so mehr Werth, als ich mir der Zeit und Mühe

bewusst bin, die ich darauf verwendet, zum Theil auch wohl verloren habe. Einmal musste die Arbeit doch gethan werden, und sie wird, denke ich, allen nützlich werden, die sich mit dieser Familie von Gedichten beschäftigen. Mit genauer Darlegung eines bis auf einen gewissen Grad vollständigen Apparats scheint mir im Cato, und in den andern Gedichten dieser alten Sammlung, schon viel gethan, und der Kritik ziemlich sicher ihr Weg vorgezeichnet zu sein. Etwas mehr und genaueres hätte Hr. P. wohl auch ohne neue Hülfsmittel sagen können: aber wie
151 gesagt, es soll hier nichts getadelt werden.

Was ist nicht schon von alter Zeit bis auf die neueste in *Dir.* 78. conjicirt worden! Das richtige hat längst Scaliger mit Einem Worte angegeben: *Qui dominus infesta minantes stagna relinquant.* Er aus Conjectur, die aber von allen besten Handschriften so viel gestüzt wird, als nur gewünscht werden kann. Dasselbe Schicksal hat Vers 88. gehabt, in der vortrefflichen Stelle, wo Cato sich darstellt, wie er Schritt vor Schritt, immer den Blick zurückgewendet, weiter und weiter von dem geliebten Gute sich entfernt. Hr. Sillig hat neuerdings gewissen andern Versuchen mit Recht die Lesart sämmtlicher Handschriften, *campos audire licebit*, entgegengestellt: ganz recht, so kann man sagen, sämmtlicher Handschriften. Aber an dieser Lesart nun braucht nichts emendirt zu werden: sie ist einzig gut, wie sie ist. Man denke sich nur nach *licebit* ein Colon, kein Punct. Indem sich der Dichter die Hügel und Berge denkt, welche ihm, dem fortwandernden, bald den Rückblick auf sein Gut und Land verschliessen werden, sagt er: das Gefild (natürlich das, aus dem er eben geschieden,) wird noch (dann, wann ich es durch die Berge verhindert nicht mehr sehen kann,) meinen Abschiedsruf, *Dulcia rura valete etc.* vernehmen können. Dabei ist noch eine Feinheit, eine Art Doppelsinn, zu bemerken. An sich scheint der Abschiedsruf *Dulcia rura valete* u. s. w. an dieser Stelle leidenschaftslos zu sein: der Dichter kündigt ja nur an, welchen Ruf das Gefild bald von ihm aus der Weite hören werde. Man muss sich aber wohl dennoch den Ruf auch hier mit lebhaftem Gefühl gesprochen denken: er anticipirt hier, noch im Angesichte seiner Fluren und Felder, den Abschiedsruf, den dieselben nachmals wieder-

holt aus der Ferne hören sollen. Uebrigens ist über diese Stelle, so wie über die vorher angeführte, noch etwas in Hinsicht der Sprache zu bemerken. Die Conjectur *quocum*, wofür ich *quicum* vorzog, und *Cypria*, *Eclog. v.* 66. und 68. (169. u. 171.) hat 152
mir richtig Hr. Putsche weggenommen. Es ist diess, womit ich Hn. P. den Ruhm seiner Erfindung nicht schmälern will, eine von den Conjecturen, welche sich, so zu sagen, ausrechnen lassen. Ich wenigstens bin auf diesem Wege dazu gelangt. Da nehmlich die Vulgata *mecum* Vs. 66. offenbar sinnlos ist, und, wie schon N. Heinsius bemerkte, an dieser Stelle von einer Liebschaft der Venus die Rede sein muss; da ferner zu diesem Zwecke entweder der Name des Liebhabers oder, weil diess nicht ohne grosse Gewaltthätigkeit geschehen könnte, der Name der Venns hergestellt werden muss, welches wieder nicht füglich in Vers 66. sondern nur in Vs. 68., wo die Lesart ohnehin schwankt, geschehen kann: so scheint nichts übrig zu sein, als dass man Vs. 66. *quocum* oder *quicum* lese, und für Vs. 68. einen dreisylbigen Namen der Venus suche; und welchen anders, als *Cypria?* Ebendaselbst v. 43. (146.) kommt Hrn. Sillig's *decens* der Wahrheit am nächsten. Ich gebe die Stelle, wie ich sie längstens gelesen, so: *Phoebe, r e c e n s in te laurus celebravit amorem.* Vortrefflich, wenn nicht alles täuscht: denn, wie Ovid sagt, vor Apolls Begebenheit mit der Daphne — *nondum laurus erat.* Und wie leicht die Veränderung, RECENS aus GERENS. Aber freilich müssen auch die nächsten Verse recht gelesen und erklärt werden.

Noch eine einzelne Erklärung. Wer mag *Eclog. v.* 50. (153.) die Jungfrau aus der heroischen Zeit sein, son welcher wie sprichwörtlich gesagt wird, dass sie dem Manne *sicut captiva* gefolgt sei? Es ist M e d e a, die *ἀλῆτις* oder *ἀλήμων*, die *ξεινοβάκχη*, und wie sie sonst heisst. Vgl. *Propert.* II. 34, 8. obgleich da die Wortähnlichkeit mit Cato nur eine zufällige ist. Derselbe IV. 5, 41. *Nec te Medeae delectent proba s e q u a c i s.*

XLIV.*)

Dikäarchus,

περὶ μουσικῶν ἀγώνων, und *βίος Ἑλλάδος.*

Dass der berühmte Dikäarchus, denn nur von diesem wird hier die Rede sein, da sich von den Arbeiten eines spätern Grammatikers desselben Namens noch keine sichern Spuren gefunden: dass also der berühmte Dikäarchus, Messenier, aus Sicilien, Schüler des Aristoteles, keine Didaskalien geschrieben, kann seit Casaubonus, in der bekannten Stelle über die Didaskalien, für eine ausgemachte Sache gelten. Woher nun aber, aus welcher Schrift des Dikäarchus, die, wie man sie nennen kann, didaskalischen Notizen des Dikäarchus, welche schon Casaubonus angemerkt hat? Sie mögen auch hier stehen. Von den *Ranis* des Aristophanes, das Stück sei sehr bewundert worden, *ὥστε καὶ ἀνεδιδάχθη, ὥς φησι Δικαίαρχος: Argum. Ran.* 1. u. 2. bei Küster. Vom König Oedipus des Sophokles, dass er (ungeachtet seiner Vortrefflichkeit) besiegt worden, *ἡττηθέντα ὑπὸ Φιλοκλέους, ὥς φησι Δικαίαρχος: Argum. Oed. R.* Drittens in *Argum. Aiacis: Δικαίαρχος δὲ Αἴαντος θάνατον ἐπιγράφει· ἐν δὲ ταῖς διδασκαλίαις ψιλῶς Αἴας ἀναγέγραπται.* Den ersten Versuch, diese Notizen unterzubringen, hat meines Wissens Wower *Polymath. c.* XII. *p.* 135. gemacht, in Erinnerung einer Stelle des *Sextus Empir. adv. Geometras p.* 310. wo er von den Bedeutungen des Wortes *ὑπόθεσις* spricht: *ταvῦν δὲ ἀπαρκέσει τριχῶς λέγεσθαι· καθ' ἕνα μὲν τρόπον, ἡ δραματικὴ περιπέτεια· καθὸ καὶ τραγικὴν καὶ κωμικὴν ὑπό-
41 θεσιν εἶναι λέγομεν· καὶ Δικαιάρχου τινὰς ὑποθέσεις τῶν Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους μύθων· οὐκ ἄλλο τι καλοῦντες ὑπόθεσιν, ἢ τὴν τοῦ δράματος περιπέτειαν.* Aus diesen Ὑποθέσεις

---

*) Rhein. Museum für Philologie. I. 1833. S. 40.

glaubte Wower, und eben so Fabricius zu der Stelle, jene Angaben gezogen. Ein ehrenwerther Einfall, der in der That kaum zu widerlegen sein würde, wenn nicht eine Stelle wäre, die weiter unten vorkommen wird. Denn das dürfte kein bedeutender Einwand sein, dass *Sextus Empir.* bloss Ὑποθέσεις Sophokleïscher und Euripideïscher Fabeln erwähnt. Von der Art einer solchen ὑπόθεσις giebt ein gutes Bild die auf uns gekommene des Grammatikers Aristophanes zur Antigone: Uebersicht des Inhalts, die man sich bei Dikäarchus etwas weitläufiger denken könnte, dann historische Angaben über Zeit und Umstände der Aufführung.

Beliebter ist eine andere Meinung geworden, dass jene Notizen, und andere verwandten Inhalts, aus einem Werke des Dikäarchus, *περὶ μουσικῶν ἀγώνων*, oder auch *περὶ μουσικῆς*, welcher allgemeinere Titel jedoch nur einmal vorkommt, und vielleicht nur der abkürzenden Eile des citirenden zu verdanken ist, geflossen. Dasselbe Werk, oder, was wahrscheinlicher, ein Theil des Werkes *περὶ μουσικῶν ἀγώνων*, wäre dann das Buch *περὶ Διονυσιακῶν ἀγώνων*. Diese ganze Meinung hat, in den wesentlichsten Puncten, so Jonsius aufgestellt, *de Scriptorib. H. Ph.* I. 16, 1. und 3. und dieselbe haben Reiske zu *Plutarch. Vol.* X. *p.* 509. Meineke *Quaest. Scen.* III. *p.* 2. vor Augen. Die Belegstellen sind zunächst diese. *Schol. Aristoph. Ran.* 1329. (1337.) und beinahe gleichlautend *Schol. Vesp.* 1277. (1231.) sowie in v. *σκολιόν Suidas* und *Photius*: *ὡς μὲν Δικαίαρχος ἐν τῷ περὶ μουσικῶν ἀγώνων, ὅτι τρία γένη ἦν ᾠδῶν, τὸ μὲν ὑπὸ πάντων ᾀδόμενον καθ' ἕνα ἑξῆς· τὸ δὲ ὑπὸ τῶν συνετωτάτων ὡς ἔτυχε τῇ τάξει, ὃ δὴ καλεῖσθαι διὰ τὴν τάξιν σκολιόν. Schol. Nub.* 1354. (1364.) *Δικαίαρχος ἐν τῷ περὶ μουσικῆς· ἐπεὶ δὲ κοινόν τε πάθος* u. s. w. vom Zweige in den Händen der bei Gastmalen singenden. *Schol. Av.* 1411. (1403.) 42 *οἱ δὲ ἀρχαιότεροι Ἑλλάνικος καὶ Δικαίαρχος, Ἀρίονα τὸν Μηθυμναῖον (κυκλίους χοροὺς στῆσαι πρῶτον). Δικαίαρχος* (vulg. *Δήμαρχος*) *μὲν ἐν τῷ περὶ Διονυσιακῶν ἀγώνων, Ἑλλάνικος δὲ ἐν τοῖς Κραναϊκοῖς.* Hier lässt sich gleich als wahrscheinliche Vermuthung anschliessen, dass *ὁ Παναθηναϊκός, ὁ Ὀλυμπικός*, nur Nebenpartieen des Werkes *περὶ μουσικῶν ἀγώ-*

νων gewesen zu sein scheinen. Also ὁ *Παναθηναϊκὸς ἀγών*, ὁ *Ὀλυμπικὸς ἀγών*; nicht etwa, wie der unglückliche Gedanke des Meursius war, die Olympische, die Panathenäische Rede, λόγος. *Schol. Aristoph. Vesp.* 564. (542.) ὁ μέντοι Δικαίαρχος ἐν τῷ Παναθηναϊκῷ οὐκ οἶδα ἐξότου ποτὲ καὶ τὰς γραῦς ἐν τοῖς Παναθηναίοις ὑπείληφε θαλλοφορεῖν. *Athenaeus* XIV. 620. D. τοὺς δ' Ἐμπεδοκλέους Καθαρμοὺς ἐῤῥαψῴδησεν Ὀλυμπίασι Κλεομένης ὁ ῥαψῳδός, ὥς φησι Δικαίαρχος ἐν τῷ Ὀλυμπικῷ. Auf ein solches Werk passt nun vortrefflich, was Plutarch sagt, eben in jener Stelle, zu welcher Reiske sich auf die angegebene Weise ausspricht, *Non posse suaviter vivi sec. Epic. p.* 1096. A. den Aristoteles, und Theophrastus, und Hieronymus, und Dikäarchus, hätten ergötzt, οἱ περὶ χορῶν λόγοι, καὶ διδασκαλίαι, καὶ τὰ δι' αὐλῶν (?) προβλήματα, καὶ ῥυθμῶν καὶ ἁρμονιῶν. Ausserdem eine ziemliche Anzahl von Angaben aus Dikäarchus, ohne Nennung des Werkes. Wie bei *Zenob.* II. 15. in dem Sprichwort ἄειδε τὰ Τέλληνος (vgl. ebendas. I. 45.), die Angabe: οὗτος ὁ Τέλλην ἐγένετο αὐλητής, καὶ μελῶν ἀνυποτάκτων ποιητής. μέμνηται αὐτοῦ Δικαίαρχος ὁ Μεσσήνιος. auf das Werk περὶ μουσικῶν ἀγώνων, oder περὶ μουσικῆς, bezogen von Ruhnken *Epist. crit.* I. *p.* 119. und von Meineke l. l. Ebenfalls bei Meineke, des Dikäarchus Angabe über des Aristophanes Sohn Philetärus: *Schol. Platon. Bekker.* p. 331. Ferner würde man hieher, nach Jonsius, die obenerwähnten τινὰς ὑποθέσεις τῶν Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους μύθων zählen können, welche sonach keine besondere Schrift ausgemacht hätten.

43 Wofür einigermassen der Umstand spricht, dass *Sextus Emp.* nur τινὰς ὑποθέσεις nennt. Und dann wäre auch kein Grund mehr, für zwei Stellen des Plutarch, die eine Beschäftigung des Dikäarchus mit Euripides bezeugen, einen Platz in den Lebensbeschreibungen, Βίοις, des Dikäarchus zu suchen, wie Menage zu *Diogenes Laert. p.* 83. *ed. Lond.* (*p.* 463. *ed. Hübner.*) und auch Jonsius *p.* 105. thut: sondern man könnte sie allenfalls auf das Werk περὶ μουσικῶν ἀγώνων beziehen. Die Stellen sind diese. *Plutarch.* in der genannten Schrift, *p.* 1095. *A.* γράφειν περὶ Ὁμήρου καὶ περὶ Εὐριπίδου, ὡς Ἀριστοτέλης, καὶ Ἡρακλείδης, καὶ Δικαίαρχος. Und in der Schrift περὶ τοῦ εἰ

του ἐν Δ. gleich zu Anfang, *p.* 384. *D.* Στιχιδίοις τισὶν οὐ φαύλως ἔχουσιν, ὦ φίλε Σαραπίων, ἐνέτυχον πρώην, ἃ Δικαίαρχος Εὐριπίδην οἴεται πρὸς Ἀρχέλαον εἰπεῖν, Οὐ βούλομαι u. s. w. (*Matthiae Fragm. Eurip. p.* 94.) Ja, auch die Notizen über den γέρανος der Delier, und über die Erfindung des Ballspiels, wird man einer flüchtigen Erwähnung in einem Werke περὶ ἀγώνων würdig finden, wenn man Stellen, wie die oben aus den Scholien zu Aristophanes beigebrachten, vergleicht, und sich überhaupt erinnert, wie die Griechen alles zur Kunst, und zum Wetteifer in der Kunst, ausbildeten. *Plutarch. Theseus c.* 21. *p.* 9. *D.* καλεῖται δὲ τὸ γένος τοῦτο τῆς χορείας ὑπὸ Δηλίων γέρανος, ὡς ἱστορεῖ Δικαίαρχος. *Athenaeus* I. 14. *E.* Erfindung des Ballspiels, welche andere andern zuschrieben, Δικαίαρχος δὲ Σικυωνίοις. So urtheilte auch Jonsius *p.* 104. nur dass er, um diess hier beiläufig zu bemerken, περὶ μουσικῆς für den Haupttitel des Werkes, und περὶ μουσικῶν ἀγώνων für einen Theil desselben hält. Endlich findet hier seine höchst passende Stelle, was in der *Vita Aeschyli* bei *Robortellus p.* 11. steht: τὸν τρίτον ὑποκριτὴν αὐτὸς (*Aeschylus*) ἐξεῦρεν· ὡς δὲ Δικαίαρχος ὁ Μεσσήνιος, Σοφοκλῆς. nicht übersehen von Jonsius *p.* 105. Und so ist man versucht, auch anderes, was dieser *Vita* eigenthümlich ist, wenn es den Anstrich einer didaskalischen Notiz hat, auf 44
Dikäarch und sein Werk zu beziehen. Wie ich neulich, obgleich nur schüchtern, und gleichsam fragweise, mit der Notiz über die zweite Aufführung der Perser gethan habe.

Fragen und Bedenken bleiben auf allen Seiten übrig. Theils über einzelnes, weil eines und das andere von der Art ist, dass es in allerlei Zusammenhang passt. Z. B. die Erwähnung von Versen, welche Euripides an den Archelaus gerichtet, scheint zwar am passendsten dahin gedacht zu werden, wo von dem Aufenthalte des Euripides bei diesem Könige die Rede war: aber sie könnte doch auch gelegentlich, in anderm Zusammenhange, und anderswo, vorgekommen sein. Von Tellen, dem Flötenspieler und Dichter, sprach Dikäarchus, wie auch mir scheint, da, wo er von Auletik überhaupt sprach: aber möglich wäre es doch auch, dass ihn irgendwo das Sprichwort ἄειδε τὰ Τέλληνος gelegentlich auf Tellen gebracht hatte. Wie er einmal

ein anderes Sprichwort beigebracht und erläutert hat: *Hesych.* *ἐν πίθῳ τὴν κεραμείαν μανθάνω*, und *Zenobius* III. 65. Dabei konnte er auch auf das Wort des Epaminondas kommen, *Plutarch. Apophth. Regum et D. p.* 193. *F.* Und nicht bloss einzelnes ist ungewiss. Es fällt überhaupt schwer, sich eine deutliche Vorstellung von diesem Werke des Dikäarchus, von dem Masse seiner Ausführlichkeit oder Kürze, zu machen. Eine catalogmässige Aufzählung der Künstler, z. B. der Aulöden, hat er wohl schwerlich gegeben: also nur die, welche Epoche gemacht, und von denen er etwas besonderes bemerken wollte.

Aber was mich neulich nicht allein von der Notiz über Wiederaufführung der Perser, sondern von dem Werke *περὶ μουσικῶν ἀγώνων* überhaupt, so schüchtern sprechen machte, ist ein anderer Umstand, welcher der ganzen Sache eine neue Wendung zu geben, und wenigstens eine wichtige neue Bestimmung und Beschränkung der bisher vorgetragenen Ansicht zu erheischen
45 scheint. Wenn nehmlich eine den oben vorangestellten Notizen, die wir didaskalische genannt haben, ganz ähnliche ausdrücklich aus einem andern bekannten Werke des Dikäarchus angeführt wird, so schwindet der Schein, dass jene zuerst von uns angeführten in dem Werke *περὶ μουσικῶν ἀγώνων* gestanden, und die Vorstellung, welche wir bisher von diesem Werke hatten, modificirt sich bedeutend. Das ist nun der Fall. Die Meinung des Dikäarchus, eine seltsame Meinung, dass Euripides seine Medea vom Neophron entlehnt habe, stand in dem *Βίος Ἑλλάδος*, dem, wie man sagen kann, berühmtesten und grössten Werke des Dikäarchus: dem einzigen, fast dem einzigen, welches Suidas unter seinem Namen anführt. Es ist diess, beiläufig gesagt, die Stelle, durch welche auch Wower's Vorstellung von den *Ὑποθέσεις* als einer besondern Schrift widerlegt wird. *Argum. Medeae*, und zwar in dem zuerst von Brunck edirten Theile: *Τὸ δρᾶμα* (die Medea) *δοκεῖ ὑποβαλέσθαι* (Euripides), *παρὰ Νεόφρονος διασκευάσας* (Elmsley's Lesart), *ὡς Δικαίαρχός τε περὶ τοῦ Ἑλλάδος βίου, καὶ Ἀριστοτέλης ἐν Ὑπομνήμασι.* Wenn das in dem *Βίος Ἑλλάδος* hat stehen können, und gestanden hat, wie sich denn an der Richtigkeit dieser Angabe gar nicht zweifeln lässt, wer will es wahrscheinlich finden, dass jenes von

der Wiederholung der *Ranae*, von Besiegung des Sophokles durch Philokles, von der Aufschrift des Ajax, nicht in diesem Werke, sondern in einem andern gestanden? Der Fall wiederholt sich. Eine Nachricht über die *κρέμβαλα*, Castagnetten, wonach die Weiber tanzten, und ein darauf bezügliches Bruchstück aus einem *ᾆσμα Ἀρτέμιδος*, würden wir vorhin in das Werk *περὶ μουσικῶν ἀγώνων* zu setzen geneigt gewesen sein: aber sie stand gleichfalls in dem *Βίος Ἑλλάδος*. *Athenaeus* XIV. 636. *C.* *καθάπερ τὰ κρέμβαλα. περὶ ὧν φησι Δικαίαρχος ἐν τοῖς περὶ τοῦ τῆς Ἑλλάδος βίου, ἐπιχωριάσαι φάσκων* u. s. w. Und wer wird nun nicht das ähnliche, die Erfindung des Ballspiels, den Kranichtanz, und überhaupt alles oben angeführte, mit Ausnahme der Stellen, wo ausdrücklich *ἐν τῷ περὶ μουσι-* 46
κῶν ἀγώνων, περὶ μουσικῆς, περὶ Διονυσιακῶν ἀγώνων, und *ἐν τῷ Παναθηναϊκῷ*, *Ὀλυμπικῷ*, citirt wird, lieber in dem *Βίος Ἑλλάδος*, als anderswo, suchen? So schrumpft nun freilich das Buch *περὶ μουσικῶν ἀγώνων* auf eine unerfreuliche Weise zusammen, und wir mühen uns vergebens mit dem Gedanken den Plan zu erreichen, das Princip der Sonderung, nach welchem Dikäarchus einiges in dem *Βίος Ἑλλάδος*, anderes, ähnliches, ganz verwandtes, in dem Buche *π. μ. ἀ.* niederlegte.

Man erräth vielleicht schon den Gedanken, welchen ich hier vorzutragen beabsichtige. Von dem *Βίος Ἑλλάδος* habe ich im allgemeinen das Bild, welches deutlich genug *Hieronymus adv. Iovinianum lib.* II. vorgezeichnet, wenn er citirt *Dicaearchus in libris antiquitatum, et descriptione Graeciae.* Nach ihm *G. I. Vossius de Historicis Gr.* I. 9. — *libros tres de populis, et civitatibus Graeciae; in quibus egit de singulorum populorum, et civitatium moribus, vitaeque institutis; quae caussa est, cur eos inscripsit περὶ τοῦ τῆς Ἑλλάδος βίου.* Den griechischen Ausdruck giebt wörtlich, *vita Graeciae*, in einer gleich nachher anzuführenden Stelle, Varro wieder, dessen ähnlichen Titel, *de vita populi Romani*, bereits Rittershusius, und Fabricius in der *Biblioth. Graeca* verglichen haben, und einen *Βίος Ἑλλάδος* unter dem Namen des Jason, eines Schülers des Posidonius, Küster zu *Suid.* v. *Δικαίαρχος*. Man kann auch Dodwell *De Dicaearcho, eiusque Fragmentis* §. 8. *pag.* 19. in *Hudson Geographis minorib.*

Vol. II. nachsehen, der nicht übel so umschreibt: *de victu moribusque Graeciae.* Also περὶ τοῦ βίου τῆς Ἑλλάδος, oder, was das ursprünglichere sein mag, kurz, Βίος Ἑλλάδος, wie *Suidas v.* Δικ. und *Stephanus Byz. v.* Δώριον und *v.* Χαλδαῖοι citiren, Leben von Griechenland, ein zufällig auch uns geläufiger Ausdruck, die wir viel von kirchlichem Leben, Staatsleben, Volks-
47 leben, hören, nur dass der griechische Ausdruck einfacher gefasst war: Darstellung des natürlichen (geographisches), politischen, und Sittenzustandes von Griechenland, und zwar sowohl des bestehenden, als auch, historisch, wie er geworden. Ein wahres Universalwerk. Unter dem Sittenzustande die Künste mit, z. B. das Theater, wie mit Recht ausdrücklich Marx annimmt zu dem grossen Bruchstück aus dem Βίος Ἑλλάδος, in Creuzers *Melet. e discipl. antiquitatis P.* III. *p.* 174. Aber auch Vossius in der angeführten Stelle kann daran mit gedacht haben. Hier ist nun die Stelle, wo die von uns angeregten Widersprüche und Zweifel ihre Vermittlung und Lösung zu finden scheinen. περὶ μουσικῶν ἀγώνων, περὶ Διονυσιακῶν ἀγώνων, u. s. w. mögen Unterabtheilungen, Abschnitte des letztgenannten Theiles des Βίος Ἑλλάδος gewesen sein. Feste und Spiele, ἀγῶνες, müssen darin natürlich eine Hauptstelle eingenommen haben. Also der Olympische Agon, der Panathenäische Agon, und andere. Μουσικοὶ ἀγῶνες, die Kunstspiele, im engern Sinn. Davon eine Partie, und die Hauptpartie, wie man sagen kann: Διονυσιακοὶ ἀγῶνες, namentlich das Theater: wohin, wie man auch ohne mein Bemerken sieht, die Erwähnung des Arion vortrefflich passt. In diesen genannten Abschnitten wird das oben gesammelte, wo nicht alles: denn eines und das andere kann Dikäarchus gelegentlich in einem andern Theile seines Werkes, oder auch in einem andern Werke, beigebracht haben: aber doch das meiste, gestanden haben; die Grammatiker aber citirten bald den Haupttitel des Werkes, bald, etwas bestimmter, die Titel der Abschnitte.

Von Anlage, Ordnung, Umfang des ganzen Werkes ist es schwer, und vielleicht unmöglich, jetzt noch ein deutliches Bild zu gewinnen. Manches liegt ziemlich zu Tage. Es waren da die ersten Zustände griechischer Menschheit vorangestellt. *Varro*

R. R. I. 2. *Et quidem licet adiicias, inquam, pastorum vitam esse incentivam, agricolarum succentivam, auctore doctissimo homine Dicaearcho, qui Graeciae vita qualis fuerit ab initio, nobis* 48
ita ostendit, ut superioribus temporibus fuisse doceat, cum homines pastoritiam vitam agerent, neque scirent etiam arare terram, aut serere arbores, aut putare, ab his inferiore gradu aetatis susceptam agriculturam. Und wieder II. 1. *Igitur, inquam, et homines et pecua cum semper fuisse sit necesse, natura* (?) — *necesse est humanae vitae a summa memoria gradatim descendisse ad hanc aetatem, ut scribit Dicaearchus: et summum gradum fuisse naturalem, cum viverent homines ex iis rebus quae inviolata ultro ferret terra, ex hac vita in secundam descendisse, pastoritiam*, etc. *Porphyrius de abstin.* IV. 2. *p.* 294. 295. *ed. Rhoer.* *Τῶν τοίνυν συντόμως τε ὁμοῦ καὶ ἀκριβῶς τὰ Ἑλληνικὰ συναγαγόντων ἐστὶν καὶ ὁ περιπατητικὸς Δικαίαρχος, ὃς τὸν ἀρχαῖον βίον τῆς Ἑλλάδος ἀφηγούμενος, τοὺς παλαιοὺς καί ἐγγὺς θεῶν φησι γεγονότας, βελτίστους τε ὄντας φύσει καὶ τὸν ἄριστον ἐξηκότας βίον, ὡς χρυσοῦν γένος νομίζεσθαι, παραβαλλομένους πρὸς τοὺς νῦν, κιβδήλου καὶ φαυλοτάτης ὑπάρχοντας ὕλης, μηδὲν φονεύειν ἔμψυχον.* dann, nach ein paar Versen des Hesiodus (*Ἐργ.* 117. *sq.*): *ἃ δὴ καὶ ἐξηγούμενος ὁ Δικαίαρχος, τὸν ἐπὶ Κρόνου βίον τοιοῦτον εἶναί φησιν.* Gleichlautend Hieronymus in der oben angezogenen Stelle: *Dicaearchus in libris antiquitatum, et descriptione Graeciae, refert, sub Saturno, id est, in aureo saeculo, cum omnia humus funderet, nullum comedisse carnes, sed universos vixisse frugibus, et pomis, quae sponte terra gignebat.* Gehört hierher auch das Citat bei *Censorinus de d. natali?* Eher in ein philosophisches Werk. — Im Verlauf dieser Urgeschichte kann man sich die Schilderung denken, welche Dikäarchus von der Gestalt des Herkules machte: *Clemens Alex. Προτρεπτ. p.* 19. *C.* Nicht sehr wahrscheinlich klingt die Vermuthung von Marx in der angeführten Stelle, dass Dikäarch im ersten Buche den ehemaligen Zustand von Griechenland, im zweiten den seiner Zeit beschrieben. Man kann eine Einleitung aus der Weltgeschichte vermuthen, und dahin setzen, 49
was bei *Stephanus Byz. v. Χαλδαῖοι* (vgl. *Eustath. in Dion. Perieg.* 768.) Dikäarchus *ἐν πρώτῳ τοῦ τῆς Ἑλλάδος βίου* von

Chaldäus, und, wenn alles das aus Dikäarchus ist, von Ninus, Babylon; sowie was er in *Schol. Apollon. Rhod.* IV. 272-76. ebenfalls ἐν πρώτῳ, von Orus, dem Sohne des Osiris und der Isis, von Sesostris oder Sesonchosis, von der Zeitrechnung bis auf die erste Olympiade herab, sagt. Doch gedachte er des Sesostris, wie man ebendaselbst liest, auch in seinem zweiten Buche. Eben so ist eine allgemeine geographische Einleitung, das Verhältniss von Griechenland zu der übrigen Erde bestimmend, an sich recht wahrscheinlich, und in dieser Einleitung lässt sich vielleicht zusammenfassen, was Strabo aus Dikäarch anführt. Wie auch Heeren *De fontibus geographicor. Strabonis Comment.* I. *p.* 9. das alles in den Βίος Ἑλλάδος zu ziehen geneigt ist. Passend zu dem angegebenen Zwecke wäre besonders, dass Dikäarchus die Entfernung vom Peloponnes zu den Säulen berechnete: *Strabo lib.* II. *p.* 105. (*p.* 164. *Almel.*) Obgleich der Zusammenhang, in dem das da *p.* 104. 105. oder *p.* 163. 164. steht, sowie was *lib.* III. *p.* 170. (259. *Almel.*) angeführt wird, und die Art wie Strabo zu Anfang seines Werkes von Dikäarchus spricht, endlich das von *Agathemerus lib.* I. *c.* 1. an zwei Stellen, aus Dikäarchus angeführte, mehr auf eine unabhängige Schrift über allgemeine Erdbeschreibung hinzudeuten scheint. Wobei sich freilich die neue Schwierigkeit ergiebt, dass eine solche Schrift des Dikäarchus nicht nachzuweisen ist, wenn man nicht mit des Casaubonus zu *Strab. lib.* I. *init.* Hinweisung auf eine Schrift von einigermassen ähnlichem Inhalt, Καταμέτρησις τῶν ἐν Πελοποννήσῳ ὀρῶν, und auf die Worte des Plinius: *Dicaearchus, vir in primis eruditus, regum cura permensus montes*, sich begnügen, oder sich an Dodwell halten will, der in der angeführten Dissertation *de Dicaearcho, eiusque fragmentis*, §. 6. und folgg. auf nicht ganz haltbare Grundlage ein
50 universalgeographisches Werk des Dikäarchus, Tafeln oder Charten mit einer Erläuterung dazu, baut. Die unter dem Namen des Dikäarchus gehende metrische Ἀναγραφὴ τῆς Ἑλλάδος πρὸς Θεόφραστον, auf welche sich Dodwell zumeist stützt, und in ihr ein Excerpt aus jener Erläuterung der Welttafeln sieht, hält wohl jetzt niemand mehr für des Dikäarchus Arbeit; und die Vermuthung, dass die Welttafeln des Dikäarchus keine andern

gewesen, als die in dem Testament des Theophrastus bei *Diog. Laert.* V. 2, 51. vorkommenden, ist bis auf weiteres nur ein ziemlich geschickter Einfall: so dass hier nichts einem Beweise ähnliches stehen bleibt ausser der freilich sehr bedeutenden Stelle des Cicero, von *Dicaearchi tabulis*, *ad Atticum* VI. 2. die doch aber auch, genau genommen, nur für eine Charte oder Tafel von Griechenland beweist. Aus dem ersten Buche des *βίος Ἑλλάδος* ist noch eine Stelle altgeographischen Inhalts bei *Steph. Byz. v. Δώριον*. Und die Bemerkung bei demselben *v. Πάτρα, ἓν τῶν τριῶν τῶν παρ' Ἕλλησι κοινωνίας εἰδῶν* u. s. w. findet auch leicht eine Stelle. Und geographisch klingt *Schol. Pindar. Boeckh.* zu *Olymp.* VI. 7. *τοῦ δὲ μαντείου τοῦ ἐν Ἤλιδι καὶ Δικαίαρχος μέμνηται.* Die 350 Kebsweiber, welche der letzte Darius in seinen Kriegen mit sich schleppte, erwähnte Dikäarch im d r i t t e n Buche, wahrscheinlich bei derselben Gelegenheit, bei welcher Athenäus in seinem dreizehnten Buche auf die Sache kommt, *p.* 557. *B. περὶ ἐρωτικῶν* handelnd. Anderes, was auf den ersten Blick sehr historisch aussieht, lässt sich doch näher betrachtet in keinen bestimmten Platz einweisen. Weil *Plutarch. Agesil. c.* 19. *p.* 606. *D.* schreibt: *καὶ ὁ Δικαίαρχος ἐπηγανάκτησεν, ὡς μήτε τὴν Ἀγησιλάου θυγατέρα, μήτε τὴν Ἐπαμινώνδου μητέρα ἔτι γινωσκόντων ἡμῶν*: darf man darum annehmen, dass Dikäarch eine Quelle für die Geschichte des Agesilaus gewesen? Man hat es geglaubt. Dann muss er wohl auch etwas genaues vom Epaminondas berichtet haben? Ich meine, weder das eine noch das andere. Die Worte passen sehr gut in eine allgemeine Betrachtung über die Unzulänglichkeit und Lückenhaftigkeit historischer 51
Zeugnisse. Es fallen einem dabei andere müssigere Fragen der Grammatiker ein, z. B. *quae mater Hecubae.* Schwieriger ist der folgende Punct. E t w a s p o l i t i s c h e s überhaupt schreibt dem Dikäarchus Cicero zu, *de Legibus* III. 6. 14. *Theophrastus vero institutus ab Aristotele, habitavit, ut scitis, in eo genere rerum, ab eodemque Aristotele doctus Dicaearchus, huic rationi studioque non defuit.* Das bestimmtere bei demselben Cicero, *Epist. ad Atticum* II. 2. *Πελληναίων in manibus tenebam, et hercule magnum acervum Dicaearchi mihi ante pedes exstruxeram. O magnum hominem: et a quo multo plura didiceris, quam de Pro-*

cilio. Κορινθίων et Ἀθηναίων puto me Romae habere. mihi credes, lege sis hoc otio; mirabilis vir est. Πελληναίων, Κορινθίων, Ἀθηναίων, wozu man richtig *πολιτείαν* supplirt, hielt man gewöhnlich für besondere Schriften, und so, wie es scheint, Reinesius *Var. Lect.* III. 3. *p.* 377. Mir will anhaltend die entgegengesetzte Meinung einleuchten, welche zu einer andern Zeit, und später, wie ich glaube, derselbe Reinesius *Obss. in Suidam p.* 68. bekannte, und neuerdings Marx in der angef. Stelle: dass es Bestandtheile, Abschnitte, des *Βίος Ἑλλάδος* gewesen. Dasselbe wird dann auch wahrscheinlich von der *πολιτεία Σπαρτιατῶν* gelten müssen, obgleich Suidas von dieser ziemlich bestimmt wie von einer besondern, den *βίος Ἑ.* nicht angehenden Schrift redet. Es schreckt mich nicht ab, dass in Folge dieser Meinung der *Βίος Ἑλλάδος* zu einem grossen, und wie vielleicht mancher urtheilen wird, ungebührlich grossen Umfang anzuwachsen scheint. Allerdings bezeugt *Suidas v. Δικαίαρχος*, und die Citate der Schriftsteller, die nicht über das dritte Buch hinausgehen, bestätigen es, dass dieses Werk nur aus drei Büchern, *βιβλίοις*, bestanden. Aber einmal ist nicht genau zu berechnen, wie viel ein Schriftsteller, der nach des Porphyrius charakteristischem Ausdruck *συντόμως τε ὁμοῦ καὶ ἀκριβῶς* zusammenstellte, übersichtlich und abrissmässig im ganzen, aber genau, und, wie ich
52 glaube, bei Gelegenheit mit ausgesucht gelehrtem Detail im einzelnen: wie viel ein solcher in einen verhältnissmässig geringen Raum zusammen zu drängen vermochte. Zweitens nöthigt oder berechtigt uns nichts zu der Annahme, dass Dikäarch die *πολιτείας* aller griechischen Staaten, und noch weniger, dass er sie alle mit gleicher Ausführlichkeit beschrieben. Ja, dass selbst diejenigen Politien, welche der Würdigkeit und Auszeichnung der Staaten gemäss, die ausführlichsten gewesen sein müssen, doch nicht starke Bände gewesen, lässt sich, wie mich dünkt, nicht ohne Wahrscheinlichkeit an der *πολιτεία Σπαρτιατῶν* zeigen, welcher *λόγος*, wie es Suidas nennt, wohl nicht in Sparta alle Jahre einmal öffentlich der Jugend vorgelesen worden wäre, wenn er sich nicht dazu auch durch compendiarische Kürze geeignet hätte. Doch wird der Umfang des *Βίος Ἑ.* und der einzelnen Bücher desselben immer als bedeutend erscheinen. Ci-

cero besass dasselbe, dieser Ansicht zufolge, nicht bloss in drei Büchern, sondern einzelne Unterabtheilungen der Bücher in kleinern *voluminibus*: so dass der Titel *Βίος Ἑλλάδος* gleichsam ein Sammlungs-Titel war: *Πελληναίων* besonders, *Κορινθίων* besonders, u. s. f. Noch ein paar mögliche Einwendungen nicht zu übergehen, so fragt sich, in welchem Verhältniss der *Τριπολιτικὸς* des Dikäarch zu den in dem *B. Ἑ.* enthaltenen Politien stand. Wenn nehmlich dieses Buch, was der Name wahrscheinlich macht, und die Gelehrten annehmen, ein besondres Buch, und wenn es politischen Inhalts war, und eine Darstellung dreier Staaten enthielt. Warum diese drei Staaten, die in dem *B. Ἑ.* doch auch einen Platz hatten, oder einen finden konnten, in eine besondere Schrift zusammengefasst? Man kann sagen, um ihrer Wichtigkeit willen, und weil Dikäarch einen besondern Zweck dabei hatte. Was dann mit der neuesten sinnreichen Vermuthung über den *Τριπολιτικός*, der von Passow in dem Proömium zum Breslauer Lect. Catal. Sommer 1829, zusammenträfe: dass 53
des Dikäarchus *Τριπολιτικὸς* eine Gegenschrift gegen den von Anaximenes dem Theopompus untergeschobenen *Τρικάρανος*, oder wie auch diese Schrift einmal genannt wird, *Τριπολιτικός*, eine Apologie der drei Staaten, Athen, Sparta, Theben, gewesen sei. Nur fragt sich auch dann wieder: in welchem Verhältniss stand diese zur Vertheidigung und Empfehlung geschriebene Darstellung der drei Staaten zu der von Cicero erwähnten Politie *Ἀθηναίων*, und zu der von Suidas angeführten *πολιτεία Σπαρτιατῶν*, seien dies nun, nach der eben auseinandergesetzten Ansicht, Bestandtheile des *Βίος Ἑλλάδος* gewesen, oder besondere Schriften für sich? Was Athenäus IV. p. 141. über die Phiditien aus Dikäarchus mittheilt, würde jeder in der *πολιτεία Σπαρτιατῶν* suchen, wenn nicht Athenäus ausdrücklich citirte *Δικαίαρχος — ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Τριπολιτικῷ.* Als eine besondere Schrift citirt den *Τριπολιτικὸς* auch Cicero *ad Atticum* XIII. 32. *Τριπολιτικὸν non invenio*, von Schriften des Dikäarchus redend. Aber diese Stelle mag ganz hier stehen, weil sie einen Zusammenhang mit einer andern bedenklichern hat. Also Cicero schreibt da: *Dicaearchi περὶ ψυχῆς utrosque velim mittas, et Καταβάσεως. Τριπολιτικὸν non invenio, et epistolam eius, quam*

ad Aristoxenum misit. Tres eos libros maxime nunc vellem: apti essent ad id, quod cogito. Darauf bezieht sich offenbar, was er bald darauf XIII. 39. schreibt: *Libros mihi, de quibus ad te antea scripsi, velim mittas, et maxime Φαίδρου περισσῶν, et Ἑλλάδος.* Bedenklich nenne ich diese zweite Stelle zunächst wegen der Unsicherheit der Lesart. *Φαίδρου περισσῶν* und *Ἑλλάδος* steht jetzt in den Ausgaben, und bei *Ἑλλάδος* denken sich *Reinesius V. L. p.* 377. und wohl alle, die so lesen, den *Βίος Ἑλλάδος.* Dafür *Ἑλλάδος* schlechtweg, ist mir eine etwas seltsame Kürze des Ausdrucks, nicht ganz zu vergleichen mit der XIII. 32. vorkommenden Abkürzung, *καταβάσεως*, statt *τῆς εἰς Τροφωνίου καταβάσεως*, und mit den obigen, *Πελληναίων, Κο-*
54 *ρινθίων, Ἀθηναίων.* Auch wollte Reinesius, so viel ich sehe, vollständig, *βίον Ἑλλάδος* lesen. An sich, und wenn die Handschriften nicht entschieden für *Ἑλλάδος*, oder *βίον Ἑλλάδος*, sprechen, kann man eben so gut, und vielleicht noch eher, auf den Titel eines philosophischen Werkes rathen. Meint aber Cicero da den *βίος Ἑλλάδος*, so widerspricht die Stelle in etwas der oben hingestellten Vorstellung, dass Cicero die einzelnen Abschnitte desselben, *Πελληναίων, Κορινθίων, Ἀθηναίων,* in einzelnen *voluminibus* gehabt.

Ueberhaupt habe ich diese Meinung, von jenen Politien als Bestandtheilen des *Βίος Ἑλλάδος*, mehr zur weitern Prüfung vorlegen, als mich dazu bekennen wollen. Sie fügt sich gut zu der im ersten Theile dieser Abhandlung mit grösserer Sicherheit, und vielleicht auch für andere überzeugend, vorgetragenen Meinung, dass *περὶ μουσικῶν ἀγώνων* u. s. w. Abschnitte des *Βίος Ἑλλάδος* gewesen. Für beide Meinungen kann endlich Suidas in einigen Betracht kommen, und seine Unvollständigkeit in Aufzählung der Schriften des Dikäarchus. Diese Unvollständigkeit ist eines Theils Nachlässigkeit. Z. B. die Bücher *περὶ ψυχῆς* hat er gradezu weggelazsen. Weggelassen die *εἰς Τροφωνίου κατάβασις*, welche Hemsterhusius zu *Lucian. Dial. mort.* III. *p.* 410. *Vol.* II. *Bip.* vielleicht besonders durch die Stelle bei *Athen.* XIII. 594. *F.* bewogen, für einen Theil des Werkes *περὶ τοῦ βίου τῆς Ἑλλάδος*, dem also auch er eine bedeutende Ausdehnung zugetraut haben muss, ansehen wollte. Weggelassen hat Suidas auch

die *Βίους*, an denen sich nach *Diogenes Laert.* III. 4. im Plato, nicht zweifeln lässt. Andern Theils ist die Unvollständigkeit des Suidas nur eine scheinbare, wenn manches, was bisher für eine besondere Schrift gehalten wurde, namentlich *περὶ μουσικῶν ἀγώνων*, in dem berühmten grossen Hauptwerke, denn für ein solches dürfen wir den *Βίος Ἑλλάδος* ansehen, mitenthalten war. Die Stelle des Suidas lautet so: *Δικαίαρχος, Φειδίου, Σικελιώτης, ἐκ πόλεως Μεσήνης, Ἀριστοτέλους ἀκουστής, φιλόσοφος, καὶ ῥήτωρ, καὶ γεωμέτρης. Καταμετρήσεις τῶν ἐν Πελοποννήσῳ* 55
ὀρῶν. Ἑλλάδος βίον ἐν βιβλίοις γ'. οὗτος ἔγραψε τὴν πολιτείαν Σπαρτιατῶν· (hier bricht Eudocia ab, und schliesst so: *Ἑλλάδος βίον ἐν τρισὶ βιβλίοις· καὶ Σπαρτιατῶν πολιτείαν.*) *καὶ νόμος ἐτέθη ἐν Λακεδαίμονι, καθ' ἕκαστον ἔτος ἀναγινώσκεσθαι τὸν λόγον εἰς τὸ τῶν Ἐφόρων ἀρχεῖον, τοὺς δὲ τὴν ἡβητικὴν ἔχοντας ἡλικίαν ἀκροᾶσθαι. καὶ τοῦτο ἐκράτησε μέχρι πολλοῦ.* Darauf folgt der Artikel von jenem unbekannten Dikäarchus: *Δικαίαρχος, Λακεδαιμόνιος, γραμματικός, ἀκροατὴς Ἀριστάρχου.* Ihm schrieb einmal Reinesius die *Ὑποθέσεις τῶν Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους μύθων* zu, *Obss. in Suid. l. l.* ein Gedanke, der sich immer hören lässt. Dagegen ist das Citat bei *Athenaeus* III. 85. *F.* welches Reinesius ebenfalls auf diesen Grammatiker Dikäarchus beziehen wollte, gewiss aus Dikäarchus, des berühmten Messeniers, Schrift *περὶ Ἀλκαίου*, die auch anderwärts bei Athenäus selbst vorkommt.

Vorstehendes konnte nicht geschrieben werden, ohne dass ich von Zeit zu Zeit einen Blick dahin warf, von wo man am ersten Aufklärung über das Hauptwerk des Dikäarchus erwarten sollte: auf das grosse zuerst von H. Stephanus, dann von D. Hoeschel, und Hudson, zuletzt von Marx in Creuzers *Melet. e disc. antiq.* edirte Bruchstück aus dem *Βίος Ἑλλάδος*. Ob aber die Sache wirklich so schwierig, oder nur mir der Sinn dafür verschlossen ist: ich habe bis jetzt mir nicht ganz deutlich machen können, wie sich diess, was wir haben, zu dem ganzen Werke verhalten haben mag. Dass wir nur ein Excerpt vor uns haben, ist schon aus dem Anfang klar: *Ἐντεῦθεν εἰς τὸ Ἀθηναίων ἔπεισιν ἄστυ*, sowie aus der Kürze im Citiren, *οἱ στίχοι Λυσίππου, οἱ στίχοι Ξένωνος*, die wir unstreitig besser dem Epitoma-

tor, als, mit H. Stephanus, dem Dikäarchus selbst anrechnen.
Auf der andern Seite ist das Ansehn nicht so sehr excerptmäs-
sig; alles ist, im ganzen, so wohl zusammenhangend, es sind
56 so viele kleine Züge mitgenommen, und sichtlich so viele Aus-
drücke und Wendungen des Dikäarchus wörtlich beibehalten:
kurz, es hat nicht das Ansehen, als habe der excerpirende da-
zwischen vieles ausgelassen. Daraus würde dann folgen, dass
Dikäarch an einer Stelle seines Werkes eine Uebersicht von Grie-
chenland, ungefähr so wie diese, und nicht um sehr vieles län-
ger, gegeben. Und daraus wieder, dass, wenn in diesem Werke
wirkliche Politien von Athen, und andern Städten und Staaten,
mitenthalten gewesen sind, diese an einer andern Stelle des Wer-
kes gestanden haben müssen. Denn, diese guten und zum Theil
sehr schätzbaren Notizen über Athen in allen Ehren, aber **das**
hätte Cicero schwerlich eine Politie von Athen genannt, und
davon allein schwerlich geschrieben: *lege sis hoc otio; mira-
bilis vir est.* Damit diess grösste Bruchstück nicht ganz unbe-
rührt bleibe, mag hier die interessanteste Dichterstelle stehen,
wie ich glaube dass sie geschrieben werden muss. Dikäarch,
oder der Epitomator des Dikäarch, führt zum Schlusse seiner
Beschreibung von Athen, *p.* 10. in Hudson's *Geographis min.
Vol.* II. oder *p.* 183. bei Marx, zunächst drei Verse des Lysip-
pus an. *Οἱ στίχοι Λυσίππου·*

Εἰ μὴ τεθέασαι τὰς Ἀθήνας, στέλεχος εἶ·
εἰ δὲ τεθέασαι, μὴ τεθήρευσαι δ', ὄνος·
εἰ δ' εὐαρεστῶν ἀποτρέχεις, κανθήλιος.

Diese schon vielerwähnt, und nicht schwierig. Daran schlies-
sen sich unmittelbar neun andere Verse, über welche ich weder
bei den ältern, H. Stephanus, und was sonst bei Hudson steht,
genügende Auskunft finde, noch mit Hermann's damals an Marx
brieflich mitgetheilten Gedanken, dem eiuzigen mir bekannten
neuern Beitrage, ganz übereinstimmen kann. Casaubonus, nach
den meisten seiner Lesarten zu urtheilen, war der Wahrheit
ganz nahe. Denn das ist doch wohl Casaubonus, von dem Hud-
son p. 10. *Vir doctus et κριτικώτατος* sagt? Ich gehe von der
Ansicht aus, die eben von Casaubonus — oder sind das Hud-
57 son's Worte? — ausgesprochen, mir zur festen Ueberzeugung

geworden ist, dass diese neun Verse, wie ihr Inhalt zeigt, mit den vorhergehenden drei gar nichts zu schaffen haben: sie handeln ganz und ausschliessend von **R h o d u s**. Durch irgend eine Confusion sind sie hierher zu stehen gekommen, und es ist selbst das zweifelhaft, ob sie überhaupt aus dem Werke des Dikäarchus sind. Glaublich, und sehr glaublich, ist nur das, dass es Verse des Lysippus sind, wie die vorhergehenden, und das ist vielleicht der Grund, weswegen sie hier beigeschrieben worden. So bloss auf jene ersten drei Verse bezogen, lässt sich nun auch *ὁ στίχος Λυσίππου*, wenn diess alte Lesart sein sollte, halten: die drei Verse konnten gewissermassen als einer, auf verschiedene Weise variirt, betrachtet werden. Ich sehe *ὁ στίχος Λυσίππου* bei Hudson gedruckt; doch bei H. Stephanus finde ich nur *οἱ στίχοι Λυσίππου*, sowohl in *Schediasm.* VI. 17. als in seiner Bearbeitung des dikäarchischen Bruchstücks, in *Vol.* XI. *Thes. Gronov.* Ueber den Komiker Lysippus vgl. Meineke *Quaest. Scen.* II. *p.* 50. *sq.* Die Verse über **R h o d u s** so:

Αὕτη πόλις ἔσθ' Ἑλληνὶς ἡ ῥόδων δίκην
εὐωδίαν ἔχουσα χἄμ' ἀηδίαν.
τὰ γὰρ Ἁλιεῖα τὰ μεγάλ' οὐ σχολὴν ἄγει·
τὸ δ' ἁλιακὸν ἔτος με μαίνεσθαι ποιεῖ.
ὅταν δὲ τὴν λεύκην τις αὐτῶν πραέως
ἁλιακὸν εἶναι στέφανον εἴπῃ, πνίγομαι
οὕτως ἐπ' αὐτοῖς, ὥστε μᾶλλον ἂν θέλειν
ἀποκαρτερεῖν, ἢ ταῦτ' ἀκούων καρτερεῖν.
τοιοῦτο τῶν ξένων τι καταχεῖται σκότος.

Αὕτη, nehmlich **R h o d u s**, auf welchen Namen auch mit dem
folgenden *ῥόδων* angespielt wird. *ἡ ῥ ό δ ο ι ς ἴ σ η ν εὐωδίαν*,
wie ich erst wollte, wäre zwar eine unverdächtige Kürze des
Ausdrucks, für die jedem gleich ein bekanntes Beispiel, das gezwungenere,
und eben darum nicht unverdächtige, homerische
κόμαι Χαρίτεσσιν ὁμοῖαι einfällt: allein weit fliessender ist doch
ἡ ῥ ό δ ω ν δ ί κ η ν εὐωδίαν ἔ. fliessender, und der Vulgata we- 58
nigstens eben so nahe, als jenes. Die Vulgata ist *ἡ ῥόδοις διασὴν*
u. s. w. *χἄμ' ἀηδίαν* mit Hermann, nach Vorgang anderer,
statt *καὶ ἀμαληδίαν.* Aber ich führe nicht jede Conjectur
und jede alte Lesart an, um so weniger, als ich den Apparat

nicht vollständig und genau beisammen habe. Der Gedanke selbst, dass Rosen Lust und Unlust machen, sieht aus wie ein Sprichwort, obgleich ich nichts dem ähnliches in Erinnerung habe. Man kann an das französische *toujours perdrix* denken. Die Rhodier werden wegen einer Uebertreibung verspottet, indem sie, aus Vorliebe für ihren Hauptcultus, alles mögliche was bei ihnen vorkam, mit ermüdender Affectation, wie es wenigstens den Komiker dünkt, von der Sonne, und zwar mit dem dorischen Laute, *ἁλιακόν*, und ähnlich, benannten. Dieser Dorismus, *Ἁλιεῖα*, und das zweimal stehende *ἁλιακόν*, ist nicht zu übersehen: er macht den Eindruck, welchen etwa in einer Uebertragung der Stelle in's Deutsche die Provincialaussprache Sunne, sunnig, machen würde. Vers 3. ist so, fast bis zu Ende, den Spuren der alten Lesart so genau nachgebildet, als irgend möglich. *ἁλίεια*, oder *ἁλιεῖα*, hatten schon andere gefunden, ohne Zweifel in Erinnerung an Athenäus XIII. 561. *E.* womit zu vergl. die von den Gelehrten nachgewiesenen Eustathius *in Odyss.* VI. 266. *p.* 1562. *extr.* Aristides im *Ῥοδιακός*, *p.* 808. *Vol.* I. *Dind.* Der Dichter hier gebraucht eine Mittelform zwischen der gewöhnlichen mit *ἥ*, und der, wie wir glauben können, eigenthümlich rhodischen *Ἅλεια*. Auch *τὰ μεγάλ'* ist schon einmal vorgeschlagen gewesen, wie ich bei Marx finde, von Grävius, aber in einer auch mir unverständlichen Verbindung. Die alte Lesart wird so angegeben: *τὰ γὰρ ἀλιειτα μεγάλην εἰς σχολὴν* mit unvollständigem Verse. In V. 4. wo für *ἔτος* allerlei vermuthet worden ist, *ἔθος*, und, etwas besser, *ἔπος*, hatte ich bereits eine jener Emendationen auf der Zunge, die an sich so gefällig sind: *ἐτός*, wirklich, allerdings in ungewöhnlicher Stellung, für die
59 doch einiges anzuführen wäre. Jetzt wage ich nicht das *ἔτος* anzutasten. Wie wenn auf Rhodus die Bezeichnung Sonnenjahr zeitig in allgemeinerm Umlauf und Gebrauch gekommen wäre? Der stehende Ausdruck in dieser Sache ist *ἐνιαυτός, σεληνιακός, ἡλιακὸς ἐνιαυτός*: doch ist *ἔτος* auch nicht ohne Beispiel. Zu V. 5. und 6. erinnert Hudson, oder ein anderer bei Hudson, passend an *Schol. Pindar. Olymp.* VII. 147. Es wird aber dort wiederholt eingeprägt, dass bei den Rhodiern in dem *ἀγὼν* des Tlepolemus, oder nach andern, des Helios, der Sie-

gerkranz λεύκη gewesen sei: zu *v.* 36. *v.* 141. zweimal, *v.* 147. Etwa weil die λεύκη dem Vater des Tlepolemus heilig war? — πραέως, unverdächtig an dieser Stelle, ungeachtet der Lehre des Photius, b. Lobeck *Phrynich. p.* 404. Der Ausdruck des Widerwillens gegen die allerdings etwas hochtrabende Benennung ἁλιακὸς στέφανος, hat so recht die gewohnte komische Uebertreibung: ich denke an Aristophanes, *Ran.* 11. und, welche Stelle Wolf nicht richtig gewendet hat, *Acharn.* 15. ich wurde schwach, der Schlag rührte mich, und die Augen vergingen mir, oder ich verdrehte die Augen; ähnwie *Equit.* 175. Im neunten Verse, statt des unmetrischen καλεῖται, die Conjectur des Casaubonus, κακχεῖται, von Hermann in καταχεῖται verbessert.

Das ist die Stadt der Hellenen, die nach Rosenart
So Süssigkeit mitführet, wie Langweiligkeit.
Denn das Sonnenfest, das grosse, nimmer hat es Rast;
Und das Sonnenjahr nun macht mir wirr und toll den Kopf.
Wenn aber statt Weisspappol dort gemüthlich wem
Der Sonnenkranz zu sagen beigeht, würg' ich mich
So sehr darüber, dass ich mein', ich wollte gleich
Verenden lieber, als zu Ende hören das.
Mit solchem Unsinn wird der Fremde dort bedient.

Nachtrag.*)

Die Verse des Komikers auf die Rhodier, nach meiner Anordnung und Erklärung, haben vielleicht schon manchem Leser gefallen, und auch ich sehe da nichts, was ich bereuen möchte geschrieben zu haben, habe mich vielmehr mit jedem Tage fester überzeugt, dass der Hauptgedanke des Dichters glücklich getroffen worden: aber ich habe seitdem eine noch leichtere Emendation des dritten Verses, und damit eine glücklichere Wendung jenes Hauptgedankens gefunden. Uebrigens will ich

*) Rhein. Museum für Philologie. I. 1833. S. 158.

mir nur die schon oben gemachte Herstellung des ersten Verses, und die hier mitzutheilende des dritten aneignen, nebst dem secundären Verdienste, eine nicht genug beachtete ältere Meinung in ihrem Werthe erkannt und in's helle Licht gestellt zu haben: denn in der That, Casaubonus scheint schon ganz die richtige Ansicht von unserm Fragment gehabt zu haben, wie dieselbe auch, nach Casaubonus, von Hudson in der lateinischen Uebersetzung ausgedrückt ist.

Wie wir die Verse oben gefasst haben, führt der Dichter die Vergleichung mit den Rosen nicht vollständig aus, sondern nur die eine Seite derselben, die *ἀηδία*, indem er uns nichts als Bemerkungen, Klagen, zum Theil sehr stark ausgedrückte, über das ewige Wesen mit der Sonne hören lässt. Was ihm auf Rhodus angenehmes, der *εὐωδία* der Rosen entsprechendes sei, das führt er nicht aus. Nun könnte man darüber vielleicht wegkommen. Denn nichts davon zu sagen, dass das angenehme von Rhodus im vorhergehenden erwähnt sein konnte, durfte der Dichter dem hörenden, der mit den Reizen von Rhodus bekannt
159 war, es überlassen, das angenehme sich selbst zu denken; ihm, dem Dichter, kommt es nur darauf an, seinen Spott anzubringen. Indessen fühlt doch, nach diesen Bemerkungen, gewiss ein jeder, dass die Stelle gewinnen würde, wenn der Dichter, oder der bei dem Dichter redende, um die Vergleichung mit den Rosen vollständig zu machen, beides, sowohl angenehmes, als unangenehmes, von Rhodus anführte. Und gewiss das thut er, richtig gelesen:

Αὕτη πόλις ἔσθ' Ἑλληνὶς ἣ ῥόδων δίκην
εὐωδίαν ἔχουσα χἄμ' ἀηδίαν.
τὰ γὰρ Ἁλιεῖα τὰ μεγάλ' εἰς σχολὴν ἄγει·
τὸ δ' ἁλιακὸν ἔτος με μαίνεσθαι ποιεῖ.
ὅταν δὲ —

und so weiter das übrige, wie oben. Deutsch:

Das ist die Stadt der Hellenen, die nach Rosenart
So Süssigkeit mitführet, wie Verdriesslichkeit.
Denn das Sonnenfest, das grosse, Musse giebt es schön;
Und das Sonnenjahr nun lieb' ich bis zur Raserei.
Wenn aber statt Weisspappel u. s. w.

Also das Sonnenfest lässt er sich ganz gern gefallen; über das Sonnenjahr will er närrisch werden vor Freude: wenn aber einer dort das Laub der Weisspappel Sonnenkranz nennt, das ist ihm zu bunt, eine Affectation und Uebertreibung des Spieles mit dem Wort Sonne, ein Unsinn, und er möchte darüber den Geist aufgeben. Dabei ist nur zu bemerken, erstens, dass der Ausdruck *μαίνεσθαι ποιεῖ*, wie der gegenüberstehende, *πνίγομαι* u. s. w. komisch übertreibend ist; zweitens, dass es der Dichter selbst mit dem Wohlgefallen an dem Sonnenjahr schwerlich ganz ernstlich meint, sondern wohl eher auch über das Sonnenjahr im Grunde sich lustig machen will: wie nicht selten die Komiker ihren Personen ein Behagen an dem curiosen, burlesken, oder überhaupt ungewöhnlichen, leihen. So dass, die Absicht des Dichters erwogen, diese Fassung des Gedankens sich von der oben angenommenen nicht wesentlich un- 160
terscheidet: nur gewinnt die Stelle durch den Gegensatz und Unterschied, welchen, nach seinem Geschmacke, der redende macht, ungemein an dramatischer Lebendigkeit.

Was ich oben als alte Lesart von V. 3. angab, ist, soviel ich sehe, nirgends begründet, und am Ende nur Druckfehler bei Marx. Die alte Lesart ist vielmehr diese: *τὰ γὰρ ἀλιειτα μεγάλην εἰς σχολὴν ἄγει.* So steht wenigstens, Hudsons nicht zu gedenken, bei H. Stephanus, in *Thes. Gronov.* XI. *Col.* 15. *μεγάλην* aus *μεγάλ'* ist entstanden entweder durch Verkennung des Apostrophus, oder absichtlich geschrieben, wegen *σχολήν.* nachdem *Ἁλιεῖα τὰ* in *ἀλιειτα* zusammengewachsen war. Casaubonus machte: *τὰ γὰρ Ἁλίειά μ' εἰς μεγάλην σχολὴν ἄγει.* Bei *τὰ Ἁλιεῖα τὰ μεγάλα* habe ich an die grossen Panathenäen, die grossen Dionysien, die grossen Mysterien, gedacht, ohne doch anzunehmen, dass es, wie in Athen grosse und kleine Panathenäen, mehrere Dionysien, grosse und kleine Mysterien, so auf Rhodus ein grosses und ein kleines Sonnenfest gegeben habe. Vielmehr wird das Sonnenfest in Vergleichung mit andern Festen das grosse heissen, wie wir manche Feste vorzugsweise hohe nennen, und in der Art, wie bei den Römern *ludi magni, maximi*, ohne nähere Bezeichnung, vorkommen. In *Aristoph. Pac.* 419. steht *τὰ μεγάλα Παναθήναια*, nach des Scholia-

sten richtiger Bemerkung, nicht sowohl um den Gegensatz zu den **kleinen** Panathenäen hervortreten zu lassen, als um die Sache schöner zu machen. Was denn ganz auf dieses *Ἁλιεῖα τὰ μεγάλ'* anwendbar ist. *εἰς σχολὴν ἄγειν* ist gesagt wie *εἰς δάκρυα ἄγειν*, *εἰς ἐλπίδα ἄγειν*, und ähnliches. Und *σχολὴ* ist die Musse, welche der Feiertag, das Fest, gewährt, wie z. B. *Aristoph. Thesmoph.* 377. So braucht Dikäarch selbst, in diesem Excerpt, kurz vor den Versen des Lysippus, das Wort *σχολαὶ* parallel mit *θέαι*: *ἑορταὶ παντοδαπαὶ φιλοσόφων παντο-
161 δαπῶν, ψυχῆς ἀπάται καὶ ἀνάπαυσις· σχολαὶ πολλαί, θέαι συνεχεῖς.* wo das letzte, *σχολαὶ π. θ. συνεχεῖς* wahrscheinlich, mit Marx, *ἀναπαύσεις*, welchen Plural Dikäarch weiter unten noch einmal braucht. Ebendas. bald darauf: *ἔστι δὲ ταῖς μὲν θέαις καὶ σχολαῖς τοῖς δημοτικοῖς ἀνεπαίσθητος λιμός, ἡ πόλις λήθην ἐμποιοῦσα τῆς τῶν σίτων προσφορᾶς· ἐφόδια δὲ ἔχουσιν οὐδεμία τοιαύτη πρὸς ἡδονήν.* Denn diess, oder etwas ähnliches muss da gestanden haben; die Vulgata ist: *ἔςι δὲ ταῖς μὲν θέαις ἡ πόλις καὶ σχολαῖς τοῖς δημοτικοῖς ἀνεπαίσθητος λιμός, λήθην ἐμποιοῦσα* u. s. w. Die Conjectur *ταῖς δημοτικαῖς*, auf den ersten Blick gefällig, ist wohl ein Missgriff. *οἱ δημοτικοὶ* sind die **gemeinen Leute**, welche noch heut zu Tage, z. B. in Italien, bei geringen Bedürfnissen, ihre Hauptfreude am Nichtsthun und am Schauen haben. Ueber die Fülle der Feste in Athen und die Lust daran, s. unter andern *Maximus Tyrius Diss.* III. *extr.* In V. 4. ergiebt sich, nachdem wir den dritten so gewendet, dass er ein Lob enthält, von selbst die wahre Bedeutung des an sich zweideutigen Wortes *μαίνεσθαι.* Diese Bedeutung ist unter andern im Aristophanes zu Hause, in der Formel *μὴ ἀλλὰ πλεῖν ἢ μαίνομαι*, *Ran.* 103. und 751. wo Bergler etwas hat.

Dann habe ich im Deutschen statt **Langweiligkeit** gesetzt **Verdriesslichkeit**, und bin damit zu dem Sprichworte, das mir, wie gewiss jedem deutschen Leser, als ich den Gedanken von der *εὐωδία* und *ἀηδία* der Rosen allererst in's Auge fasste, sogleich und zuerst eingefallen war, zurückgekehrt; zu dem Sprichworte: keine Rosen ohne Dornen. Nur mit dem Unterschiede, dass das Deutsche gewöhnlich zur Ermuthigung ge-

braucht wird, man dürfe sich durch die Dornen nicht abschrecken lassen, zum Genusse der Rosen zu gelangen; oder zur Beruhigung, man müsse sich einmal bei jedem guten und schönen ein übles gefallen lassen: dagegen hier in dem griechischen, dem Zusammenhange und der Anwendung des Sprichwortes nach, 162
stärker das Ungemach der Dornen hervortritt, als welche im Stande seien, einem den Genuss der Rosen zu verderben und zu verleiden. Anderswo ist *ἀηδία* auch Verdriesslichkeit, Unleidlichkeit, in der activen Bedeutung des Wortes, ablehnender Eigensinn und mürrisches Wesen. Ich meine namentlich in dem interessanten Fragment des Posidippus bei Dikäarch, der mir überhaupt seine Dichterbeispiele sehr glücklich gewählt zu haben scheint, *p.* 23. *ed. Huds.* *τί προσδιατρίβων συλλαβαῖς καὶ γράμμασι, τὴν εὐτραπελίαν εἰς ἀηδίαν ἄγεις*; gegen die Athenienser, welche die Graecität, wie man zu sagen pflegt, gepachtet zu haben meinten, und mit pedantischer Intoleranz an allem mäkelten, alles für ungriechisch erklärten, was nicht attisch klang. — Zwar ist die Vorstellung von den Dornen, oder, wie ich die Botaniker kunstmässig sich ausdrücken höre, Stacheln der Rose, als einem Ungemach, bei den Alten, soviel ich mich erinnere, nicht so vielverbreitet und besprochen, als man denken könnte: wie denn z. B. in zwölf Briefen des Philostratus, 27—38, welche die Rose von allen Seiten tändelnd beleuchten, der Dorn der Rose, ausser in der gleich herauszuhebenden Geschichte nur einmal, *Epist.* 34, und nicht als Ungemach, vorkommt; und das war es, was in Verbindung mit ein paar andern Umständen mich bewog, ein anderes Sprichwort zu suchen. Allein es kommt doch genug vor, um anzunehmen, dass ein Grieche, der von einer *ἀηδία* der Rosen hörte, gleich an die Dornen denken konnte. Ein artiges, und, so zu sagen, das berühmteste Beispiel von einem Rosendornstich ist Venus: worüber ich zufällig bei anderer Gelegenheit die Stellen notirt habe, Claudian und Aphthonius bei *A. Politian. Miscell.* XI. dazu *Geopon.* XI. 17. *Philostrat. Epist.* 29. und 37. *Tzetzes in Lycophr.* 831. mit *Favorinus v. Ἄδωνις.* Venus, zu dem verwundeten Adonis eilend, verletzt den nackten Fuss in Dornen des Rosenbusches, und färbt mit ihrem göttlichen Blute die Rose roth, die bis dahin

163 weiss war. Von daher auch, setzt einer hinzu, der Wohlgeruch, *εὐωδία*, der Rose. Eine artige Spielerei, wahrscheinlich von einem späten Dichter oder romantisirenden Rhetor. Den späten Ursprung vermuthete schon Gesner, und nahm die von Politian gebrauchte Stelle des *Claudianus R. P.* II. 122. 3. anders; dieselbe lässt sich noch auf eine dritte Weise nehmen. Dass Philostratus die Geschichte von den Cypriern und Phöniciern haben will, wird niemand für einen Beweis des Alterthums halten. Den Keim der Geschichte kann man etwa bei *Bion* im *Ἐπιτάφιος Ἀδ.* 21. 2. suchen: die Dornen ritzen sie, und trinken das heilige Blut, wie sie verstört, ungeordnet das Haar, unbeschuht, durch die Waldung schweift, nach dem verwundeten Liebling oder Gatten; die Dornen, Dornengesträuche, *βάτοι* schlechtweg, nicht die Dornen oder Stacheln, *ἄκανθαι*, des Rosenstrauches: denn die Rose lässt Bion weiter unten V. 66. ausdrücklich aus dem Blute des Adonis entstehen. Wieder etwas ganz anderes ist es, wenn derselbe ebendas. 35. die Blumen, nicht bestimmte, sondern überhaupt Blumen, vor Schmerz und Trauer roth werden lässt, und wenn *Moschus* III. 5. die Rosen auffordert, nun die Trauerröthe zu zeigen: wie der Mensch vor Schmerz roth wird, *Theocrit.* XX. 1P. Ueber den Ursprung der Rose aus dem Blute des Adonis stimmt mit Bion das *Pervigilium Veneris v.* 23. überein, wenn daselbst Santen's Emendation, *facta **pueri** de cruore*, eben so wahr sein sollte, als sie elegant ist; vgl. *Servius*, wenn es Servius ist, *in Virg. Ecl.* X. 18. Es kommt hier, um diese Fictionen, von denen doch etwas wo nicht im Volksglauben, doch Freunden der Dichtkunst ziemlich allgemein bekannt gewesen sein könnte, bis zu einem Ende zu verfolgen, noch eine Blume in's Spiel. Nehmlich als Zeuge für die Entstehung der Rose aus dem Blute des Adonis, oder die Verwandlung des Adonis in die Rose, wird wohl auch Ovid aufgeführt: aber fälschlich. Ovid, *Metam.* X. zu Ende, macht aus dem Blute des Adonis die Anemone: wonach wir wenn auch nicht genöthigt, doch berechtigt sind, in *Fast.* V. 227.
164 ebenfalls die Anemone, nicht die Rose zu denken. Befremdend ist, was bei *Servius in Aen.* V. 72. steht: *Hunc* (den Adonis) *Venus vehementissime dilexit: et cum ira Martis ab apro esset*

occisus, sanguinem eius vertit in florem, qui nunquam vento decuti dicitur. Ovid sagt *Metam. l. l.* von der Anemone gerade das Gegentheil. Meint Servius, oder wer es sonst ist, denn auch diese Stelle fehlt in achtbaren *libris*, eine besondere Fabel? oder ist da eine Verwechselung? etwa mit einer Aussage über die Anemone, wie die des *Plinius H. N.* XXI. 23. ist: *Flos nunquam se aperit, nisi vento spirante: unde et nomen accepit.* Ob *Ausonius* im *Cupido, Idyll.* VI. 11. mit *murice pictus Adonis* die Rose meint, oder die Anemone, kann zweifelhaft scheinen: ich glaube, die Anemone, wegen *v.* 77. und Plinius giebt der Anemone ausdrücklich *phoeniceum florem*, oder auch *purpureum.* Bion dagegen in derselben Stelle, wo er aus dem Blute des Adonis die Rose entstehen lässt, macht die Anemone aus den Thränen der Venus um Adonis. Im *Pervigil. Ven.* ist übrigens auch jenes *facta Cypris de cruore* so übel nicht; der Genitivus *Cypris* hier vielleicht zu ertragen, und die Vorstellung, dass Venus sich in Rosendornen geritzt, in dieser lateinischen Poesie hinlänglich begründet, da die Rosenepigramme in der *Anthologia Latina*, *lib.* III. zu Ende, damit spielen, einmal *Epigr.* 289. und dann 290. wo Cupido sich ritzt. Und so etwas, dass Cupido sich einmal geritzt, und dass aus seinem Blute die Rose entstanden, scheint *Ausonius* im *Cupido v.* 77. als eine bekannte Fabel vorauszusetzen: vgl. *v.* 92. Sprichwörter von den Dornen der Rose habe ich verhältnissmässig nur wenige, nicht sehr bedeutende, und späte. Von der Art des deutschen eigentlich nur eins, bei Claudian, aber diess auch ganz in dem Sinne, wie jenes deutsche gebraucht zu werden pflegt: XIV. 7. *sqq. Non quisquam fruitur veris odoribus, Hyblaeos latebris nec spoliat favos, Si fronti caveat, si timeat rubos. Armat spina rosas, mella tegunt apes.* Ganz wie im Deutschen, und zwar beide Bilder: keine Rosen ohne Dornen; und, wer 165
sich der Bienen Stachel lässt schrecken, kriegt ihren Honig nicht zu schmecken. Anders ist gemeint, und nicht hierher gehörig, *inter vepres rosae nascuntur*, in den Adagien von Erasmus und andern; mit dem Sinne, dass unter unschönen, nichtsnutzigen Dornsträuchen auch Sträuche von schönen, wilden, Rosen wachsen. Dagegen kann wieder als verwandt mit dem Spruche des

Claudian die Sentenz des Publius Syrus, *Spina etiam grata est, ex qua spectatur rosa*, und der Vers bei Ovid *Ep. ex Ponto* II. 2, 34. den ich jedoch eben so wenig, als Zinzerling, Withof und andere, dort in den Zusammenhang zu bringen, und auch sonst nicht zu empfehlen weiss, *Saepe creat molles aspera spina rosas*, gelten, nehmlich so gefasst: ein unscheinbarer, stachlichter Strauch bringt Rosen. Ein alter deutscher Reim: dass man der Dornen acht, das haben die Rosen gemacht; wenn diess nicht wie vorhin *inter vepres rosae nascuntur*, gesagt ist. Sind aber die Rosen gefallen, aus dem Dornstrauche macht sich niemand etwas mehr: *Ovid. Fast.* V. 354. und ähnlich in der griechischen Anthologie, *Epigr. ἀδέσπ.* 39. wo Jacobs den *Rufinus* 38, 6. und noch eine Stelle des Ovid *A. A.* II. 116. nachweist. Und dergleichen wird sich vielleicht aus späten Dichtern, oder aus Declamationen, Briefen, Romanen der Sophisten, obgleich einige von diesen, die mir gerade geläufig sind, nichts hieher gehöriges bieten, mehr zusammen lesen lassen, oder ist schon gesammelt. Einige Stellen, die aber freilich nichts weiter besagen, als dass die Rose auf oder aus Dornen wachse, dass man die Rose nicht mit der *βάτος* vergleichen dürfe, von Dorville, zu anderm Zweck, in der *Vannus crit. p.* 103. zusammengestellt: *Epigr. ἀδέσπ.* 20. *Strato* 46, 3. *Anacreon.* 53, 40. (die Rose aus dem Dorn, durch aufgegossenen Nektar, erwachsen; vgl. *Geoponica* in der vorhin citirten Stelle XI. 17.), *Meleager* 2, 5. *Ioannes Gazaeus v.* 360. oder *B*, 1. bei Gräfe. Mehr im Charakter des Sprichworts *Gregorius Naz. Carm.* *Ὑποθῆκαι παρθέ-*
166 *νοις: μεσάτη δὲ κακῶν ἀρετὴ κατάκειται, ὡς ῥόδον ἐν στυγε-*
ρῇσι καὶ ὀξείῃσιν ἀκάνθαις. vgl. *Basilius ad Liban.* bei Dorville *Animadv. in Charit. p.* 509. *Lips.* den *Theodorus Prodromus* nicht zu zählen, welchen C. Barth zum Claudian anführt.

S. 325 ist Schweighäuser zu *Athen.* XV. 694. *B. Animadv. T.* VIII. *p.* 247. übersehen, der noch zwei andere Zeugen für das Citat aus Dikäarchus *περὶ μουσικῶν ἀγώνων*, über das Skolion, beibringt: *Schol. Platon.* jetzt *p.* 103. *edit. Ruhnk. p.* 340. *Bekker.* und *Schol. Lucian. Vol.* III. *p.* 292. *Bip.* Der letztge-

nannte darum beachtenswerth, weil er meine obige Bemerkung zu bestätigen dient, dass bei *Schol. Aristoph. Nub.* 1354. (1367.) *περὶ μουσικῆς*, statt *περὶ μουσικῶν ἀγώνων*, nichts als eine nachlässige Art des Citirens sei. Denn es ist doch eben nur dieselbe Nachlässigkeit, oder, wie ich mich oben ausdrückte, Eilfertigkeit des citirenden, wenn da, wo *Schol. Aristoph.* zweimal, und *Schol. Platon.* und *Suidas*, *Photius*, alle einstimmig *Δικαίαρχος ἐν τῷ περὶ μουσικῶν ἀγώνων* citiren, der einzige *Schol. Lucian. Δικαίαρχος ἐν τῷ περὶ μουσικῆς* citirt. Derselbe Scholiast hat sich erlaubt, statt *ὅτι τρία γένη ἦν ᾠδῶν*, wie die andern alle haben, *δύο* zu setzen, weil er nicht sah, was seitdem Casaubonus und andere bemerkt haben, dass in der Angabe aus Dikäarch etwas ausgefallen sei. Nach Artemon bei Athenäus, und besonders auch nach der von Ilgen nicht übersehenen Stelle des Plutarch *Sympos.* I. *Quaest.* 1. *p.* 615. *B.* ist es kaum zweifelhaft, dass Dikäarch wirklich drei Arten des Singens unterschieden habe: alle zugleich; alle, aber einer nach dem andern; endlich drittens, das Skolion, einzelne auserlesene. Aber der von Schweighäuser mitgetheilte Versuch einer Ergänzung ist etwas umständlich. Vielleicht kann man wohlfeiler zu dem Sinne des Dikäarchus gelangen, so: *ὅτι τρία γένη ἦν ᾠδῶν, τὸ μὲν ὑπὸ πάντων ᾀδόμενον,* [*τὸ δὲ*] *καθ' ἕνα ἑξῆς, τὸ δὲ ὑπὸ τῶν συνετωτάτων*, u. s. w.

XLV. *)

Miscella critica.

Poeta apud Charisium. De aliis quibusdam Grammaticorum Latinorum locis.

Sosipater Charisius, accuratus caeteroquin in citandis auctorum locis grammaticus, ut Virgilianis locis exceptis, quos multos non nominato Virgilio laudat, non facile auctorum omittat nomina, nonnulla tamen habet sine auctoris indicio, quae morantur legentem, quaerentisque nomen operam fallunt. Et Virgilium ut taceam, cuius nobis stilus fere tam notus est, quam fuit illi aetati, non multum difficultatis habet, quum *Terentium* Charisius laudat sine nomine, II. 209. extr. 215. 216. IV. 244. et 247. ubi dum *contra stimulum calces* scribit, ante animum habet *Advorsum stimulum calces* ex Phormione. Vel quum *Horatium*, IV. 238. 239. med. 240. med. 241. init. et *Ovidium*, IV. 249. med. *Ennium* etiam facile agnoveris aliorum comparatione scriptorum grammaticorumque: IV. 243. *Aio te Aeacida Romanos vincere posse.* 249. *endo suam do.* 251. ter: *Marsa manus, Peligna cohors*, *festina virum vis. O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti. Moerentes, flentes, lacrymantes*, *ac miserantes.* Et *Pacuvium*, nam Pacuvius videtur esse, IV. 240. extr. Ad *Attium* non male retulerunt versus tres *Vidi te* etc. IV. 252. Astyanactem, in cognomine fabula, vel alia, audire tibi videaris II. 216. *Heus heus pater*, *heus Hector.* Difficilius est de exemplo statuere *προσθέσεως*, *Concitum tetuli gradum*, IV. 248. quod *Catulli* esse perhibet Vossius de Analogia III. 37. p. 249. sq. praeeunte Pierio in Virg. Aen. XI. 178. Sane *Concitum tetuli gra-*

*) Mus. Rhenan. 1829. p. 486.

dum bonus est glyconeus, vel pars versus priapei, quo metro 487 nonnulla scripsisse Catullum, nunc deperdita, constat. Verum Pierio quantum tribuendum sit, an in codice Charisii, quem se commodatum ab Iano Parrhasio habuisse, antiquum, litteris Longobardicis scriptum, ad Georg. IV. 34. Aen. II. 90. III. 91. V. 380. XI. 174. refert, nomen invenerit *Catulli*, ambigo. Locorum qui restant apud Charisium, sine nomine, unus est propter quem haec scribo, manifesto corruptus, IV. 254. ubi schemata, quae dicit, *διανοίας* persequitur:

Κατ' ἀπορίαν.

Luna, deum quae sola vides periuria vulgi,
Seu Cretea magis, seu tu Dictynna vocaris,
Huc descende. *Certae rei dubitatio est.*

Ibi *Creteam*, vel *Cretaeam*, vix quisquam tuebitur. Neque enim alibi hoc Lunae nomen, *Cretaea*, reperitur, neque, si reperiretur, aut si quis potuisse *Cretaeam* Lunam dici ex eo efficeret, quod Dianae cultus in Creta insula fuit, quicquam proficeret hoc in loco, ubi non epitheton de variis, quae variis in locis Diana sive Luna habuit, unum, sed nomen requiritur eiusmodi, quod statim per se ipsum deam significet Lunam. Praeterea displicet sic dictum *magis: seu* magis *Cretaea - vocaris.* Recepit locum in Fragmenta P. V. L. p. 388. Stephanus, sine animadversione. Qui alius attigerit, ut aliquid inde lucri facias, novi neminem praeter Iac. Nicolaum Loensem Misc. Epiphyll. VIII. 27. p. 627. a quo versus ille ita scriptus affertur, fortasse ex editione principe: nam in Basileensi a G. Fabricio iam editum est, quod ex Putschio exhibuimus, et coniecturam quominus putemus Iac. Nicolai L. esse, obstat nimis puerile vitium metricum: *Seu Cretaea mauis, seu tu Dictynna vocari.* Emendavi:

Sive Hecate *mavis, seu tu Dictynna vocari.*

siuecate — seucrete. Loquitur, ut videtur, pharmaceutria. Qua in re prorsus propria atque usitata *Hecates* appellatio est. Cf. Theocrit. II. 12. Quamquam Theocritus ibi Lunam, *Σελήνην*, et Hecaten distinguit; latinus poeta Lunam et Hecaten, ut multi, 488 eandem facit. Et omnino poetae latino, ut ostendunt verba *Huc descende,* dum Lunam invocat Deam, simul notum veneficarum, Thessalarum maxime, artificium ante animum versatur, lu-

nam *deducendi:* qua de re propria Graecis apud Platonem, Aristophanem, Lucianum, alios, vocabula sunt *καθαιρεῖν*, *καθελεῖν τὴν σελήνην*, vel *κατασπᾶν*, vel etiam *κατάγειν*, iisque respondentia Latinorum *deducere lunam*, quod poetis fortasse est usitatissimum, vel *deripere*, quod notum ex Horatio, vel denique *detrahere*, ut Plinius H. N. XXX. 1. *ambages feminarum* detrahentium *lunam*, et poeta in Anthol. Lat. V. 46, 20. ubi inter alia Burmannus sagae verba ex Petronii Satyrico c. 134. affert: *Lunae* descendit *imago Carminibus* deducta *meis.* Nihil eiusmodi apud Theocritum, ubi nihil nisi *lucem praebere* ex alto, *φαίνειν*, Luna iubetur v. 11. et peractis sacris magicis Lunae vale dicit pharmaceutria v. 163. sqq. at Hecate adesse in trivio, dum procedunt incantamenta, fingitur v. 35. et 36. Illud autem commune poetae latino cum Theocrito, quod apud utrumque Luna conscia testisque amorum est. nam *periuria* apud poetam latinum haud dubie amantium sunt periuria, et apud Theocritum iterum iterumque infertur: *φράζεό μευ τὸν ἔρωθ' ὅθεν ἵκετο, πότνα Σελάνα.* Quo etiam referas Appuleium Apolog. p. 295. Elmenh. *Igitur ut solebat ad Magorum cerimonias advocari Mercurius carminum vector, et illex animi Venus*, et Luna noctium conscia, *et manium potens Trivia. Dictynna* usitatum poetis latinis nomen est, nunc, idque usitatissimum, ut Diana, nunc etiam ut intelligatur Luna. Ut in Ciri v. 304. 5. ubi de Dictynna Britomartide; *alii, quo notior esses, Dictynnam dixere tuo de nomine Lunam*, hoc est, puellae nomen transtulerunt in deam. Et Festus, quamvis inepta etymologia utens: *Dictynna Diana, quam esse lunam putabant, dicta, quod fulgore suo noctu omnia ostendat.* Et haec quidem sufficerent de *Dictynna Luna.* Addam
489 alia duo non trita exempla: versum Marii Victorini II. 2537. P. *Dictynna deum progenies, aspice quis te chorus astris;* et quod accommodatissimum ad rem nostram exemplum, Senecae Tragici, apud quem operans sacris magicis Medeae, ubi Lunam advocat, v. 750. seqq. nunc *Phoebe* dicit, nunc *Triviae currus*, nunc *Dictynna*, nunc *Persei* et *Hecate.*

Iam de auctore versuum illorum, etsi lubricum est, in hac loci brevitate, aliquid dicere confidentius, hoc tamen tum colorem orationis in universum, tum maxime *tu* pronominis colloca-

tionem, qualem ab Homero acceptam posteriores in elegantiis numeraverunt, consideranti facile persuadebitur, versus esse aevo Augusti, vel eo quod proximum Augusto fuit, haud indignos. Equidem quum ita ratiocinabar, non reconditi alicuius poetae videri versus esse, sed eius, quo etiam alibi Charisius usus sit, dum poetas perlustro, quorum testimoniis uti solet Charisius, de Cornelio Severo cogitabam, quem quinquies adhibet Charisius, I, 61. bis, 66. 77. 83. Atque ad idem poema, eundemque poematis locum, videbatur referri posse, quod ex Cornelio Severo apponit Charisius I. 66. *Ignea nam caelo ducebat sidera Phoebe, Fraternis successor equis.* Neque illud, si quid amplius hariolari licet, ab adventu Hecates atque incantamentis alienum foret, quod ex eodem Cornelio Severo est apud Charisium I. 61. et Bedam, vel, ut Putschius, Incertum de Orthogr. 2801. *Et sua concordes dant sibila clara dracones.* sive comitantes Hecaten serpentes cogitentur, ut est apud Horatium Serm. I. 8, 34. sive de evocatis et tractis magica arte et incantatis serpentibus, ut apud Senecam Medeae v. 684. sqq. et 705. et alios, sermo sit. Etsi plerumque hanc fuisse magici cantus in serpentes vim traditur, ut sistantur, consopiantur, vel etiam ut rumpantur. Sed hoc, ut dixi, hariolari est. Et illud ipsum, *Ignea nam caelo* etc. ita comparatum est, ut in multas noctis descriptiones conveniat. Praeterea quod ratiocinando efficiebam, Cornelii Severi hunc, de quo agitur, videri locum esse propterea quod Cornelio Severo 490
etiam alibi utatur Charisius, valde incertum est. Quid enim, si alios Charisius auctores libro primo, alios quarto libro ante oculos habuerit? Nam profecto Charisius non ipse sua exempla congessit omnia, sed alios antiquiores grammaticos sequutus est. Ut de Analogia annotationes I. 93. seqq. ab C. Iulio Romano se assumpsisse diserte profitetur. In libro quarto multa esse Charisio cum Diomedis parte ea, qua genera loquutionum et schemata recenset, libro secundo, communia iam observavit G. Fabricius praef. in Charisium. Unde communem utrique, Charisio et Diomedi, hac quidem in parte fontem fuisse probabile est. Cogitaverunt viri docti de Comminiano; et sane Comminiani aliquoties mentionem facit Charisius. Diomedi rursus Charisioque similis Donatus est. Sic Ennii exempla, quae supra

monstravi ex Charisio, partim Diomedes habet II. 436. 441. 442. 444. partim Donatus I. 1738. init. p. 6. ed. Lindem. et III. 1774. p. 31. sq. ed. L. Illud, *endo suam do*, praeter Diomedem, etiam Probus I. 1438. p. 99. ed. L. sic corruptum: *namque suam do;* Marius Victorinus I. 2499. sic: *endo sua do;* et Consentius Crameri p. 7. Pacuvii exemplum, Diomed. II. 447. etsi hoc Diomedes Ennio tribuit; apud Donatum non exstat, sed habet Pompeius Comment. Artis Donati loco olim prolato ab Ruhnkenio ad Iulium Rufin. p. 262. nunc p. 249. ed. Lindem. De προσθέσει, vel προθέσει, locum, in quo Catulli, ut perhibetur, mentio, Diomedes II, 435. extr. eundemque, si tamen idem est, misere contractum, ut non amplius poetae agnoscas manum, Donatus p. 1772. init. p. 29. Lindem. et Isidorus I. 34. p. 50. ed. Otton. et magis etiam contractum, Pompeius p. 446. Quid dubitem paullo post patefiet, ubi Donatum eiusque sectatores recedere a Charisio et Diomede hoc in loco, et aliis uti exemplis, probabili ratione monstrabo. Mirum versiculum, nam crediderim versum esse, *Ibant qua poterant, qua non poterant, non ibant*, Charisius IV. 242. Diomedes II. 444. Donatus 1770. p. 29. L. Add.
491 Priscianus XVII. 1037. Vol. II. p. 5. Kr. apud quem *Ibant qua poterant, et qua non poterant, non ibant:* ubi *et* fortasse ab ipso additum Prisciano est. Versus, *Tiphyn aurigam celeres fecere carinae,* et *Cumque gubernator magna contorsit equos vi,* Charisius IV. 243. et 244. Diomedes II. 451. priorem etiam Donatus 1775. p. 32. L. Versum, *Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me,* Charisius IV. 247. Diomedes II. 458. Donatus 1778. p. 35. L. Memorabilis etiam Diomedis cum Charisio consensus ille, de quo Santenius monuit ad Terentian. M. p. 103. sq. De numeris quum nihil nunc sit in libris Charisii, fragmentum Charisii apud Rufinum p. 2719. (in Cicerone Orell. Vol. V. P. I. p. 190.) ita cum Diomedis III. 513. med. disputatione congruit, ut scite Santenius refingendum locum Charisii ex scriptura Diomedis statuat. Taceo alia minus memorabilia exempla, et ordinem rerum saepe eundem, explicationesque locorum saepe ad verbum easdem esse. Saepe, non semper: e. g. Ennii versus *Aio te Aeacida* etc. Charisio et Diomedi itemque Isidoro I. 33. p. 50. Ott. amphiboliae, vel, ut apud illos scriptum, amphibologiae exemplum est,

in capite de vitiis orationis, Quintiliano VII. 9, 7. praeeunte; at Donato, ut Probo I. 1389. p. 43. L. et Velio Longo de Orthogr. 2220. propter *i* litteram in verbo *Aio*, denique Prisciano, ubi de constructione agit, XVIII. 1137. tamquam *ὑπέρβατον* laudatur. Eiusdem versus *O Tite tute* etc. Charisio, Donato, Pompeio bis, Isidoro, tamquam *παρόμοιον*, Prisciano XII. 947. et in Lib. de duodecim versib. Aen. 1257. propter *tute* pronomen. Apparet autem, quam sit utilis haec, cuius specimina nonnulla dare placuit, grammaticorum inter se comparatio: tum ad emendandum, ut in illo versu, quem Diomedes Putschii ita corruptum ac mutilatum, *Cumque gubernator magno contorsit equo* (alii ante Putschium: *Cumque gubernator contorsit equos*), exhibet, emendandus e Charisio; quibus tertius est testis addendus Quintilianus VIII. 6, 9. tum ut intelligatur, uter de duobus ad communem fontem antiquiorem accedat propius, et sententiae grammaticorum ipsorum ut explicentur atque illustrentur. Veluti quod supra 492
observabam, Charisio *contra stimulum calces* scribenti observatum Terentium esse, confirmant Diomedes II. 458. extr. Donatus III. 1778. med. p. 35. L. apud quos *adversum st. c.* ut apud Terentium. Scilicet utrumque dici poterat latine, *adversum* s. *adversus stimulum calcare*, et *contra stimulum calcare*; atque hoc, *contra*, fortasse magis fuit in vita communi usitatum: quare sic Charisius, at Diomedes, Donatus, itemque Pompeius p. 478. proverbium ut est a Terentio conceptum praebent. rursus *contra* Isidorus agnoscit I. 36. p. 60. ed. Ott. *Pro deum atque hominum fidem*, notam ac multis usitatam loquutionem, unde Charisius II. 209. extr. proferat, supervacanea videtur quaestio esse. Ego tamen supra ex Terentio habere, apud quem ea loquutio luculento loco, in ipso Andriae initio I. 5, 11. exstat, Charisium statui, propterea quod et alibi Terentio non raro utitur Charisius, et hoc loco statim aliud a scena petitum exemplum subiicit. Neque obstat, quod eandem loquutionem, *pro deum atque hominum fidem*, Priscianus XIV. 997. XVIII. 1207. Sallustii Catil. 20, 10. auctoritate comprobat: aliud enim Charisius exemplum, aliud Priscianus respicere potuit, et omnino non ea Prisciano cum Charisio similitudo et quasi affinitas intercedit, quam esse inter Charisium, Diomedem, Donatum observavimus. De pros-

thesi quae Probus I. 1437. p. 98. L. praecipit, Charisii et Diomedis praecepto manifesto sunt similia, cognata non sunt, siquidem Probus locum Virgilii non eum, quo illi utuntur, respicit, sed alium, geminum, et pro illo, *concitum tetuli gradum,* Terentii exemplum, *nunquam (huc) tetulissem pedem*, ex Andria, offert, quo Diomedes in alia disputatione I. 369. et II. 447. utitur. Rursus Donatus p. 1771. extr. p. 29. L. quamvis sit de prothesi brevis, de qua haec tantum pauca docet: *Πρόθεσις est appositio quaedam ad principium dictionis, litterae aut syllabae, ut* gnato *pro* nato; tetulit *pro* tulit: coniectura tamen ex iis facta,
493 qui a Donato pendent, Pompeio p. 445. 446. et maxime Consentio, illo quem Cramerus edidit, p. 5. assequi licet, quae ante oculos exempla scriptorum habuerit. Habuit autem non ea, quibus Charisius et Diomedes utuntur, neque ea, quibus Probus, sed haud dubie illa ipsa, quae nunc sunt apud Consentium et Pompeium: unum Virgilianum, magis exquisitum alterum hoc, ex ingeniosa Lindemanni in Pompeio emendatione: *Tetulit senilis Pocas ad coelum manus.* Ea, ut dixi, nunc apud Consentium et Pompeium prostant; olim fortasse apud ipsum prostabant Donatum. Quis integrum ab omni parte Donatum ad nos pervenisse, brevitatemque Donati, vel tenuitatem, quam aliquis non iniuria miretur hic illic, ubique ipsius esse brevitatem Donati affirmaverit? De emendandis ex se invicem grammaticis quod dixi, alio, antequam hanc disputationem relinquam, exemplo illustrabo. In Donato nuper Lindemannus, II. 12, 5. p. 19. suae editionis in Corpore illo, quo multum et iam meritus est de grammaticis latinis, et mereri pergit, ita ex suo codice edidit: *Sunt verba incertae significationis, ut* tondeo, labo, fabrico, punio, munio, pario, populor, adsentio, adulor, luctor, auguror. *Haec omnia et in* o *et in* r *litteram finiuntur et his verbis tempora participiorum accidunt paene omnia.* Quae si comparentur cum editione Putschiana, 1756. extr. in qua verba enumerantur haec: *tondeo, labo, fabrico, punio, munio, patior, munero, populor, assentior, adulor, luctor, arguor:* unum manifestum est, recte Lindemannum *auguror* exhibuisse pro eo, quod apud Putschium, *arguor.* etsi hoc quidem etiam sine libro scripto corrigi poterat ex editis ante Putschium exemplaribus, quod genus penitus ne-

gligi nolim, ut apud me Haganoensi Ioannis Caesarii, et Ascensiana a. 1516. In reliquis ut non satis facit Putschius, ita nec codici illi fides habenda est. Quae enim haec verborum consociatio est? Quid *labo*, quid *munio* et *pario* cum caeteris verbis commune habent? Apparet accurate illud quaerenti, quid sint verba *incertae significationis*, eiusmodi verba cogitare Do- 191
natum, quorum praesens utramque terminationem, et in *o*, et in *or*, et hanc quidem cum activa vel etiam media significatione, admittit. Atque eiusmodi illa sunt omnia: *fabrico fabricor*, *populo populor*, *assentio assentior*, *adulo adulor*, *lucto luctor*, *auguro auguror*, et *punio punior*, quod *punior* non solum passivum est, sed etiam testante, ut unum commemorem, Nonio active usurpatur; et *tondeo tondeor*, ut apud Livium XXVII. 34, 6. iam vetus dubitatio est, utrum *tondere* scribendum sit, an *tonderi*. Ab his prorsus abhorrent *munio, pario*, et, quod frustra aliquis Prisciani VIII. 803. et Macrobii apud Putschium 2767. auctoritate, diversa verba *labo* et *labor* inter se comparantium, defenderit, *labo*. Iam hoc, *labo*, corruptum esse, et quid restituendum esset, *lavo*, dudum intellexit Vossius de Analogia III. 3, p. 11. Consentio adhibito. Illud non vidit Vossius, aut non diserte monuit, etiam alio modo necessariam Donato ac salutarem Consentii comparationem esse. Enimvero Consentius etiam ista parum commoda, *munio, pario*, vel, ut apud Putschium, *patior*, removet, verbaque pro his ea, quae apud Donatum legebat, reddit: p. 2054. *Sunt etiam verba incerta significatione, vel ambigui generis inter neutrale genus et deponens, ut* tondeo, lavo, fabrico, punio, munero, partio, populo, adsentio, adulo, lucto, auguro, etc. *Haec omnia sub eadem vi et in* r *litera finiuntur, ut* tondeor, *et reliqua.* Addo Cledonium p. 1916. *Sunt verba incertae significationis, ut* tondeo, lavo, fabrico, punico, munero, populo, partio, adsentio, adulo, auguro, *utrum activi an passivi.* ubi unum, sive librarii sive editoris culpa, excidit *lucto:* Cledonium illud non omisisse sequentia ostendunt, ubi exempla profert huius verbi. *punico*, pro *punio*, erratum ex similitudine verbi quod praecedit *fabrico.* Addo Sergium p. 1849. *Verba quorum declinatio in nostra potestate est, sunt haec*, tondeo, lavo, fabrico, punio, *et reliqua. reliqua* dicit ea, quae sequuntur apud

495 Donatum. Denique qui multus est de his verbis, Pompeius p. 308. seqq. eadem verba, *tondeo, lavo, munero, partio* etc. agnoscit. Non attinet alios conquirere, qui verba generis huius nunc eadem, quae Donatus, nunc alia proferunt, ut Diomed. II. 377. cui haec, *assentio assentior, munero muneror,* Priscian. VIII. 799. cui haec, *partio partior, munero muneror,* cum Donato communia. Pompeio, ut hoc obiter moneam, quae p. 310. ponit verbi *partio partior* exempla, cum Cledonio l. l. 1916. med. communia sunt: unde lux oboriri videtur, atque castigandi opportunitas, Probi loco 1483. extr. p. 139. L. ubi *partiverant* nunc Ciceroni tribuitur, quum sit ex Sallustii Iug. 43. loco, quem Cledonius et sine nomine Sallustii Pompeius laudant. Quod ibidem explicat Pompeius, *balineum lavat,* conferendum est cum Sergio l. l. et cum antiquiore Charisio IV. 239. med.

ἀπορίας schema, quod Charisius commemorat, vel, ut alii, *διαπόρησιν,* Latini *dubitationem, addubitationem,* Diomedes non habet, neque Donatus, at rhetores habent, quos monstrat Spaldingius ad Quintilian. IX. 2, 19. et praeter hos alii: Lib. IV. ad Herenn. 29. Hermogenes de formis orat. II. 7. p. 439. ed. Laurent. Exemplo equidem defungar uno, Horatii Carm. saecul. 13. *Rite maturos aperire partus Lenis Ilithyia, tuere matres;* Sive *tu Lucina* probas vocari, *Seu Genitalis.* vel, quoniam his certe argumentis, quae a nonnullis prolata video, nondum profligata ac perdita res Bentleii est, *seu Genetyllis.* ubi Lambinus illius nostri poetae *ἀνωνύμου* versus *Luna, deum quae sola* etc. ut vulgo leguntur, et Horatium Sat. II. 6, 20. *Matutine pater, seu Iane libentius audis,* laudat, Mitscherlichius inter alia Appuleium Metam. XI. init. quo loco Lucius, in sollemni precatione, nomina Lunae deae varia, variosque secundum ea nomina ritus ac munera persequitur.

496 Hesych. v. *ἐτνήρυσις.*

In Acharnensibus, ubi Dicaeopolidis filia in apparatione pompae haec matri dicit v. 245. *ὦ μῆτερ, ἀνάδος δεῦρο τὴν ἐτνήρυσιν, ἵν' ἔτνος καταχέω τοὐλατῆρος τουτουί,* vix cuiquam dubium esse potest, quid sit *ἐτνήρυσις.* Scilicet *ἐτνήρυσις,* notum graecis hominibus ipsa conformatione sua vocabulum, quippe rite

factum, ut *οἰνήρυσις*, quo Aristophanes loco inferiore v. 1067. et quo alii utuntur, *ζωμήρυσις*, agnitumque ex hoc loco, vel etiam aliunde, Photio, Etymologo M. p. 387, 5. Phrynicho Bekkeri Anecd. I. p. 39, 15. Polluci VI. 88. X. 98. instrumentum significat ad eam rem, quam peractura puella est, idoneum ac proprium: trullam, qua pultem hauriebant ex olla. Hoc tantum tum ex scholiis ad locum Aristophanis, tum ex Photio Etymologoque, tum ex Hesychii loco statim laudando, si ibi tam est verum, quam est veri simile supplementum Musuri, haud inepte addideris, minus usitatum fuisse *ἐτνήρυσιν* vocabulum, quam *ζωμήρυσιν* sive *ζωμάρυστρον*: et sane quo ad *ζωμόν*, ius, hauriendum utebantur instrumento, eodem etiam ad pultem hauriendam uti potuerunt, et usi sunt haud dubie multi, ut fortasse *ἐτνήρυσις* et *ζωμήρυσις* nihil sint nisi rei eiusdem appellationes diversae. Verum praeter hoc ille, quem paullo ante commemoravi, Hesychius, aliud, idque prorsus novum docere videtur. Ita enim Hesychius:

> *Ἐτνήρυσις. ἔπαιξεν Ἀριστοφάνης, ἀντὶ τοῦ φάναι τὴν σ α ν ί δ α, τὴν ἐτνήρυσιν εἰπών· παρὰ τὸ ἔτνος. ἔστι δὲ ἐτνήρυσις . . .* [*ἡ ζωμάρυστρις.* supplementum Musuri. possis etiam *ἡ ζωμάρυστρος* ex schol. Aristoph.]

Quae explicatio si ad locum pertinet Acharnensium, quae fuit virorum doctorum opinio, dum novam polliceri lucem videtur, inexplicabilem Aristophani obscuritatem inducit. Nam *σανίδα*, tabulam, asserem, quonam sensu dixisset Aristophanes, ubi de haurienda pulte agitur? Et omnino nihil quicquam *lusit*, *ἔπαιξεν*, 497
hoc loco Aristophanes, sed vocabulum posuit, ut dixi, si non multum usu tritum, at tamen minime ambiguum, ea in re, quam agit, proprium, *ἐτνήρυσιν*. Ut si quis corruptum *σ α ν ί δ α*, et reponendum esse aliud vocabulum dicat, desperandum sit, usquam inventum iri vocabulum, pro quo hoc quidem in loco *ludens ἐτνήρυσιν* dixerit Aristophanes. Igitur recte nuperrime Guilielmus Dindorfius in Fragmentis Aristophanis p. 229. errare, qui ad Acharnenses referant verba Hesychii, pronunciavit. Nunc videndum, quem alium Aristophanis locum ante oculos habuerit Hesychius, aut, quoniam non exstat locus, qualis ille esse debuerit. Et hoc quidem, corruptum esse *σ α ν ί δ α* vocabulum,

Elmsleius statuit haud cunctanter, neque ullam puto ea de re posse dubitationem esse. Ego τὴν ἀ μ ί δ α repono, vel, quo fortasse facilius caussa declaratur corruptionis, τὴν ἅ μ ί δ α. Quo iocum efficimus nequaquam indignum Aristophane. Micturiens aliquis, quum non adesset matula, poscebat, quae tum forte aderat, ἐτνήρυσιν. Vel laboranti alter offerebat ἐτνήρυσιν. Illud nemo obiecerit, nimis exquisitum esse in Hesychio ἀμίδα vocabulum. Est sane ἀμὶς antiquum vocabulum, quod et ipsum dignum glossemate habuerunt grammatici: ἀμίς· οὐρητρίς, οὐρηρὸν ἀγγεῖον, vel οὐροδόχον ὑγγεῖον, vel sic: ἀμίδας· τὰ ἀπηρέσια, τὰ οὐροδόχα ἀγγεῖα. et ipse Hesychius suo loco: ἀμίς· σταμνίον. Sed idem etiam recentioribus scriptoribus, ut Athenaeo, usitatum vocabulum fuit, et grammaticis, ut Phrynicho p. 400. Lob. unde Hesychius eo ad explicationem utitur v. βυτίνη et v. πυτίνη. Praeterea tenendum est non tam cum eo qui nunc vocatur Hesychio hic nobis rem esse, quam cum alio antiquiore grammatico, quem exscripsit Hesychius: is igitur antiquior in declaranda Aristophanis sententia apte eo, quod Aristophani usitatum sciret, vocabulo usus est.

Non rarum est, matulam posci, apud Comicum. εἶτ' ᾔτησεν
498 ἀμίδ' est in Ranis v. 544. cf. Vesp. 807. 935. Qui isti ioco, quem ex Hesychio eruimus, similes essent, duo se non quaerenti obtulerunt loci Aristophanis. Non quaerenti, inquam: fateor enim iocum esse eiusmodi, quem non exspectes saepius repetitum vel cupide frequentatum ab Aristophane esse, scilicet ab illo Aristophane, qui ut in argumentis fabularum excogitandis inventorem se esse, neque bis terve eadem, sed semper καινὰς ἰδέας, et φορτικῆς κωμῳδίας σοφώτερα, proferre non uno loco gloriatur, ita in singulis iocis plus quam alios se sapere, et frequentato ab aliis iocorum generi, ἐφ' οἷς ἀεὶ γελῶσιν οἱ θεώμενοι, et risui Megarico, alias ingeniosius excogitatas facetias se substituere significat. Sed tamen ab illo rudiore genere prorsus se abstinere neque potuit neque voluit. Itaque simile est fragmentum ex Dramatis sive Centauro, apud G. Dindorfium, III.

ἀλλ' εἰς κάδον λαβὼν τιν' οὔρει πίττινον.

non veram intelligi matulam additum τιν' et tota sententia declarat. Deinde in Thesmophoriazusis v. 633.

σκάφιον Ξένυλλ' ᾔτησεν· οὐ γὰρ ἦν ἀμίς.

simillimus, vel potius geminus ac par illi nostro iocus, si vera ibi esset proposita a Biseto vocis *σκάφιον* explicatio haec: *σκαφὶς, ξύλινον ἀγγεῖον, στρόγγυλον, γάλακτος ἢ ὀροῦ δεκτικόν.* Verum ea explicatio, quam Bisetus ab Eustathio in Odyss. XV. p. 1775, 25. mutuatus est, ad Odyss. IX. 223. pertinentem, nihil ad Aristophanis locum, in quo quid sit *σκάφιον*, scilicet matulam esse, sed eam, qua mulieres utuntur, diversam forma ab *ἀμίδι*, certum videtur diserto Pollucis testimonio, haec ipsa verba, *σκάφιον Ξένυλλ' ᾔτησεν· οὐ γὰρ ἦν ἀμίς*, tamquam ex Aristophanis Polyido proferentis X. 45. Atque hanc explicationem etiam Bisetus, ut puto, praeferebat alteri. Cf. Etymol. M. p. 715, 55. in v. *σκαφίς*, Lex. rhet. Bekkeri I. p. 301, 30. et qui ita loquitur, ut locum aliquem ex comoedia ante oculos habuisse videatur, fortasse illum ipsum ex Thesmophoriazusis, Photius v. *σκάφιον.* in quo hoc tantum mireris, quod quasi dubitanter *τάχα* 499
dicit: *σκάφιον· τάχα λέγει τὸν κάδισκον, ᾧ καταχέονται αἱ γυναῖκες· ἔχει γάρ τι ἐμφερὲς πρὸς τὸ σκάφος, ὅ ἐστιν εἶδός τι πλοίου.* Lusus autem Aristophanis, nisi fallor, in eo versatur, quod confunduntur diversa matulae genera, *ἀμίς*, quae virorum, *σκάφιον*, quod mulierum est. Namque mulieribus postquam incidit suspicio, Mnesilochum, qui muliebri habitu indutus in coetum se mulierum insinuaverat, virum esse, interrogatus Mnesilochus, quid primum egerint in sacris superioris anni mulieres, *ἐπίνομεν* respondet; deinde, quid alterum, interrogatus, rursus: *προὐπίνομεν;* denique quum interrogat mulier, quid tertium, Mnesilochus, ut mas, oblitus se mulierem agere, respondet: *σκάφιον Ξένυλλ' ᾔτησεν· οὐ γὰρ ἦν ἀμίς*: debuerat enim contrarium in modum, *ἀμίδα Ξένυλλ' ᾔτησεν· οὐ γὰρ ἦν σκάφιον*, quum *ἀμὶς* virorum sit, ut vidimus, *σκάφιον* mulierum. Atque hinc est, quod statim quae instituerat examen mulier: *οὐδὲν λέγεις*, et hunc virum esse exclamat. Quod ex Polyido hunc versum, *σκάφιον Ξένυλλ'* etc. laudat Pollux, memoriae errori tribuit G. Dindorfius Fragm. Aristoph. p. 171. Ac fortasse etiam in Polyido mentio *σκαφίου*, quae eiusdem Dindorfii coniectura est, vel locus in universum huic, qui est in Thesmophoriazusis, similis, *ἀμίδος* et *σκαφίου* coniunctione, fuit. Brunckius eundem

versum in binis exstare fabulis, Thesmophoriazusis et Polyido, potuisse existimabat.

Ut semel ad coniecturam illam meam revertar, ita fert natura comoediae, ut saepe in vita domestica, cuius comoedia est imitatio, ubi ad manum non est, quo opus, vas sive instrumentum, pro eo aliud, primum obvium, quod eundem praestet usum, adhibeant. In mentem venit lepidum, sed modestius illo nostro exemplum, Platonis Comici apud Athenaeum XV. 666. D. ubi in mortarium, *ϑυείαν*, ludunt, quibus non praesto est *κότταβος* sive *κοττάβιον*. Memini cum multa voluptate, quum eo de loco coram
500 Hermanno ego et Meinekius disputabamus. Et *παιστέον* feliciter inveneram: non sane magnum inventum, quum *παῖς τεὸν* oblitteratam a Casaubono librorum scripturam mihi praeberet editio, qua utebar, Basileensis. Cuncta restituebat Hermannus: B. *ἀλλ' ἃ νόμος ἔστ'; A. ἀλλ' εἰς ϑυείαν παιστέον. φέρε τὴν ϑυείαν* etc.

De loco quodam Vitae Aeschyli.

Siculi itineris Aeschylo alius aliam, ut refertur in Vita Aeschyli graeca, quae quidem, ut nunc concepta est, unum tantum diserte agnoscit iter Aeschyli, fuisse caussam tradebat; nonnulli hanc, terrorem quem ille repraesentandis Eumenidibus excitasset. *τινὲς δέ φασιν ἐν τῇ ἐπιδείξει τῶν Εὐμενίδων σποράδην εἰσαγαγόντα τὸν χορὸν, τοσοῦτον ἐκπλῆξαι τὸν δῆμον, ὥστε τὰ μὲν νήπια ἐκψῦξαι, τὰ δὲ ἔμβρυα ἐξαμβλωθῆναι.* Et hoc quidem, de terrore in universum, etiam Pollux testatur noto loco IV. 110. Propria Vitae, praeter caussam, quam illa affert, terroris, *σποράδην* introductum chorum, haec sunt duo: quod eum fuisse terrorem tradit, ut infantes animam efflaverint, mulieres abortum fecerint; deinde quod ea de caussa Aeschylus in Siciliam abiisse perhibetur. Quorum illud non serio accipiendum, sed natum ex epigrammate, vel fictam epigrammatis in modum narrationem esse, nemo facile nunc est qui dubitet. Verum si hoc, vehementer etiam periclitatur alterum. Si enim ea narratione haec tantum simplex sententia atque hoc factum continetur, permagnum spectantium, quum Eumenidas Aeschylus introduceret, terrorem fuisse, quid potuit in eo terrore esse, propter

quod solum vertere poeta debuerit? Aliud est, quum mulctam
Phrynicho dictam ab Atheniensibus legimus, quod nimiam in
spectatoribus miserationem commovisset Excidio Mileti. Quare
rectissime viri docti aliam itineris, huius quidem posterioris, quod
post actam Orestiam suscepit Aeschylus, caussam circumspexe- 501
runt. Sed quid si non dixit Scriptor Vitae illud, quod dicere
visus est viris doctis? Diu est, quum aliquid turbatum esse in
Vita Aeschyli, deque infantibus et mulieribus narrationem tollen-
dam ex eo nexu, in quo nunc legitur, coniuncta cum disputa-
tione de itinere Siculo, et transferendam esse alium in locum,
in quem sit aptior, suspicatus sum. Adscribam omnia, ita ut bis
ponam illa, in quibus turbatum fuit: primum eo loco, quo illa
ponenda sunt ex mea sententia, deinde uncis inclusa altero, in
quem male illata sunt a librario. Qua in re negligi nolim, quod
Hermannus de choro Eumenidum Diss. I. p. 7. et II. p. 11.
Opusc. II. p. 128. et 148. testatur, egregie comparatum ad com-
mendandam coniecturam nostram, non in omnibus libris legi
ista. Itaque sic fortasse haec res acta est. Verba τινὲς δέ φα-
σιν ἐν τῇ ἐπιδείξει τῶν Εὐμενίδων etc. quum librarius margini
apposita in codice antiquo invenisset, quo ea pertinerent nescius,
male eum in locum intulit, ubi de Siculo agitur itinere: ut iam
sic posita caussam continere itineris illius videantur, quum recte
ac suo loco collocata praecedentem de terriculis Aeschyli sce-
nicis disputationem illustrent. — διὸ ἐκλογαὶ μὲν παρ' αὐτῷ
τῇ κατασκευῇ διαφέρουσαι πάμπολλαι ἂν εὑρεθεῖεν· γνῶμαι
δὲ ἢ συμπάθειαι, ἢ ἄλλο τι τῶν δυναμένων εἰς δάκρυα ἀγα-
γεῖν, οὐ πάνυ· ταῖς τε γὰρ ὄψεσι καὶ τοῖς μύθοις πρὸς ἔκπλη-
ξιν τερατώδη μᾶλλον ἢ πρὸς ἀπάτην κέχρηται. τινὲς δέ φα-
σιν ἐν τῇ ἐπιδείξει τῶν Εὐμενίδων σποράδην εἰσ-
αγαγόντα τὸν χορόν, τοσοῦτον ἐκπλῆξαι τὸν δῆ-
μον, ὥστε τὰ μὲν νήπια ἐκψῦξαι, τὰ δὲ ἔμβρυα
ἐξαμβλωθῆναι. Ἀπῆρε δὲ πρὸς Ἱέρωνα τὸν Σικελίας τύ-
ραννον, κατά τινας μέν, ὑπὸ Ἀθηναίων κατασπουδασθεὶς καὶ
ἡσσηθεὶς νέῳ ὄντι τῷ Σοφοκλεῖ, κατὰ δὲ ἐνίους, ἐν τῷ εἰς τοὺς
ἐν Μαραθῶνι τεθνηκότας ἐλεγείῳ ἡσσηθεὶς Σιμωνίδῃ· τὸ γὰρ
ἐλεγεῖον πολὺ τῆς περὶ τὸ συμπαθὲς λεπτότητος μετέχειν θέλει,
ὃ τοῦ Αἰσχύλου, ὡς ἔφαμεν, ἐστὶν ἀλλότριον. [τινὲς δέ φασιν

502 *ἐν τῇ ἐπιδείξει τῶν Εὐμενίδων σποράδην εἰσαγαγόντα τὸν χορόν, τοσοῦτον ἐκπλῆξαι τὸν δῆμον, ὥστε τὰ μὲν νήπια ἐκψῦξαι, τὰ δὲ ἔμβρυα ἐξαμβλωθῆναι.*] *Ἐλθὼν τοίνυν εἰς Σικελίαν*, et quae seq.

Codicem equidem novi unum, qui verba *τινὲς δέ φασιν — ἐξαμβλωθῆναι* omittit: Cantabr. 2. apud Butlerum. Praeterea, quae res fortasse aliquid ad hanc disputationem momenti affert, idem codex, Butlero testante, etiam priora, *ταῖς τε γὰρ ὄψεσι καὶ τοῖς μύθοις πρὸς ἔκπληξιν τερατώδη μᾶλλον ἢ πρὸς ἀπάτην κέχρηται*, omittit. Coniicias inde librum, ex quo Vita haec, quae in Cant. 2. legitur, descripta est atque excerpta, antiquiorem eo illa modo inter se nexa habuisse, quo nectenda esse dixi: *ταῖς τε γὰρ ὄψεσι — κέχρηται· τινὲς δέ φασιν — ἐξαμβλωθῆναι.* Omisit autem haec omnia is, a quo codex Cant. 2. scriptus est, non negligentia, ut puto, sed quod ea non necessario ad vitam pertinere Aeschyli censeret. ut idem praecedentem locum de *βάρει* personarum Aeschyli concidit atque in breve coegit. At de itinere locum sedulo conservavit.

